SC. SUP. 20. Pl. 3.

43
8 B
5

DE

SACRIFICIO MISSAE,

& ſacroſanctæ Euchariſtiæ celebratione, per Chriſtum in cœna nouiſsima,

LIBRI TRES.

In quibus XIII. his de rebus Articuli, in examen uocantur, orthodoxa fides aſſeritur, & aduerſariorum errores eliduntur.

Reuerendiſsimo GASPARE CASALIO Luſitano, Leirienſium Epiſcopo Auctore

Acceſsit rerum & uerborum memorabilium Index.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS, M D LXIII.

EX OFFICINA IORDANI ZILETI.

GASPAR CASALIVS

LVSITANVS,

Eremita Auguſtinianus, & Leirienſium Epiſc. Chriſtiano lectori S.

CVm tremendi, diuiniq́ ſacrificij Miſſæ materia XIII. Articulis examinanda, determinandaq́ ab Illuſtriſsimis & Reuerend. Legatis, menſibus ſuperioribus de more proponeretur; confeſtim pro ſummo meo in Rempub. Chriſtianam amore, & ut quæ mearum erant partium exequerer, omnia ad hanc rem ſpectantia, quæ olim obſeruaueram, meaq́ ὑπομνήματα relegere cœpi. Adhæc mutos, quos uocant, magiſtros non ſemel conſulens, ſacrasq́ ſcripturas diligentius euoluens, non pauca collegi, quibus mox ſuper ſingulis Articulis ſententiam meã conſtituerem, atq; tuerer. Quam cum protuliſſem, & quæ attuleram omnia à multis probarentur, atque ad ueritatem aſſequendam, ſedibusq́ ſuis ſtatuendam plurimùm facere uiderentur; rem me ſacra=

rum literarum ſtudioſis pergratam facturum putaui, ſi fuſa, amplioreq́ oratione, ac tractatione, quæ Laconico quaſi ſermone edideram, literarum monumentis proderem, ut quiſque ea præſentia, ubi uſus poſtularet, contueretur, mecumq́ in examen uocaret. Hæc cùm in iuſti operis formam creuiſſent, in tres libros commodè diduxi, librosq́ rurſus ſingulos in capita, quaſi in corpore membra efformans, diſtribui, ſummasq́, ut ea quæ à me tractarentur, ſtatim paterent, adſcripſi. Fuitq́ conſilium, tantiſper libros hos meos rudes adhuc, intra domeſticos parietes continere, dum diutina lima expoliti, luce digni uiderentur. Verùm cùm Hieronymus Magius meus, cuius ego iudicium plurimi facio, aliiq́ue amici hos à piis, doctisq́ hominibus permultis mirum in modum deſiderari, affirmarent, meq́ ut eos quamprimùm in lucem ederem, orarent, & cùm parum proficerent, quotidiano quaſi conuicio efflagitarent; tandem euictus, libros uix relectos, Iordano Zileto ſolerti Bibliopolæ excudendos dedi. Erunt hi (ingenuè fateor) inter præclara Theologorum noſtrorum commentaria tanquàm hoſpi-

tes; at niſi me recentis fœtus amor, & φιλαυτία decipit, utilitatem Chriſtiano lectori haudquaquam uulgarem afferent. Vt enim de his, quæ è meo penore deprompta ſunt, aliis iudicium libens relinquam; nemo non uidere poteſt, tenuioris fortunæ lectoribus, & iis, qui librorum copia ſunt deſtituti, quibusq; multa legendi ocium non eſt, ſatis eſſe conſultum. Paruo nanque negocio quiſque omnia, quæ ad propoſita de Miſſæ ſacrificio problemata in diſquiſitionem uocanda, ſententiasq; ex ipſis ducendas, & ſtatuendas pertinent, omnia inquam quæ à catholicis ſcriptoribus memoriæ ad hanc uſque diem conſignata ſunt, & ad manus meas peruenerunt, facilè inuenire, & inuenta perpendere poterit. Chriſtianæ ſiquidem Reip. procerum copiis (quanquàm & gregarios, dummodo uera pietate præditi eſſent, non ſum aſpernatus) quas ne minima quidem ex parte interpolatas, in aciem deduco, res paſsim agitur. Ac ne quid à quoquam deſideretur, quæ contra auguſtiſsimam Miſſæ liturgiam obiici poſſent, & à Melanchthone, Caluinoq; obiecta ſunt, potiora illa quidem, & quæ magis mentione digna uide-

bantur, recenſui, ac deinde ſingillatim con-
futaui, penitusq́ è medio ſuſtuli, uſque adeò
ut nihil, meo iudicio, quod tibi, lector opti-
mè, negocium faceſſere poſsit, reliquum eſſe
uideatur. Vale & labores noſtros boni con-
ſule. Tridenti Kal. Mart. 1563.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM
memorabilium, quæ his tribus Reuerend. Gaſparis Caſalij libris continentur.

A, chartæ frontem, B, uerò tergum ſignificat.

A

Altaria nõ Martyri, ſed in memoriam Martyris conſtituuntur. carta. 17.*b*
Ambroſius quo tempore floruerit. 38.*a*
Apoſtoli quæ dona maximè ad apoſtolicum munus ſpectantia acceperint 115.*a*
Apoſtolicarum conſtitutionum libri in Creta, & in Sicilia recens reperti 22.*b*
Apoſtolos à Chriſto in cœna factos fuiſſe ſacerdotes, quot doctores affirment 119.*a*
Aqua uino admiſta in Miſſæ ſacrificio, an in ſanguinem uertatur 146.*b. & infrà*
Aquæ uino admiſtio in Miſſa, Chriſti inſtituto non aduerſatur 143.*b. & infrà*
Cur hæc miſtio fiat, ibidem, & infrà
Auguſtinus quo tempore natus ſit, & obierit 38.*a.* 137.*b*

B

Bonum noſtrum quodnam ſit 6.*a*

C

Calices ſanguinis Chriſti portatores 13.*a*
Caluinus unde cauſam occaſionemq́; habuerit negandi Euchariſtiæ ſacramentũ 203.*b*
Caluinus Chriſtum in Euchariſtia ipſa exiſtere negat 9.*b*
Caluini argumentationes contra Miſſæ ſacrificium. 174.*b. & infrà.*
Caluini argumentatio prima refellitur 199.*a*
item ſecunda 201.*b*
item tertia 206.*a*
item quarta 207.*b*
Canon ſacer cur ſecretò, & ſubmiſſa uoce dicatur 155.*b & infrà.*
Canõ miſſæ antiquus eſt. 148.*a* 149.*a*
Canon olim alta uoce dicebatur 156.*b*

Canon Miſſæ uariè à uariis diuiditur 149. a
Canonis ſacri in Miſſa, præcedentium rerum antiquitas, ueritas, & ratio 151. b
Canonis Miſſæ quod initium, & quis finis ſit 148. b
Canone ſacro cõtenta, uera omnia, religioſa & pia 153. b
Catechumeni, Energumeni, & pœnitentes ante myſteriorum celebrationem extra delubrũ abducebantur 4. a
Celebrandi poteſtas quibus in uerbis ſacerdotibus tributa ſit 199. a
Clemens Martyr Petri diſcipulus, Apoſtolicarum traditionum ſeu conſtitutionum libros 8. conſcripſit, quorum Athanaſius & Epiphanius meminerunt 12. a
hos libros non eſſe ſubditios 69. a. 109. a. b
Cœna in nouiſſima quæ fuerit Seruatoris oblatio 40. a. b. *& infrà.*
Conſecrare nemo poteſt, niſi à Chriſto & ſuc. acceperit poteſtatem 104. b
Conſuetudines Eccleſiæ quamuis non ſcriptis proditæ, obſeruandæ ſunt 150. a
Chriſtus conceptionis primo inſtanti meruit 61. a
Chriſtus ſuæ immolationis, ſeu paſſionis quãdo exordium ſacrauerit. 177. a. b
Chriſtus in oblatione in cœna nouiſſima aquam uino miſcuit. carta 146. b
Chriſtus pro quibus obtulerit in cœna 85. a. 95. a
Chriſtus in cœna quibus uerbis Apoſtolos ſacerdotes fecerit 103. a. b
Chriſtus propter duas rationes dicitur immolari in noſtro ſacramento 84. b
Chriſtus ſeipſum immolauit in cœna nouiſſima 60. a. 72. a
Chriſtus eſt ſacerdos propitiator 82. b
Sacerdos redemptor ibid.
Chriſtus ſe in cruce offerens ſimilitudinem quãdam habuit Melchiſedech offerentis. carta 204. a
Chriſtus prout eſt in ſacramẽto an hoſtiam calidam reddere poſſit, ſi Deus eius actionem nõ ſuſpenderet 63. a. b
Chriſtus quo pacto in ſacramento exiſtat 61. b. *& infrà*
Chriſtus in ſacramẽto modo exiſtit immolatitio 61. b
Chriſti ſacrificium à Chr. exhibitũ corpore & ſanguine ſuo, omnibus ueteris teſtamẽti ſacrificiis ſucceſſit 122. a
Chriſti ſacerdotium plenã habet uim expiandi peccata. 134. b
Chriſti uerba & oratio in cœna, ſtatimq́; poſt cœnam 85. b

Chriſti oblatio in Euchariſtia, incruenta eſt 9. b
Chriſti modò in cælo officiũ. 95. b
Chriſti corpus prout eſt in ſacramento, à nullo corporali oculo uideri poteſt 63. b. *& infrà*
Chriſti paßio quibuſdam quaſi gradibus peracta 176. a
Chriſto qui ſenſus & quomodo in Euchariſtia 62. a. b. *& infrà*
Chriſto maximè conuenit ſacerdotium 200. b
Chriſtum pro nobis myſticè immolari, non eſt idem quod nobis ad manducandum dari. 164. b

D

Deus duobus modis colitur. 8. a. b
Deus deprecatorem ſupplicẽq́; pro alienis peccatis non reſpuit, quin aliquando poſcit. carta 161. a
Deo latriam & ſeruitutem quo pacto præſtemus in ſacramentis, & in nobis 6. a
Deo duobus modis ſacrum facimus. 6. b

E

Emundationem à peccato, quæ abſoluant 134. b
Epiphanius cognomento Scholaſticus dictus 149. b
Errorum Melanchthonis circa Miſſæ ſacrificium, ſeminariũ & origo 196. b
Euchariſtia, ſacrificio crucis cõformißima eſt 93. a. b
Euchariſtia ut eſt ſacramẽtum, directè habet uim nutritiuã, & unitiuam animæ ſuſcipientis cum Chriſto 92. a
Euchariſtia duabus contra peccatum uiribus prædita 92. b
Euchariſtia ſecundum rem, tria habet 73. a
Euchariſtia eſt ſacramentum & ſacrificium; & duos uſus habet 141. b
Euchariſtia prodeſt ſumentibus ut ſacramentum & ut ſacrificium. 119. b. *& infrà.* & 123. a. 129. a
Euchariſtia ſacra, ſumẽtibus & non ſumẽtibus quo pacto proſit 136. b
Euchariſtia unde habeat rationem ſacrificij, & unde ſacramenti 129. a. *eius utrobique uis.* ibid. & b
Euchariſtia offerri poteſt in omnem uſum & finem in quem ſacrificia legis diuinitus fuerunt inſtituta 121. b
Euchariſtiæ ſacrificium, crucis ſacrificio non derogat 94. a *& infrà.*
Euchariſtiæ uis ut eſt ſacramentum 129. a
Euchariſtiæ ſacrificium Synaxis qua ratione dicatur 130. a

b

Euchariſtiæ ſacramenti uis dupliciter conſideratur 135.a
Euchariſtiæ uires, & ſacramentorum uirtutes ſunt actiuæ 86.b
Euchariſtiæ fructus & effectus multiplices. 124.a.b. 128.b *& infrà* 130.b
Euchariſtiæ manducatio, Chriſti mortem ſignificat 166.b. *dicitur quodammodo Chriſti immolatio* ibid.
Euchariſtiæ uis quæ bona pariat, quæ mala depellat. carta 136.b
Euchariſtiæ ſacramentum cæterorum nobiliſsimum, & conſummatiuum 112.b
Euchariſtiam ſacram qui non accepiſſet in Chriſti natali, Paſchate, & Pētecoſte, Agathenſis concilij conſtitutione pro non catholico habitus. carta 142.a

G

GRegorius Nazianzenus in paruo oratorio priuatim celebrauit 139.b
Gregorius quo tempore floruerit 38.a

H

HIeronymus quo tempore in humanis 163.a
Hominum modò ſtatus in terra. 95.b
Hoſtia quomodo apud Paulum accipiatur 175.b
Hydroparaſtarū hæreſis pro uino ſola aqua utebatur in ſacrificio 145.a

I

IAnua cœli ante Chriſti mortē obſtructa erat. 179.a
Immolo, uerbum quid ſignificet 166.a
Immolare, alia actio eſt à manducatione ex immolatis. carta 166.b. 167.a
Ioannes Alexandrinus Patriarcha, Eleemoſynarius ob inſignem erga pauperes liberalitatem dictus 142.b
eiuſdem factum ibid.
Iudæi ad idolorum cultum procliues. 8.a. *ſacrificiorum multitudine cur onerati* ibid.
Iudæi negant Chriſti ſacrificium in cruce, hæretici uerò recentiores in Euchariſtia 9.a.b

L

LAtinæ linguæ præſtantia. carta 158.a.b
Leontius Epiſcopus Neapolitan. Cypri. 142.b

M

MAnuum impoſitio in ſacerdotis inauguratione ſeu ordinatione, non eſt de eſſentia ſacramenti 115.b

Martialis diſcipulus Domini. carta 12.a
Martyrum memoriæ celebrãdæ quo pacto 160.b
Melãchthonis obiectiones contra Miſſæ ſacrificium 173.b *& infrà.*
Melanchthonis uerbis quibuſdã contra uim ſacrificij Miſſæ prolatis reſpondet auctor, & primæ eius obiectioni. 187.b *& infrà.*
Melanchthonis obiectio ſecunda eliditur 190.a
item tertia 191.a
item quarta 192.a
item quinta 195.a
item ſexta 196.a
item ſeptima 197.a
Melanchthonis actus 198.a
Memoriæ Martyrum 17.b
Metaphoricæ ſuppoſitiones quo pacto ueritatem contineant. carta 33.b
Miſſa ualet & efficaciam habet dupliciter 120.a.b
Miſſa latino ſermone non uulgari celebranda eſt 157.a *& infrà.*
Miſſa in quot partes diuidatur 5.a.b
quid comprehendat. ibid.
Miſſa an uox latina ſit 4.a
eius etymologia b
Miſſa, uox Hebraica 5.a
Miſſa, Hebraicè oblationem ſignificat 5.a
Miſſa eſt ſacrificij oblatio, ſeu ipſum ſacrificium 5.a
Miſſa quot præſentibus celebrari poßit 137.b. 138.a 140.a. 142.b
Miſſa Chriſti, noſtræ confertur 82.a
Miſſa omnis, publica eſt ex multis rationibus 141.b
Miſſa eſt ſacrificium 11.b. *& infrà.*
Miſſa etiã peccata lethalia expiat. 132.a. 133.b. *& infrà*
Miſſa non ſumentibus etiã prodeſt 121.a. 125.b
item abſentibus 130.a
Miſſæ ſacrificium dum pro laborante in maris fluctibus offerretur, cibus uirtute angelica laboranti allatus. carta 126.b. 127.b
Miſſæ ſacrificio peccata delentur 122.a
Miſſæ ſacrificium noſtrum, cur per multa uariaque ſacrificia in lege ueteri deũbratũ 8.b
Miſſæ celebrationẽ Iacobus frater Domini, & Baſilius Cæſarien. ediderunt 148.a
Miſſæ potior ſeu principalior pars 148.b
Miſſæ ſacrificium horrorem afferens 15.a
Miſſæ ſacrificium quibus mortuis non proſit 127.b
Miſſæ ſacrificiũ captiuo & uinculis detento, profuit. 126.b 127.b
Miſſæ ſacrum & Rabini He-

bræorũ agnoſcunt. 28.*b.* 29.*a*
Miſſæ ſacrificium quibus nominibus patres ſcriptoresq́; eccleſiaſt. appellauerint. 101.*b* *& infrà.* 135.*b*
Miſſæ ſacrificium qui agnouerunt, omnes recenſentur. carta 34.*a.b.* 38.*b*
Miſſæ uocem recentẽ non eſſe ſed uetuſtam 35.*a.b. & infrà*
Miſſam, opus ſacrificuli appellat Melanchthon 190.*a.b*
Miſſam Pontificali ſolẽnitate primus Antiochiæ celebrauit Petrus 148.*b*
Miſſam celebrandi modus duplex 137.*a*
Miſſarum à celebratione nõ debere amoueri ueſtes, ceremonias, & ſigna externa. carta 162.*a. & infrà*
Miſſarum priuatarũ uſus antiquiſſimus, ſanctè receptus, ac utilis. 137.*a. & infrà.* 142.*b*
Miſſas certas priuatim certis ſanctis tribui, haud eſt abſurdum 160 *a. & infrà*
Miſſas certas certis ſanctis, cur tribuamus 161.*b*
Modus quo Chriſtus in ſacramẽto ſacramentaliter ineſt ſuo corpore, eſt ſupernaturalis. 62.*a*
Monica Auguſtini mater, mortẽ imminente, eum rogauit ut ad altare Domini eius memoriam haberet 127.*b*
Mortui cuiuſdam anima rogauit Centumcellenſem presbyterũ ut per ſacram hoſtiam opem illi ferret 127.*b*
Mortuorum duorum animæ Gregorij tẽpore à purgatorij pœnis liberatæ 127.*b*
Mortuis prodeſt Miſſæ ſacrificium 122.*a.b.* 123.*b*
tã igne purgatorio expiandis, quàm beatis 126.*b. & infrà* 128.*a.b.* 170.*a.b.* 171.*a.b.* 208.*a. & infrà*

N

Noctua cur Solis lucẽ nequeat aſpicere. 147.*b*

O

Obiectiones contra Miſſæ ſacrificium 172.*b* *& infrà.*
Obiectiones Melanchthonis contra Miſſæ ſacrificium. 173.*b* *& infrà.*
Obiectiones Caluini cõtra Miſſæ ſacrificium 174. *& infrà*
Oblatio quo modo accipienda ſit. 175.*b*
Oblationem Chriſti in cœna nouiſſima ſub panis & uini ſpeciebus quo pacto Auguſtinus agnouerit 49.*b. & infrà*
Obtulit ſe Chriſtus propitiatoriè in cœna ſub ſpeciebus panis & uini. 85.*a*
Obtulit Chriſtus in cœna 57.*a* *& infrà. &* 60.*a. & infrà*

Obtulit Saluator ſe ipſum in cœna nouiſsima ſub ſpeciebus panis & uini in ſacrificium uerum & proprium patri. carta 40.a.b.& *infrà*
Oecolampadius Chriſtum re ipſa in Euchariſtia exiſtere negat. 9.b
Occumenij ſententia de hoſtiæ Chriſti oblatione 67.a. & *infrà.*
Offerre uoluit & obtulit Chriſtus in cœna propitiatoriè. carta 82.b
Optatus Afer quo tempore in humanis eſſet 163.a
Oratio dominica cur poſt canonem ex Gregorij præſcripto dicatur 148.a
Orare pro Martyre iniuria eſt. carta 162.a
Ordinis poteſtas ad diſpenſationem ſacramentorum 112.b

P

PAſsio Chriſti quatuor præcipuè notanda habuit. carta 31.b
Paſsio Chriſti quibuſdam quaſi gradibus peracta 176.a
Paſsio Chriſti habuit rationem meriti, ſatisfactionis, & ſacrificij 180.b
Paſsio Chriſti ſalutem noſtram quibus rationibus pepererit. carta 189.a.& *infrà*
Paſsioni Chriſti dupliciter unimur. 100.a
Peccati macula qua re eluatur. 134.b
Peccata uenialia quo pacto Euchariſtiæ effectum nobis intercipiant 129.a. item lethalia 131.a
Peccata remittēdi poteſtas per claues ſignificata 112.b
Pœnæ reatus qua re tollatur. carta 134.b
Poteſtas conſecrandi & offerendi in Miſſa an eadem ſit cum poteſtate remittendi peccata. 110.b.& *infrà*

R

ROmana Eccleſia diuino iure ratione cathedræ, atque poteſtatis Apoſtolicæ, mater, domina & magiſtra reliquarum Eccleſiarum 158.a
Romana ab urbe in quæ loca fides orthodoxa profluxerit. carta 159.a

S

SAcerdos uniuerſi eſt Orbis legatus 122.a.b
Sacerdos, mediator eſt inter Deum & populum 200.b
Sacerdotem ſemper agit Chriſtus 96.b. & *pro nobis interpellat* 97.a.& *infrà*
Sacerdotium noſtrum, Chriſti eſt ſacerdotium 134.b

Sacerdotalis poteſtas per quæ uerba à Chriſto data ſit. carta 78.b
Sacerdotium Chriſti quare ſecundum ordinẽ Melchiſedech eſſe dicatur 205.b
Sacramentum quid propriè ſit. carta 193.a.b
Sacramento in ipſo quo pacto Chriſtus exiſtat. 61.b.& inf.
Sacrificio, uerbum quid ſignificet 166.a
Sacrificiũ corporis & ſanguinis Chriſti in pane & uino futurum, à Prophetis prænunciatum 27.b
Sacrificium Chriſti in cruce ſimilitudinem quandam habuit ſacrificij ſeu ſacerdotij legalis. 204.a
Sacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, ſoli Patri offerendum Hæretici quidam exiſtimarunt 18 a b
Sacrificium cœnæ, uirtutem multis modis habuit 181.a.b
Sacrificium latius ſumptum quid ſit. 7 b
Sacrificium propriè ibid.
Sacrificium uerum quod ſit. 6.b
Sacrificiũ propriè quid ſit. 60.a
Sacrificium quid ſit 6.b
quid ſacrificiũ inuiſibile. ibid. carta 7.a
Sacrificium duplex eſt 194.a
Sacrificium etiam pro abſentibus à Iob oblatum 121.b
Sacrificiũ ſpiritale ſub lege naturali, & ſub lege Moſis. carta 10.b
Sacrificij Chriſti in cruce qualitas quæ ſit 95
Sacrificio triplici de cauſa indigemus 124.b
Sacrificia multa & uaria fuerunt in ueteri lege 69.b
& cur 70.a
Sacrificia omnia ſub lege, & ante legem ad ueri Dei cultum pertinentia, figuræ fuerunt Euchariſtiæ ſacramenti. 73.b
Sacrificia duo à Chriſto in cœna oblata fuiſſe, quidam exiſtimant 65.a
Sacrificiorum genera ſemper uaria & diuerſa fuerunt 7.b
Sancti uita functi pro nobis orant. 161.a.162.a
Scholaſtici doctores omnes, Miſſæ ſacrificium defunctis prodeſſe affirmant 128.a
Scriptorum eccleſiaſticorum tẽpora adnotantur 38.a
Stanislai Hoſij Cardinalis laus. carta 47.a
Stephanus Martyr quo tempore uixerit 162.b

T

Thomas quos effectus & fructus in ſacra Euchariſtia agnoſcat. 128.b.& inf.
Thomas quid de oblatione Chriſti in cœna nouiſſima arbitratus ſit 52 a b.& infrà

Thomæ obiectiones contra ordinem ſacrificij Miſſæ, cum ſolutionibus. 154.a.b.& infrà
Tradita ab Eccleſia, in dubium neutiquam ſunt uocanda. 28.a

V

VIctimæ incruentæ in Miſſa. 15.a
Victimas cruētas cædimus, quādo uſque ad ſanguinem pro Chriſti ueritate certamus. carta 194.a
Viſus ut fiat, oportet ut ſpecies uiſibiles ad uiſum multiplicentur 64.a
Vuittimbergenſis confeſſionis error. 140.a

Indicis rerum, & uerborum memorabilium finis.

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

PRoponuntur articuli ad Liturgiam Miſſæque ſacrificium pertinentes, qui & in dubium à Theologis uocantur, & toto hoc opere explicantur. Cap. primum
Veris, catholicisque aſſertionibus, ſeu concluſionibus, reſponſiones ad ſingulos articulos afferuntur. cap. 2
De origine huius nominis Miſſa, deque eius ſignificatione. cap. 3
De ſacrificio, & diuerſis ſacrificiorum generibus. cap. 4
De pernicioſo eorum errore, qui Chriſtum in Euchariſtiæ ſacrificio negant. cap. 5
Adſtruitur, probaturque concluſio prima ad Articulum primum. cap. 6
Teſtimoniis Canonum, Decretorumque Apoſtolicorum, & Conciliorum ſcitis, ac ſanctionibus, ueritatem eandem elucеſcere, atque obfirmari. cap. 7
Liturgiæ Miſſæque ſacrum ab uniuerſo eorum, quos Scholaſticos nuncupamus, ordine approbari. cap. 8
Vniuerſitates omnes catholicas, recentioresq; pios Theologos, eandem de ſacrificio Miſſæ ueritatem fateri & amplecti. cap. 9.
Quo pacto prænotati Doctores eandem de ſacrificio Miſſæ ueritatem aſſerant, probentque. Hebræorum Rabinos hoc idem ſacrum olim agnouiſſe, demonſtratur. cap. 10
Quo pacto Ioannes Eckius, Antonius Monchiacenus, & Thomas Caietanus, uiri doctiſsimi, catholicique, Miſſæ ſacrificium probent, & tueantur. cap. 11
Eadem ueritas, magis fulcitur, illuſtratur, lectorisque oculis ſubiicitur, & catalogus Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorumque, & patrum, qui de auguſtiſsimo Miſſæ ſacrificio loquuti ſunt, apponitur. cap. 12
Vocem hanc Miſſa, neutiquam recentem eſſe, quod Hæretici non ſine temeritatis nota opinantur; ſed uetuſtam, ex antiquorum, & ſpectatæ fidei patrum monimentis magis magisque demonſtratur. cap. 13

Vocis huius Miſſæ, antiquitas oſtenditur ex Chronologia, ſeu ſupputatione temporum, quibus prædicti patres in humanis erant, & concilia celebrata fuerunt. Eandem uocem in diuinis ſcripturis ſecundum Hebraici codicis, & Chaldaicæ uerſionis fidem, reperiri. cap. 14

Conſonis patrum & catholicorum Theologorum teſtimoniis probatur ſecunda concluſio ad Articulum primum, quæ habet, quòd Seruator noſter in cœna nouiſſima, ſe ipſum ſub ſpeciebus panis & uini, in ſacrificium uerum propriumque Patri ſuo obtulit. cap. 15

Chriſti Seruatoris ſub ſpeciebus panis & uini in cœna oblationem, an, & quo pacto Auguſtinus agnouerit? cap. 16

Diuum Thomam arbitrari Seruatorem noſtrum in cœna nouiſſima, corpus & ſanguinem ſuum ſub panis, & uini ſpeciebus Patri obtuliſſe; argumentis, & rationibus permultis probatur. cap. 17

Aliorum etiam Theologorum minimè diſcrepantes ſententiæ referuntur, atque perpenduntur. cap. 18

Prænotata concluſio ſecunda ad Articulum primum, de oblatione à Seruatore noſtro ſuiipſius, ſub ſpeciebus panis & uini, facta; citra dubium, ex re facta, & præcepto eiuſdem Seruatoris confirmatur, ueraque eſſe demonſtratur. De modo quo Chriſtus in ſacramento Euchariſtiæ exiſtit. cap. 19

Duo à Seruatore noſtro in cœna, oblata fuiſſe ſacrificia, quoſdam exiſtimaſſe: horum ſententiam haudquaquam eſſe improbandã. Eorum, qui primæ ad primum Articulum concluſioni concinunt, catalogus apponitur. cap. 20

Oecumenij dictum de ſanguinolentæ Seruatoris noſtri hoſtiæ oblatione, enumeratis patribus neutiquam aduerſari, quin auctorem hunc incruentæ hoſtiæ oblationem aſſeruiſſe uideri. Libros Apoſtolicarum inſtitutionum, qui Clementis Martyris titulo circunferuntur, non eſſe ſubditities. cap. 21

Aſſertur probatio prima tertiæ ad primum Articulum concluſionis, quæ habet quòd Saluator noſter obtulit ſe in cœna modo prædicto, non ſolùm per modum hoſtiæ pacificæ, aut holocauſti, ſed etiam per modum hoſtiæ pro peccato, in ſacrificium propitiatorium. cap. 22.

Adducitur ad eandem concluſionem ſecunda probatio, ex eo quòd

res, figuræ reſpondeat. cap. 23

Statuitur probatio tertia ex agno Paſchali typico. cap. 24

Struitur probatio quarta ex ſignificatione, comprehenſione, & ſacerdote ſacrificij, in cœna nouiſſima. cap. 25

Concluſionis eiuſdem probatio quinta, ex uerbis Seruatoris noſtri. cap. 26

Eadem concluſio ſextò probatur ex ritu, factis & uerbis quibus offerimus: ad hæc, quia ſacrificium in perſona Chriſti conficimus, & Seruator noſter nunc offerens, haudquaquam mutat intentionem qua olim obtulit. cap. 27

Affertur eiuſdem concluſionis probatio ſeptima, ex comparatione collationeque Miſſæ Seruatoris ad noſtram. cap. 28

Concluſionis eiuſdem probatio octaua ex dictis Diui Thomæ iuxta diuinas ſcripturas. cap. 29

Affertur nona probatio prænotatæ cõcluſionis; pro quibus Chriſtus obtulerit declaratur, eiusq; oratio in cœna, apponitur. cap. 30

Decima & ultima eiuſdem concluſionis probatio. cap. 31

LIBRI SECVNDI.

Prior concluſio ad ſecundum Articulum quadrupliciter probatur. Cap. 1

Ex natura proprietateque incruenti ſacrificij, & eius inſtitutione, Chriſtiq; inſtituentis intẽtione; poſterior concluſio ad prænotatum articulum ſecundum probatur. cap. 2

Sacrificium Euchariſtiæ, crucis ſacrificio derogare, exiſtimaſſe nõnullos; quorum falſa opinio eliditur. Quæ ſit ſanguinolenti ſacrificij qualitas, & quis hominum in hac uita ſtatus, declaratur. cap. 3

Eadem ueritas magis, magisq; in lucem protrahitur. Chriſti paſſionem ſemper poſt Adæ peccatum, ad ſalutem fuiſſe neceſſariam, probatur. De unione hominis ad Chriſti paſſionem. Sacramenta noſtra quænam ſint inſtrumenta, qui effectus, & qui fructus. Quot nomenclaturis, epithetisque ſancti Patres, Miſſæ ſacrificium appellauerint. cap. 4

Concluſio unica eademque mox bifida, ad Articulum tertium pro-

batur; atque optimè demonſtratur, Chriſtum his uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. Apoſtolos effeciſſe ſacerdotes, ut in Miſſa conſecrarent; & corpus ſanguinemque ſuum offerrent. Ex forma quam Apoſtoli cooptati, & inaugurati ſunt ſacerdotes, an & poteſtas conſecrandi, & abſoluendi, inſimul tributa ſit. *cap.* 5

Quædam, quæ ſuboriri poſſent dubitationes indicantur & facili explicatione amouentur. Poteſtas conſecrandi, offerendique in Miſſa, an ſit eadem cum poteſtate remittendi peccata; & an utranque in cœna, Apoſtoli à Seruatore noſtro acceperint, abſolutumque ſacerdotale officium tunc adepti ſint, latius diſſeritur. *cap.* 6

Eadem adhuc pertractantur; apponiturq; Catalogus doctorum non ſolùm antiquorum, ſed etiam recentiorum, qui Chriſtum in cœna nouiſsima, Apoſtolos feciſſe ſacerdotes, teſtati ſunt. *cap.* 7

Prior concluſio ad Articulum quartum probatur; & oſtenditur, Miſſæ ſacrificium Euchariſtiam ſumentibus, tanquam ſacrificium & ſacramentum prodeſſe; non ſumentibus uerò, tanquã ſacrificium duntaxat. *cap.* 8

Iaciuntur nonnulla fundamenta Concluſionis poſterioris ad prænotatum Articulum quartum; qua affirmatur, diuinum Miſſæ ſacrificium offerri poſſe etiam pro iis qui ſacram Euchariſtiam non ſumunt; pro peccatis, neceſsitatibusq; eorum, qui in humanis agunt, atq; etiam pro fidelibus uita functis. *cap.* 9

Continuando præcedentia, agitur de fructibus, effectibus uirtutibusque multiplicibus ſacræ Euchariſtiæ; deque paſsionis Dominicæ memoria. *cap.* 10

Miſſæ ſacrificium fato functis, tam beatis, quàm in purgatorio conſtitutis, prodeſſe demonſtratur. *cap.* 11

Quinam ſint, ad ſententiam Diui Thomæ, effectus & fructus ſacræ Euchariſtiæ; quam utilitatem hæc præſtet contra peccata, & peccatorum reatus. Quid apud Thomam deſiderari poſsit? Vnde nam Euchariſtia habeat rationem ſacrificij & ſacramenti, & quæ ſint eius circa utrunque uires. *cap.* 12

Proſequendo præcedentia; quæritur de modo quo ſacra Euchariſtia uim habet ſatisfactiuam, & diſsidentes in hac re Theologorũ ſententiæ referuntur. Agitur de earũ conciliatione, deq; per hoc diuinum ſacrificiũ à peccatis, & corũ reatu expiatione. *cap.* 13

An uirtus expiatiua in Miſſæ ſacrificio agnoſcenda ſit, diſquiritur, & eorum, quæ hactenus ſuper concluſionibus ad Articulū quartum probata ſunt, fit anacephalæoſis. cap. 14

Vnicæ ad Articulum quintum concluſionis fundamenta iaciuntur, ac manifeſtè probatur, Miſſarum priuatarum uſum, eſſe antiquiſſimum, ſanctéq; receptum, multiſque magnopere prodeſſe, & nequaquam reiiciendum. cap. 15

Confeſſionis Vuittimbergenſis error cum præcipuis eius contra priuatas Miſſas erroribus refertur, & ſolidis, catholiciſq; reſponſionibus refellitur. cap. 16

Probātur concluſiones, quibus Articulo ſexto reſpōdetur; & aquæ uino admiſtionem nullo pacto Chriſti Seruatoris inſtituto aduerſari, quin ei maximè conuenire, licèt neceſſariò ad Euchariſtiæ ſacramentum non requiratur, optimè demonſtratur cap. 17

Probatur unica concluſio ad Articulum ſeptimum, qua probè dicitur, Miſſæ canonem, omnino erroris eſſe exortem, totumque à ueritate, & pietate pendere, ideoque nulla ex parte eſſe abrogandum. Canonem eundem uariè à uariis diuidi demonſtratur. Cur antequàm ſanctiſſimi myſterij celebrationem aggrediamur, προλεγόμενα *quædam, & præparationem quadruplicem præmittamus.* cap. 18

De antiquitate, ueritate, & ratione eorum, quæ in miſſa ante ſacrum canonem dicuntur. cap. 19

De his, quæ in ſacro canone continentur, deque eorum, quæ poſt hunc fiunt antiquitate. Referuntur D. Thomæ obiecta contra ſacrificij Miſſæ ordinem, & eiuſdem ſolutiones ad eadem obiecta apponuntur. cap. 20

Probatur concluſio unica ad Articulum octauum, qua habetur, quòd ritus Eccleſiæ Rom. quo ſecretò, & ſubmiſſa uoce uerba conſecrationis proferuntur; bonus eſt, pius, laudandus, & obſeruandus, nulloque pacto damnandus. cap. 21

Concluſio unica ad Articulum nonum probatur, qua intrepidè aſſeritur, Miſſam optimè, iuſtè, ac ſanctè celebrari latino ſermone iuxta ritum Eccleſiæ Rom. & eos errare affirmatur, qui nullo alio ſermone, præter quàm uulgari, quē omnes paſſim nouerint & percipiant, eam celebrandam eſſe opinantur. cap. 22

Probatur concluſio, quam ſortitus eſt Articulus decimus, qua affirmatur, non abuſum, ſed laudandam utilemq; conſuetudinem

eſſe, certas Miſſas certis ſanctis tribuere. cap. 23
Probatur concluſio, quæ obtigit Articulo undecimo, qua citra dubium, citraq́ue errorem aſſeritur, non eſſe tollendas cæremonias, ueſtes, nec amouenda ſigna externa, quibus Eccleſia in Miſſarum celebratione utitur. quin potius quenque hæc omnia laudibus, & obſeruantia proſequi debere. cap. 24
Ea probatur concluſio, quæ Articulo duodecimo aſcripta fuit; qua rectè affirmatur, Chriſtum pro nobis myſticè immolari, non eſſe idem quod nobis ad manducandum dari; quin potius immolationem, actionem eſſe ſeiunctam à manducatione, & ab ipſa porrectione, qua nobis manducandum porrigitur ſacramentum. cap. 25
Fulcitur probationibus obfirmaturq́; concluſio nouiſſima, quæ decimotertio Articulo adſcripta fuit, qua dicitur, Miſſam non eſſe tantùm ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ſed etiam eſſe ſacrificium propitiationis, tam pro uiuis quàm pro defunctis. cap. 26

LIBRI TERTII.

Afferuntur obiectiones ſeptem, quibus contra ueritates catholicas præcedentibus libris explicatas, nõnulli diſputationis gratia aduerſantur; uel quæ lectorum mentes ſollicitare poſſent. Cap. 1
Referuntur ſeptem Philippi Melanchthonis obiectiones, quas ille contra Miſſæ ſacrificium propitiatorium, non ſine magno errore molitus eſt. cap. 2
Referuntur potiores Caluini argumentationes, quibus ille catholicã de ſacrificio Miſſæ ueritatem labefactare conatus eſt. cap. 3
Prima in ordine obiectio ſoluitur, ac diluitur. cap. 4
Secundæ in ordine obiectioni reſpondetur. cap. 5
Affertur reſponſio contra tertiam oppoſitionem. cap. 6
Soluitur ac diluitur quarta in ordine obiectio. cap. 7
Eliditur quinta obiectio. cap. 8
Soluitur, ac diluitur ſexta in ordine obiectio. cap. 9
Affertur reſponſio ad ſeptimam obiectionem. cap. 10
Reſpondetur quibuſdam Melanchthonis uerbis contra uim ſacri-

ficij Miſſæ, non ſine magno errore, prolatis; & prima eiuſdem obiectio contra Miſſæ ſacrificium propitiatorium, refellitur, ac diſiicitur. cap. 11
Reſponſio affertur ad ſecundam Melanchthonis obiectionē. cap. 12
Refellitur, eliditurque tertia Melanchthonis obiectio. cap. 13
Diſiicitur quarta Melanchthonis obiectio. cap. 14
Confutatur quinta Melanchthonis obiectio. cap. 15
Reſponſio affertur contra ſextam Melanch. obiectionem. cap. 16
Septima & ultima Melanchthonis obiectio euertitur, ac diſiicitur. cap. 17
Refellitur, eliditurque prima Caluini argumentatio contra Miſſæ ſacrificium ab eo conſtructa. cap. 18
Eliditur ſecunda Caluini obiectio. cap. 19
Tertia Caluini obiectio refellitur. cap. 20
Caluini quarta & ultima obiectio eliditur. cap. 21

Capitum indicis finis.

Errata, quanuis nullius ferè momenti, ſic expunges.

1.*b*.3.*rationes*. 44.*a*. 20.*precationes*
121.*b*.26.*ualorē*.129.*a*.11.*ſacramentū*
131.*b*.3.*ſententia*. 147.*a*.20.*probatur*.

REVERENDISS. GASPARIS CASALII LVSITANI, EPISCOPI LEIRIENSIS,

De ſacrificio Miſſæ, Liber primus.

Proponuntur articuli ad Liturgiam Miſſæq́; ſacrificium pertinentes, qui & in dubium à Theologis uocantur, & toto hoc opere explicantur.

CAPVT PRIMVM.

HAVD equidem ſat ſcio, an ſim operæprecium facturus, ſi poſt multos omnium conceſſu doctos, & uerè Chriſtianos Theologos, non ſolùm uetuſtos, ſed & recentiores, qui de Liturgia, ſiue Sacrificio Miſſæ ſcripſerunt, in hanc militiam nomen dare, & eadem de re aliquid memoriæ prodere enitar. Auguſta ſanè piorum Patrum, quorum luminibus omnia collucent, auctoritas, me à ſcribendo deterret, mirumq́ue in modum mihi animum deiicit; dum quæ nouum in re ab aliis rectè pertractata auctorē, afferre oportet, mecum ipſe reputo. Firma ſatis propugnacula, egregiaq́ue præſidia Chriſtiana habet reſpublica, quibus Hæreticorum uim omnem eludat, atq; iniuriam arceat. Verùm cùm in dies malorum uberem prouentum ſuppululare; inteſtinam locis iam penè infinitis perniciē proſerpere; mun-

diq; Principis artes, & ſtratagemata, quibus ille res noſtras ſemper labefactare conatur, non exigua accipere incrementa nemo nonintelligat; iam temporis huius, ſtatusq; rationes poſtulare uidentur, ut è Chriſtiano grege pro ſe quiſque, Eccleſiæ ſuppetias ferre ſtudeat. Eam ob rem, cùm publicis, priuatisq; diſſertationibus, quæ muneris mei ſunt, ſatis, ut uirium tenuitas patiebatur, ſim executus: eaſdem utcunque, ſcribendo nunc partes agam; quò diutius noſtræ ætatis hominibus, atq; etiam poſteritati conſultum ſit (hic enim laborum noſtrorum ſcopus eſt, hos nobis depoſcimus fructus) & Hæreticorum temeritas magis magisq; reprimatur. Eò nanque inſaniæ multi deuenerunt, ut contra ſacroſanctam Euchariſtiam, ac uiuificum Miſſæ ſacrificium oblatrent, confractaq; antiquorum ac rubigine iam confecta arma, recudant. Qui, ſi quæ hìc referenda, in mediumque adducenda ſunt, haud iniquo exulceratoue animo legerint; lethalem (ut ſpero) ueſaniam abigent, ac tandem bonam ad frugem (quod Devs Opt. Max. faxit) redibunt, ac reſipiſcent. Sed iam rem ipſam propius aggrediamur, & problemata ipſa, ſeu Articulos uocatos, quos euentilandos nobis proponimus, unde diſſertatio noſtra ducenda eſt, ſub uno aſpectu, facilioris gratia explicationis, collocemus. Sunt autem infraſcripti.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Miſſa, ſit ſola commemoratio ſacrificij in Cruce peracti, non autem uerum ſacrificium?

Artic. II.

An ſacrificio in Cruce peracto, deroget ſacrificium Miſſæ?

Artic. III.

An illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. ordinauerit Christvs, *ut Apoſtoli offerrent corpus, & ſanguinem ſuum in Miſſa?*

Artic. IIII.

An ſacrificium, quod in Miſſa fit, proſit ſolùm ſumenti; non poſſit autem offerri pro alijs tam uiuis, quàm defunctis; nec pro ipſorum peccatis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus?

Artic. V.

An Miſſæ priuatæ, in quibus ſcilicet ſolus Sacerdos, & non alij communicant, illicitæ ſint, & abrogandæ?

Artic. VI.

An quòd in Miſſa, aqua uino admiſcetur, cum CHRISTI *inſtitutione pugnet?*

Artic. VII.

An Canon Miſſæ, errores contineat, ſitq; abrogandus?

Artic. VIII.

An Eccleſiæ Romanæ ritus, quo ſecretò, & ſubmiſſa uoce uerba conſecrationis proferuntur, damnandus ſit?

Artic. IX.

An Miſſa non niſi in lingua uulgari, quam omnes intelligant, celebrari debeat?

Artic. X.

An abuſus ſit, certas miſſas certas Sanctis attribuere?

Artic. XI.

An cæremoniæ, ueſtes, & ſigna externa, quibus Eccleſia in celebratione Miſſarum utitur, ſint tollenda?

Artic. XII.

An CHRISTVM *pro nobis myſticè immolari, idem ſit, quòd nobis ad manducandum dari?*

Artic. XIII.

An Miſſa, ſit tantùm ſacrificium laudis, & gratiarum actionis? an etiam ſacrificium propitiationis?

Nunc quod ad rem attinet, ut ordine, quantum res patitur, procedatur; primùm reſponſiones ad ſingulos Articulos, per uocatas Concluſiones, afferemus; uocesque haſce, & terminos, Miſſa, & Sacrificium, ſimul, ut par eſt, declarabimus: mox reſponſiones quaslibet, ſeu concluſiones adſtruemus, probabimusque. His peractis, ex multiplicibus, uariisque argumentationibus, contra extructas de Sacrificio Miſſæ ueritates catholicas, obiectiones, quibus eas conuellere nituntur Hæretici, adducemus. Demum eas, quò pacata omnia reddantur, diluemus, atque elidemus.

Veris, catholiciſque aſſertionibus, ſeu Concluſionibus, reſponſiones ad ſingulos articulos afferuntur. CAP. II.

Reſponſio ad primum Articulum.

AD PRIMVM articulum reſpondeo per ſequentes concluſiones. Prima eſt, Miſſa eſt uerum ſacrificium, & non eſt ſola commemoratio ſacrificij in Cruce peracti; nec ſolùm eſt uerum ſacrificium; ſed etiam eſt propriè ſacrificium. Secunda eſt, Saluator noſter obtulit ſeipſum in ſacrificium uerum, & proprium Patri in ultima cœna, ſub ſpeciebus panis, & uini. Tertia eſt, Saluator noſter obtulit ſe in cœna modo prædicto, non ſolùm per modum hoſtiæ pacificæ, aut holocauſti, ſed etiam per modum hoſtiæ pro peccato: in ſacrificium propitiatorium.

Reſponſio ad ſecundum artic.

Ad ſecundum articulum reſpondeo per ſequentes concluſiones. Prima eſt, Sacrificium Miſſæ, nullo modo derogat ſacrificio in Cruce peracto. Secunda eſt, Sacrificium Miſſæ potius eſt ſacrificio in Cruce peracto conformiſſimum, & quaſi inſtrumentum, quo fructus ſacrificij in Cruce peracti ad nos perueniat. Ex declarationibus, & probationibus harum concluſionum conſtabit per conſequens, iſtud mirabile ſacrificium Euchariſtiæ, inſtitutum eſſe à CHRISTO, & nobis datum, in adiutorium: non ſacrificij Crucis erga nos, ſed noſtri erga ſacrificium Crucis; ut nos per hoc abundantius fructus illius eſſemus participes.

Reſponſio ad tertium artic.

Ad tertium articulum ita reſpondeo, CHRISTVS Saluator noſter, illis uerbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; ordinauit ut Apoſtoli offerrent Corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa.

Reſponſio ad quartum artic.

Ad quartum articulum reſpondeo per ſequentes concluſiones. Prima eſt, Sacrificium, quod in Miſſa fit, ut ſacrificium, & ſacramentum ſimul, prodeſt CHRISTI fidelibus ſumentibus Euchariſtiam ſacratiſsimam: non ſumentibus tamen prodeſſe poteſt per modum ſacrificij tantùm. Secunda eſt, Hoc diuinum ſacrificium poteſt offerri etiam pro non ſumentibus, pro peccatis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus fidelium uiuentium; etiam & pro defunctis.

Reſponſio ad quintum artic.

Ad quintum articulum reſpondeo, Miſſæ priuatæ, in quibus ſcilicet ſolus ſacerdos, & non alij communicant, licitæ ſunt, iuſtæ, ac ſanctæ, multiſque aliis etiam proſunt, & nequaquam ſunt abrogandæ, ſed potius ſunt ualde commendandæ.

Reſponſio ad ſextum artic.

Ad ſextum articulum reſpondeo per ſequentes concluſiones. Prima eſt, Quòd in Miſſa, aqua uino admiſcetur, nullo modo pugnat cum CHRISTI inſtitutione, quin potius cum illa magis conuenit, & ratione rei, & ratione myſterij. Secunda eſt, Permiſtio ſeu admiſtio aquæ, non eſt de neceſsitate ſanctiſsimi ſacramenti Euchariſtiæ, ſed fit & præcepta eſt, ob iuſtas, rationabiles, honeſtaſque cauſas, ſeu rationes.

Reſponſio ad ſeptimum artic.

Ad ſeptimum articulum reſpondeo per ſequentem concluſionem. Canon Miſſæ, nullum continet errorem, ſed totus continet ueritatem, atque pietatem; & ideo ullo modo, nec in uniuerſum, nec ex parte eſt abrogandus.

Reſponſio ad octauum artic.

Ad octauum articulum reſpondeo per ſequentem concluſionem. Ritus Eccleſiæ Romanæ, quo ſecretò, & ſubmiſſa uoce uerba conſecrationis proferuntur; bonus eſt, ac pius, & laudandus, obſeruandus, & nullo modo damnandus.

Reſponſio ad nonum artic.

Ad nonum articulum reſpondeo, Miſſa optimè, iuſtè, ac ſanctè celebratur lingua Latina ſecundum ritu m Eccleſiæ Romanæ: & errant qui dicunt, eam non niſi uulgari ſermone, quem omnes intelligant, eſſe celebrandam.

Reſponſio ad decimum artic.

Ad decimum articulum reſpondeo, Non eſt abuſus, ſed laudabilis conſuetudo, & utilis, certas Miſſas certis ſanctis attribuere.

Reſponſio ad undecimum artic.

Ad undecimum articulum reſpondeo, Non ſunt tollendæ cæremoniæ, ueſtes, & ſigna externa, quibus Eccleſia in celebratione Miſſarum utitur: ſed potius ſunt hæc omnia & laudanda, & obſeruanda.

Reſponſio ad duodecimum artic.

Ad duodecimum articulum reſpondeo, CHRISTVM pro nobis myſticè immolari, non eſt idem quod nobis ad manducandum dari: quin potius immolatio eſt actio ſeiuncta ac ſepoſita ab ipſa manducatione, & ab ipſa porrectione qua nobis ad manducandum porrigitur ſacramentum.

Reſponſio ad decimumtertium artic.

Ad decimũtertium artic. ſic reſpondeo, Miſſa non eſt tan tùm ſacrificium laudis & gratiarũ actionis: ſed etiam eſt ſacrificium propitiationis, tam pro uiuis quàm pro defunctis.

De origine huius nominis Miſſa, deq; eius ſignificatione. *Cap.* III.

Quia ut conſtat ex dictis, & latius conſtabit ex dicendis, hîc utimur duobus his uocabulis, nominibus, ſeu terminis, Miſſa, & Sacrificium: alterumq; enuntiamus de altero, ipſis nõ materialiter (ut dicitur) ſed ſignificatiuè ſumptis; ut dum dicimus, Miſſa eſt ſacrificium, prædicantes, & affirmantes quòd à parte rei, ea res quæ eſt Miſſa, eadem realiter eſt ſacrificium: operæpretium nobis uiſum eſt, ſi hoc loco poſt concluſiones reſponſiuas, & ante rationes, quæ eas concluſiones probant, de his duobus terminis, ſeu nominibus nõ nihil diceremus. Placet igitur de illis aliquid in medium afferre, eo ordine, quo enuntiatio ipſa componitur, aut profertur: ut prius dicamus de ſubiecto, id eſt, de Miſſa; poſterius de prædicato, id eſt, de Sacrificio. Aduertentes in primis, id quod ex ſequentibus erit notum; non eſſe noua, nec fuiſſe patribus antiquis incognita hæc duo uocabula; quin potius ea in ſacris literis reperiri, & patres eis uſos fuiſſe.

Quantum igitur ad Miſſam pertinet, ſunt qui exiſtimant huiuſmodi uocabulum eſſe Latinum, ab eo ſumptum, quòd olim ſolebat fieri cum Catechumenis, in celebratione huius diuini myſterij, quod nunc & Miſſam & ſacrificium appellamus, uerè, ac propriè. Mos enim erat, quem refert Dionyſius Areopagita in De Eccleſiaſtica Hierarchia, ut dum ſacerdos celebraturus eſſet, Catechumeni, Energumini, & pœnitentes, admitterentur ad decantationes pſalmorum, ac lectionem ſanctarum ſcripturarum: poſtea uerò ante myſteriorum celebrationem, extra delubrum abducerentur, ſuo tempore. Cuius rei, id eſt, expulſionis horum, idem

Diony. ca pi. 3. parte 2.

Cap. eod. part. 3. ſanctus doctor paulò pôſt, rationes bonas, atque optimas adducit. Quaſi dum Diaconus illis exituris diceret, Ite, Miſſa eſt. hoc uoluiſſet ſignificare. Sacræ oblationis, cui uos intereſſe non licet, iam eſt exordium, ideò ſecedite. Igitur iſte mos fuit in Eccleſia Dei, cuius apud Auguſtinum frequens mentio eſt; & de quo ſatis conſtat ex multis, atque apud multos.

Iſidorus. Remig. Iſidorus in lib. De officiis, & Remigius in libro de officiis Miſſæ, ubi citat Iſidorum, dicunt, Miſſam dictam eſſe ab emittendo, eo quòd ante conſecrationem dicendum eſt à Diacono poſt Euangelium, ſiquis Catechumenus adeſt, egrediatur foras. Et hinc fortè uſu uenit, ut nos idem uerbum modò dicamus in fine totius celebrationis, multis, & ferme omnibus diebus anni: prout de re huiuſmodi habetur regula manifeſta in libro Miſſali.

Hugo, libro 2. parte 8. capi. 14. Hugo in De ſacramentis ita docet, Miſſa dicitur Hoſtia, & oblatio, quæ per ſacerdotem, qui inter Deum, & populum mediator eſt, ad Deum tranſmittitur.

Magiſter lib. 4. diſtin. 13. Magiſter ſententiarum de hoc inquit, Miſſa enim dicitur, eo quòd cæleſtis nuntius ad conſecrandum uiuificum corpus adueniat: iuxta dictum ſacerdotis dicentis, Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, &c.

Idē abundantius. lib. eod. diſt. 24. Idem Magiſter, Miſſa autem dicitur, uel quia Miſſa eſt Hoſtia, cuius commemoratio fit in illo officio: unde dicitur, Ite Miſſa eſt, ideſt, ſequimini Hoſtiam, quæ Miſſa eſt ad cæleſtia, tendentes poſt eam: Vel quia miſſus cæleſtis uenit ad conſecrandum dominicum corpus per quem ad altare cæleſte defertur Hoſtia. Vnde & dicitur, Miſſa eſt.

S. Tho. parte 3. q6. 83. artic. 4. ad nonū argum. Sanctus Thomas ſic de eadem re loquitur, Et propter hoc etiam, Miſſa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per Sacerdotem: Vel quia CHRISTVS eſt Hoſtia nobis Miſſa à Deo. Vnde & in fine Miſſæ Diaconus in feſtiuis diebus populum licentiat, dicens, Ite, Miſſa eſt. ſcilicet Hoſtia ad Deum per Angelum: ut ſcilicet ſit Deo accepta. Hæc ille. Declarat ibi, quis Angelus ille ſit, & quo modo iſta omnia intelligantur dici; ſed hæc de his ſufficiunt, tum quia ſatis nota ſunt, tum quia apud doctores facilè reperiri poſſunt, uideri, intelligi, ac percipi, mente munda, & pia. Qui ita tradunt,

dunt; partem uidentur ſentire, aut firmiter ſentiunt hoc uocabulum, Miſſa, eſſe Latinum.

Nomen Miſſa, eſt Latinum, ſecũdum aliquos.

Alij exiſtimant quòd nomen, Miſſa, quo iam inde à temporibus Apoſtolorum uſi ſunt ſcriptores Eccleſiaſtici, ſonat Hebraicè, oblationem: Et ſententiam iſtam ita adſtruunt, ex multis aliis, & pro Ioan. Capnionis ſententia; qui ut refert Epiſcopus Roffenſis, dicit hoc nomen, neque Græcum eſſe, neque Latinum, ſed Hebraicum: ſicut Paſcha neque Græcum eſt, neque Latinum, ſed ab Hebræis mutuatum. Idem docet Miſſam ſignificare oblationem ſpontaneam, & in Deuteron. Hebraicè legi Miſſam, ubi noſter interpres uertit, oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Dei tui. Quod etiam notauerunt Ruardus Tapper in ſua Explicatione, &c. & magiſter Dominicus Soto in ſuo. 4. ſententiarum, & Antonius Monchiacenus in ſua Propugnatione religionis, Tomo 2. capi. 1.

Nomen, Miſſa. eſt Hebraicum, ſecũdũ alios.

Io. Capn. Epiſ. Roffenſis.

Deut. 16. Ibi enim habetur nomen, מִסַּת

Ruardus. tomo 2. Art. 16.

Dominicus Soto. lib. 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 1.

Quicquid tamen ſit de hac controuerſia, ſiue hoc nomen, Miſſa, ſit Latinum purè, ſiue purè Hebraicum, ſiue iam ſit Latinum ab Hebræis mutuatum, & in parte mutatum: quidem nomen eſt apud patres frequentatiſsimum, & in ſancta Eccleſia ualde celebratum, pro eo quod eſt, ſacrificij oblatio. Vt omnes dicamus, Miſſam eſſe ſacrificij oblationem, ipſumque ſacrificium. His accedit, quòd ex uſu, & antiquiſsimo, & generaliſsimo, iſtud nomen, Miſſa, ſignificat utique primum oblationem ſacrificij: ſed deinde quaſi comprehenſim, ſignificat etiam omnia quæ in ipſo actu offerendi, ſeu celebrandi ſunt, aut fiunt; tum antecedenter, tum conſequenter ad ipſam ſacrificationem. Quo modo dicimus Sacerdotem eſſe iam in Miſſa, dum dicit introitum: & iterum dicimus, illum eſſe adhuc in Miſſa, dum dicit, poſt communionem. Ob conſuetudinem hanc, & modum loquendi iam receptiſsimum, dixit Ruardus Tapper, Hîc aũt ubi de re ipſa agimus, nomine, Miſſæ, intelligimus totum illum cæremoniarum, lectionum, & orationum decurſum, quæ conſecrationem, & oblationem ſacræ Euchariſtiæ præcedunt, & ſequuntur unà cum eius participatione. Nam diuidi ſolet Miſſa in præparationem populi

Ruardus vbi ſupra.

B

& materiæ conſecrandæ, Euchariſtiæ conſecrationem, & oblationem, & eius communionem totiuſque myſterij concluſionem. Propter quam rem etiam dixit Dominicus Soto, Immo iam uſus obtinuit, ut omnes Sacramenti ſolennitates, nimirum lectiones Epiſtolarum, & Euangeliorum, & orationes comprahenſim, ſignificet. ut c. Miſſas totas, legitur. & can. In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur. de conſecrat. diſtin. 2. & can. Iacobus. diſtinct. j. Hæc ille.

Dominicus Soto. vbi ſupra.

De conſecra.diſt.2. Diſt. 1.

Cæterùm de antiquitate & cognitione huius uocis, Miſſa, inferius affatim dicetur.

De Sacrificio, & diuerſis ſacrificiorum generibus. C A P. IIII.

NObis de Sacrificio acturis, id occurrit primùm, ut à communiſsimo, & generaliſsimo, & ante omnem diuiſionem, abeo, quod notúm eſt apud omnes, uel ſaltem apud omnes notum eſſe debet, exordiamur; quod eſt; Vnum Deum eſſe colendum, qui eſt unus ſolus Deus noſter Chriſtianorum, & omnium hominum, & Angelorum. Non quaſi propoſitio hæc, ſeu ueritas, ſit per ſe nota quo ad nos homines uiatores huius ſæculi, & in hac carne mortali: ſed quia eſt per ſe nota quoad ſe: & quia talis eſt, ut per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta, poſsint homines Dei ope ſuffulti in eius cognitionem uenire. Hanc ueritatem tanquam indubitabilem, poſuit, & ſuppoſuit Auguſtinus in De Ciuitate Dei, de uno Deo colendo ab omnibus. De hoc autē cultu, quem debemus uni Deo, tanquam de ſeruitute ei debita, declarando in eo cultu, & in ea ſeruitute duo genera ſacrificiorum, dicit idem Auguſtinus in ſequentibus, Huic uidelicet Deo, de quo dixerat ſtatim, nos ſeruitutem, quæ Latria Græcè dicitur, ſiue in quibuſque Sacramentis, ſiue in nobis ipſis debemus. Huius enim templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus: quia & omnium concordiam, & ſingulos in habitare dignatur: non in omnibus, quod in ſingulis maior, quoniam nec mole diſtenditur, nec partione minuitur. Hæc ille. Declarauit quomo-

Auguſtinus li.10. cap.3. tomo 5.

ibidem cap. 4.

do ſeruitutem, ſeu cultum Deo reddimus in Sacramentis: quia uidelicet ſacris aſtantes, & ut præmonemur, ſurſum corda eleuantes, placamus Patrem, Sacerdote Filio, ſacrificium offerente: uel certè nos cum Sacerdote agente ſacra, placemus eius unigenito. Declarauit etiam quomodo ſeruitutem, ſeu cultum Deo reddimus in nobis ipſis: quia ſcilicet ei cruentas uictimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro eius ueritate certamus: & ſuauiſsimum adolemus incenſum, cum in eius conſpectu, pio, ſanctoque amore flagramus: ei dona eius in nobis, noſque ipſos uouemus & reddimus, ei beneficiorum eius ſolennitatibus, feſtis, & diebus ſtatutis dicamus, ſacramuſque memoriam, ne uolumine temporum ingrata ſubrepat obliuio, ei ſacrificamus Hoſtiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruidæ charitatis. Ad hunc uidendum, ſicut uideri poterit, eique cohærendum, ab omni peccatorum & cupiditatum malarum labe mundamur, & eius nomine conſecramur. Ipſe enim fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Hunc eligentes, uel potius religentes (amiſeramus enim negligentes) hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perueniendo quieſcamus: ideo beati, quia in illo fine perfecti. Bonum enim noſtrum, de cuius fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quàm illi cohærere, cuius unius anima intellectualis incorporeo (ſi dici poteſt) amplexu, ueris impletur, fæcundaturque uirtutibus. Hoc enim bonum diligere, in toto corde, in tota anima, & in tota uirtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, & à quibus diligimur duci, & quos diligimus, ducere. Sic complentur illa duo præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ. Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; & diliges proximum tuum, tanquam te ipſum. Hæc ille. Infra, Nam, ut alia nunc, taceam, quæ pertinent ad religionis obſequium, quo colitur Deus, ſacrificium certè nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi Domino ſoli. Infra, Quis uerò ſacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit? Quam porrò antiquus ſit in ſacrifican-

Ma.th.22

ibidē paulò pòſt.

ibidē paulò pòſt.

do Dei cultus, duo illi fratres, Cain, & Abel, ſatis indicant; quorum maioris Deus reprobauit ſacrificium, minoris aſpexit. Ecce declarat quòd duobus modis ſacrificamus Deo uero, prout duobus modis illi ſeruimus, aut debitam ſeruitutem Latriam præſtamus: in ſacramentis, uel in nobis ipſis. Declarat quòd ſacrificium, eſt quidam cultus ſoli Deo debitus: atque rurſus, quòd cultus Dei in ſacrificando, eſt antiquiſsimus, quia ab origine mundi. Idem
ibidem cap. 5. auctor in ſequentibus agit de eo quòd nullis uſibus Dei neceſſaria ſunt, quæ in ſacrificiis offeruntur; tandemque aſſerit, quòd ſacrificium uiſibile: inuiſibilis ſacrificij Sacramentum, id eſt, ſacrum ſignum, eſt. Agit de ſacrificio in-
Pſal. 50. uiſibili, quod eſt, Spiritus contribulatus, & cor contritum.
Atque exponens quod Dominus per Prophetam dicit, Mi-
Oſeæ. 6. ſericordiam magis uolo quàm ſacrificium. ait, Nihil aliud, quàm ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi; quoniam illud quod ab hominibus appellatur ſacrificium, ſi-
ibidem gnum eſt ueri ſacrificij. Hæc ille. Infra etiam quaſi defi-
cap. 6. niens, ita dicit, Proinde uerum ſacrificium, eſt omne opus, quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo; relatum, ſcilicet ad illum finem boni, quo ueraciter boni eſſe poſsimus. Vnde & ipſa miſericordia, qua homini ſubuenitur, ſi propter Deum non fit, non eſt ſacrificium. Et ſi enim ab homine fit, uel offertur; tamen ſacrificium, res diuina eſt: Ita ut hoc quoque uocabulo, id Latini ueteres appellauerint. Vnde ipſe homo, Dei nomini conſecratus, & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, ut Deo uiuat, ſacrificium eſt. Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in ſeipſum facit. Propterea ſcriptum eſt, Miſerere animæ tuæ placens Deo. Corpus etiam noſtrum, cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum debe-
Rom. 6. mus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ Deo; ſa-
Rom. 12. crificium eſt. Ad quod exhortans Apoſtolus ait, Obſecro itaq; uos fratres per miſericordiã Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra Hoſtiam uiuam, ſanctã, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquam famulo, uel tanquam inſtrumento utitur anima, cum

eius bonus, & rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt: quanto magis anima ipſa, cùm ſe refert ad Deum, ut igne amoris eius accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ ſubdita, reformetur: hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit ſacrificium. Hæc ille. In quibus omnibus, nulla prorſus ex parte huic noſtro diuino ſacrificio Euchariſtico præiudicauit, quin potius de illo, illiusq; comprobatione in aliis locis penè infinitis multa dixit, ut ex eius dictis multis, & manifeſtis quæ à nobis adducentur, conſtabit. In his autem ſatis prodeſt dum ſacrificia diſtinguit, ſacrificij antiquitatem oſtendit, & ſecundum quandam communem latiſsimamque uocabuli ſignificationem ſacrificium definit.

Sanctus Thomas de ſacrificio ita inquit, Dicendum, quòd ſacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum, ad eum placandum. Et inde eſt, quòd Auguſtinus dicit in De Ciuitate Dei, uerum ſacrificium eſt, omne opus quod agitur, ut charitate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo ueraciter boni eſſe poſſumus. Hæc ille. Idem auctor alibi de hac re & clarius, & fuſius tractaturus; mouet quæſtionem, utrùm oblatio ſacrificij, ſit ſpecialis actus uirtutis? Reſpondet ſecundum partem affirmatiuam quæſtionis, quòd ſic. Idque eo probat, quia in lege ſpecialia præcepta de ſacrificiis dantur; ut patet in principio Leuitici. Explicatius aũt dicit, Quando actus unius uirtutis ordinatur ad finem alterius uirtutis, participat quodammodo ſpeciem eius: ſicut cùm quis furatur, ut fornicetur, ipſum furtum accipit quodam modo fornicationis deformitatem: ita quòd, ſi etiam aliàs non eſſet peccatum, ex hoc iam peccatum eſſet, quòd ad fornicationem ordinatur. Sic ergo ſacrificium eſt quidam ſpecialis actus laudem habens ex hoc, quòd in diuinam reuerentiam fit, propter quod ad determinatam uirtutem pertinet, ſcilicet ad religionem. Contingit autem & ea quæ ſecundum alias uirtutes fiunt, in diuinam reuerentiam ordinari: puta, cùm aliquis eleemoſynam facit de rebus propriis propter Deum, uel cùm aliquis proprium corpus alicui afflictioni ſubiicit propter diuinam reuerentiam. Et ſecundum hoc,

S.Thomas par.3.q.48.art.3.

Auguſtinus li.10. cap.6. tomo 5.

S.Thomas Secũda 2. quæſt.85. art.3.

etiam actus aliarum uirtutum, ſacrificia dici poſſunt. Sunt tamen quidam actus, qui non habent ex alio laudem, niſi quia fiunt propter reuerentiam diuinam. Et iſti actus propriè ſacrificia dicuntur, & pertinent ad uirtutem religionis. Hæc ille. Ecce generaliter loquendo, Omnis actus humanus laudabilis ordinatus in diuinam reuerentiam, dicitur, & eſt, latiore modo loquendo, ſacrificium: & ex iſta ordinatione iam pertinent tales actus ad uirtutem dictam, religionem. Licet aliàs pertineant ad alias uirtutes. Propriè autem loquendo, & ut magis oportet nos loqui, quoties de rebus diſtinctius, aut formalius loqui uolumus, Sacrificium, eſt omnis, & ſolus actus humanus laudabilis, ordinatus in diuinam reuerentiam, & inde ſolùm habens laudem. Addit his ſanctus Thomas, quòd ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas, aliquid fit; ſicut quod animalia occidebantur, & comburebantur; quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur; & quod, hoc ipſum, nomen ſonat. Nam, ut etiam inquit, ſacrificium dicitur, ex hoc, quòd homo facit aliquid ſacrum. Oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circa ipſum fiat: ſicut dicuntur offerri denarij, uel panes in altari, circa quos nihil fit. Vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non conuertitur. Primitiæ autem, oblationes ſunt, quia Deo offerebantur, ut legitur Deuter. 29. Non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa eas fiebat. Decimæ autem, propriè loquendo, non ſunt ſacrificia, neque oblationes: quia non immediatè Deo, ſed miniſtris diuini cultus exhibentur. Hæc ille.

Sacrificiũ largè.

Sacrificiũ propriè.

ibidem ad 3. arg.

Ita hi doctores ſancti diſſerunt de ſacrificio, & ita etiam omnes alij: omneſque ex diuinis ſcripturis, ratione naturali, ac longa rerum experientia edocti, confitentur, eam doctrinam eſſe ueriſsimam, quæ docet diuerſa eſſe fuiſſeq; ſemper ſacrificiorum genera; quia uidelicet alia latiore modo accipiendo uocabulum, alia ſi accipiamus ſtrictè, aut propriè: alia ſpiritalia, ſiue interna, quæ fiunt in nobis, alia externa, quæ per res exteriores exercemus.

Semper enim fuit cognitum hominibus, hominem debere ordinari ad Deum per debitum latriæ cultum, tenerique

reddere illi hanc latriæ ſeruitutem, in Dei reuerentiam, & in recognitionem ſupremi dominij. Nec unquam fuit minus cognitum hominibus, debere iſtum cultum Dei fieri aut exerceri ab homine, tum primùm per actus internos ipſius hominis, prout dicit Auguſtinus in Enchirid. Fide, ſpe, charitate colitur Deus; tum ſecundariò per actus externos, qui eſſent quædam proteſtationes interioris cultus. Secundum hos duos Deum colendi modos, ubique locorum & omnibus temporibus notiſsimos, fuerunt ſemper duo genera ſacrificiorum; alterum pertinens ad cultum internum, quod dicitur, & eſt ſacrificij interni, ſeu ſpiritalis: alterum pertinens ad cultum externum, quod dicitur, & eſt ſacrificij externi, ſeu corporalis, aut ſenſibilis. Non eſt dubium de interno ſacrificio, aut ſacrificiorum genere, quin ſemper fuerit; & ſimiliter neque poteſt eſſe dubium quin fuerit ſemper ſacrificium externum. Conſtat enim de hoc externo ſacrificio, in ſacrificiis externis, Cain, Abel, Abraham, Iob, & aliorum multorum, penè infinitorum, quos memorat ſcriptura diuina: conſtatque idem ex multis ſacrificiorum externorum generibus, quibus Deus optimus Maximus, populum illum Hebræorum, filios Iſraël onerauit, ob rationes multas, & optimas. Fuerunt autem multa huiuſmodi ſacrificia externa in ueteri lege, holocauſtorum, Hoſtiæ pacificæ, Hoſtiæ pro peccato, iugis ſacrificij, & cætera. Tum, quia fuerunt inſtituta ad reuocandum Iudæos ab idolatria, ad quam procliues erant: ob quam rationem fuerunt multitudine ſacrificiorum onerati, ut eis ocij ad immolandum idolis nihil ſupereſſet; utq; magis ab idololatria abducerentur, fuerunt eis iniuncta ſacrificia alia à ſacrificiis idolorum, & frequenter contraria. Tum, quia fuerunt inſtituta ut Iudæi in cultu unius Dei exercerentur, & per tale frequens exercitium, habitus in eis generaretur, quo ad Dei cultum delectabiliter adducerentur. Ad hæc quia ſacrificia ueteris legis, fuerunt figura unius ueri, perfectiſsimique ſacrificij noſtri nouæ legis, uidelicet CHRISTI Saluatoris noſtri in ara Crucis immolati. Illud autem, quod eſt perfectum, per unum, uel pauca imperfecta non poteſt ſatis repræſentari. Ideo ſicut perfectio diuina, unica exiſtens in

Auguſtinus Enchirid.

Leuiti. 1. 2. 3. 4. & cætera.

perfectionibus creaturarum, uariè, & multipliciter repræſentatur: ſic decens fuit, ut ſacrificium noſtrum perfectiſsimum, per multa & uaria ſacrificia in ueteri lege figuraretur: quia illa erant imperfecta, & non poterant exactè repræſentare perfectum. Fuerunt igitur in ueteri teſtamento illa duo genera ſacrificiorum,pertinentia ad prædictos duos modos colendi Deum.

Sunt etiam profectò in nouo teſtamento ij duo modi colendi Deum, & ſunt ſimiliter duo genera ſacrificiorum. Quia eſt ſacrificium ſpiritale internum, quod exercemus in nobis ipſis, aut de rebus noſtris: & eſt ſacrificium externum à Saluatore noſtro mirabiliter, ac miſericorditer inſtitutum, in quo ſub ſpeciebus panis, & uini ſecundum ordinem Melchiſedech, offerimus Deo æterno Patri, eandem crucis Hoſtiam: id eſt, ipſum eundem Saluatorem noſtrum, modo incruento, qui in Cruce obtulit ſemetipſum modo cruento. Ambos iſtos modos offerendi & ambo iſta duo genera ſacrificiorum recognoſcimus in Eccleſia Chriſtiana; ambos iſtos nobis exprimunt, & commendant diuina eloquia, & ambos ſemper confeſsi ſunt omnes patres, & ſanctiſsimi, & antiquiſsimi: & quidem non aliunde, quàm ex diuinis ſcripturis noui, ac ueteris teſtamenti: In hac beata ſatis, & quodam modo glorioſa poſſeſsione ſumus: dabit Dominus, ut in finem uſque, illam cum magna laude, honore, ac merito conſeruemus.

De pernicioſo eorum errore, qui CHRISTVM *in Euchariſtiæ ſacrificio negant.* *CAP. V.*

POſt declarationem horum terminorum, nominum aut uocabulorum, Miſſa, & Sacrificium, tempus eſt ut ad probationes prædictarum concluſionum accedamus; ſi tamen prius oſtenderimus quàm grauiter errent, qui hoc ſacrificium noſtrum Chriſtianum, externum corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu CHRISTI, ſub ſpeciebus panis & uini ſecundum ordinem Melchiſedech, impiè negant. Sunt enim, qui noſtra hac infælíciſsima tempeſtate, audent

negare hoc & diuinum, & manifeſtum ſacrificium; loquentes contra totam diuinam ſcripturam ueteris teſtamenti, quæ ante aduentum Saluatoris noſtri, iam nobis hoc ſacrificium pollicebatur futurum; & contra ipſum noſtrum Saluatorem, qui hoc ipſum ſacrificium inſtituit, atque celebrandum, & ob ſeruandum præcepit. Inſuper loquentes contra uniuerſum ſtatum totius religionis Chriſtianæ à qua conantur auferre hoc, quod habet unicum, & uiuificum ſacrificium externum, illius unici, & uiuifici ſacrificij in Cruce peracti (ita dixerim) memoratiuum, quodq́ue omnes uirtutes cunctorum aliorum ſacrificiorum præcedentium continet. Vt ſit hic nouorum aduerſariorum error, maximè admirandus, & uituperandus, uelisq́ue, ut dicitur, remisq́ue fugiendus: quippe qui cum CHRISTI inſtitutione, atque cum tota ſcriptura noui, ac ueteris teſtamenti pugnet, uniuerſum ſtatum religionis Chriſtianæ euertat & à nobis Chriſtianis noſtrum hoc ſolamen auferre moliatur. Non parum enim hoc nos conſolatur, quod ſacram Euchariſtiam non ſolùm per modum ſacramenti: quin potius ſacramenti, & ſacrificij habemus, ut nobis ſacramentum, & ſimul ſacrificium exiſtat. Vtroque enim modo habet effectus mirabiles, & utroque modo nobis prodeſt. Nec eſt aliud confiteri ſacram Euchariſtiam eſſe ſacramentum, & negare illam eſſe ſacrificium, quàm inſtitutionem eius, ac uirtutem ignorare, & illam minoris uirtutis, minorisq́ue efficaciæ, reddere; quantum eſt ex parte ipſorum aduerſariorum qui ita eam diducunt. Quandoquidem ea in ſe, ſemper eſt, quæ, quanta, & qualis eſt; altiſsima, excellentiſsima, diuina, ſacramentum, ſacrificium; ſacrificij in Cruce peracti nos admonens; ſed etiam in ſe ſacrificium uerum, ac proprium. Aduerſarij noſtri Iudæi negant CHRISTVM in ſacrificio Crucis, & aduerſarij noſtri Neochriſtiani negant CHRISTVM in ſacrificio Euchariſtiæ: atque ſic poſitus eſt eis CHRISTVS in ſignum, cui contradicunt, & factus eſt eis ob eorum culpam, lapis offenſionis. Nos autem Chriſtiani antiqui, & catholici, utrobique confitemur CHRISTVM, Dei uirtutem, & Dei ſapientiam: ut ſit ipſe nobis in reſurrectionem, ſalutem, iuſtificationem, & gloriam. Et ut quem-

admodum ipſe CHRISTVS Dominus noſter factus eſt nobis
1. Cor. 1. ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, quantum ſatis ſit; ita fiat nobis quotidie magis atque magis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, quantum ad efficaciam, ſiue efficientiam, & in particulari. Negant igitur aduerſarij noſtri Iudæi ſacrificium CHRISTI in cruce, & negant aduerſarij noſtri Neochriſtiani ſacrificium CHRISTI in Euchariſtia. Sed nos utrunque recognoſcimus, &
Rom. 10. utrobique unum & idem eſſe ſacrificium quantum ad Hoſtiam, & uictimam, corde credimus ad iuſtitiam, ore autem confitemur ad ſalutem. Eadem Hóſtia eſt, eademque uictima utrobique, CHRISTVS Dominus noſter: ſed modus offerendi eſt diuerſus, ut neminem latet, fuitque ſemper ueris Chriſtianis perſpicuum. Quia in cruce obtulit ſe Dominus noſter per ſeipſum ſolum, modo cruento, ſanguinem effundens, ita ut trucidaretur: nunc autem in ſacra Euchariſtia offert ſe idem Dominus noſter primariò, & maximè, ſed etiam ſimul per ſuos miniſtros Sacerdotes, modo incruento citra ſanguinis effuſionem, citraque mortem. Quæ certè nimis magna eſt Saluatoris noſtri gratia, contra quam errant grauiſsimè, qui ſacrificium CHRISTI è ſacra Euchariſtia ſemouere, atque amoliri impiè conantur: unam enim è maximis CHRISTI gratiis erga nos negant, eamque dum inficiantur, ingratitudine proſequuntur. Altera gratia CHRISTI eſt, quòd ſeipſum nobis reliquit in ſacra Euchariſtia manducandum: Alia uerò quòd ſeipſum nobis reliquit in ſacra Euchariſtia offerendum. Quidam aduerſarij noſtri utramque de medio tollere nituntur, negantes CHRISTI quam noſtri dicunt, exiſtentiam realem in ſacra Euchariſtia, ut negauit Oecolampadius, negatque Caluinus: contra quos nos iam multa diximus, cum de Vſu calicis Dominici ageremus, circa determinanda in quinta Seſsione. Alij aduerſarij noſtri concedunt primam gratiam iſtarum duarum, negantque ſecundam; ut Lutherus, eiuſque aſſeclæ: contra quos, atque etiam contra eos, qui ipſis non ſine magno errore aſſentiuntur, eamque negationem amplexantur, nos modò manum conſerere præcipuè decreuimus. Sumus enim, diuino cæptis aſpirante

numine, ex ſacris literis ſanctisque, & probatæ fidei Doctoribus oſtenſuri noſtram Miſſam uerè, ac propriè eſſe ſacrificium; Saluatoremque noſtrum ſeipſum nobis in ſacra Euchariſtia manducandum reliquiſſe quidem, & pariter offerendum, ut cognoſcamus, nos debere illi uni ambas has gratias, illisque utamur cum gratiarum actione, in ſalutem animarum noſtrarum.

Genus quoddam eſt errandi contra CHRISTI gratias, eas ignorare: ſed genus aliud eſt errandi contra CHRISTI gratias, grauius, atque fœdius, eas cunctis ſæculis cognitas & à ſanctis Patribus prædicatas, atque commendatas, negare. An'non eſt magna gratia CHRISTI, quòd ſe ipſum nobis in ſacra Euchariſtia reliquit offerendum, ſub ſpeciebus panis, & uini? Profectò magna eius eſt gratia. Sicut magna gratia CHRISTI eſt abſque dubio, quòd ſeipſum nobis reliquit in ſacra Echariſtia ſub ſpeciebus panis, & uini manducandum. Vtrunque enim nobis cedit, & eſt in magnum bonum, & magnum lucrum: quia utroque modo ſacra Euchariſtia habet effectus ſpiritales magnos, quos in noſtris animabus operatur, uel potius ipſemet CHRISTVS in ea oblatus, & in ea manducatus. Ergo contra huiuſmodi gratiam errant, qui eam ignorant; magisque contra illam errant, qui eam negāt. Profectò tempus eſt, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Dicunt aduerſarij, CHRISTVS non fecit nobis hoc, ut ſe ſub ſpeciebus panis & uini reliquerit offerendum. Dicimus nos illis, Quid, ſi CHRISTVS hoc nobis fecit? An'non eſt hæc magna gratia eius, ſi id fecit nobis? Eſt quidem. Nec poteſt eſſe, ut aliquis Chriſtianus intellectus hoc neget, aut de hoc dubitet; ſaltem ſi quouis modo ſciat, quid ſit gratia. Statuamus ergo firmiter, quòd ſi CHRISTVS hoc nobis fecit, hæc gratia eſt magna ipſius erga nos; & quòd, qui hoc negant, negant hanc magnam CHRISTI gratiam, contraque illam agunt. Namque quòd CHRISTVS Dominus noſter, hoc fecerit nobis; eſt quod nos probandum, oſtendendum, demonſtrandumque ſuſcepimus. Fecit enim hoc nobis ſine dubio, ut tum ſacræ literæ, tum ſancti Doctores ſatis manifeſtè tradunt.

Errant igitur aduerſarij, & contra ſacram Euchariſtiam,

& contra CHRISTI gratiam, dum negant ſacram Euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Nec ſolùm ita grauiter errant id negantes, quin potius hos ſuos errores alio errore locupletant in eo, quòd ſimul diuinum cultum eleuant minuuntque. Sacrificium enim, ad cultum Dei pertinet per ſe. Quòd ſi dixerint aduerſarij, nos colere Deum in Sacramentis, & ſic etiam in ſacra Euchariſtia, prout eſt Sacramentum: Reſpondemus, Nemo dubitat, nos colere Deum in Sacramentis: Sed neque dubitari poteſt, quin alio modo colamus Deum in ſacrificiis. Sacrificia enim pertinent ad Dei cultum tanquam immediatè; utpote quòd ea offeramus Deo in ſuum honorem, atque agnitionem ſupremi dominij. Sacramenta uerò uidentur pertinere ad Dei cultum quaſi mediatè: uidelicet quia diſponunt, & aptant perſonas ad Dei cultum, perficiendum; ritè, rectè, iuſtè, ſanctè, atque in gratia. Minuit ergo Dei cultum, qui à ſacra Euchariſtia tollit, uel in ea negat, rationem ſacrificij. Si autem dixerint aduerſarij, nos colere Deum in nobis ipſis, & in nobis ipſis Deo ſacrificare, offerentes ei in ſacrificio ſpiritali noſmetipſos, ac noſtra bona opera uirtutum, interna, atque externa, Reſpondemus, Omnibus temporibus, id eſt, tam ſub lege naturali, quàm ſub lege Moſis fuit hoc genus colendi Deum, & ſacrificandi ei ſpiritaliter, ut cõſtat ex ſacris omnibus ſcripturis: & nihilominus etiam illis temporibus fuerunt alia ſacrificia ſpecialia fuitque ſpecialis cultus Dei, in illis ſpecialibus ſacrificijs. Vnde profectò minuit cultum Dei in Eccleſia Chriſtiana, qui in ea ponit illud ſolum ſacrificium ſpiritale, illumque ſolum ſpiritalem cultum, quo homines in ſeipſis Deum colunt, & ei tantùm interius ſeipſos, aut ſua opera uirtutum offerunt.

Certum eſt omnino debere eſſe in Eccleſia Chriſtiana iſtum Dei cultum ſpiritalem, atque iſtud ſpiritale ſacrificiũ; bonorum operum bonarum uirtutum: quod ſancti Apoſtoli, Petrus & Paulus, tantopere commendant. Sed profectò ita etiam certum eſt ex diuinis ſcripturis, & ſanctis doctoribus, debere eſſe in Eccleſia Chriſtiana illum cultum Dei, & ſacrificium Euchariſtiæ in ſpeciebus panis, & uini ſecundum

ordinem Melchiſedech: nanq; hæc res etiam à ſanctis prophetis prædicta fuit, & in ſancto Dei Euangelio ex CHRISTI inſtitutione probè delineatur. Vnde nobis Chriſtianis catholicis notum eſt hoc ſacrificiū, & notum eſt illud: utrunq; credimus, utrunq; uolumus: utroq; utimur, & gaudemus. Qui autem aduerſarij negant hoc poſterius, ſimili facilitate, immo eadē temeritate poſſunt negare illud prius: quod quidem eis uel omnino, uel ex parte iam uſu uenit dum hominem iuſtificari dicunt ea ſola fide, aut confidentia, qua quis fortiter credit, ſe de facto & in particulari iuſtificari à Deo per CHRISTVM, quicquid ſit de omnibus aliis: quaſi ea ſola fides ſatis ſit ad iuſtitiam, ſeu iuſtificationem formalem inhærentem, tanquam nihil aliud ſit ad hoc neceſſarium, nihil requiſitum, non fides Euangelij, non ſpes, non charitas, non pœnitentia, non obedientia erga Deum. Profectò qui ita dicunt, iam & illud primum ſacrificium ſeu genus ſacrificandi ſpiritaliter, dicunt non neceſſarium, iam illud negant, iam illud ex Eccleſia Chriſtiana eliminare expellereque nituntur. Contra horum errorem iam multa diximus in noſtra Quadripertita iuſtitia, & contra illam ſuperbiam eorundem atque impiam confidentiam, quæ omnia alia excludit tanquam non neceſſaria: ideo de eo plura nunc dicere non eſt conſilium. De errore enim in errorem progrediuntur, proficientes in peius: omnia uera negant, omnia bona abiiciunt, comminiſcuntur quæ amplectantur, mundi atque carnis gratiam uenantur; cæci ſunt, & duces cæcorum: qui utinam tandem reſipiſcant, & nobiſcū exerceantur.

Part. 1. lib. 2. per multa.

Adſtruitur, probaturque concluſio prima ad Articulum primum. CAP. VI.

SEd iam nunc ad propoſitum redeamus, & ſpecialiter aduerſus eos, qui dicunt noſtram ſacram Euchariſtiam non eſſe ſacrificium, noſtras concluſiones ſuprapoſitas, ueras quidem, & catholicas probemus. Quibus probatis, conſtabit ſatis omnibus, & noſtram Miſſam uerè eſſe ſacrificium propriè dictum, uerèque eſſe ſacrificium memo-

ratiuum ſacrificij in cruce peracti: & nomen, Miſſa, non eſſe nomen recens, nec patribus incognitum: quin potius eſſe nomen uetuſtum, patribus maximè notum, atque è diuinis ſcripturis ſecundum Hebraicam ueritatem, & Chaldaicam translationem erutum, ut palàm eſt uidere in Deuter.

Deut. 16. & ca. 15.

Prima concluſio qua reſpondetur ad primum articulum; aſſerens quòd Miſſa eſt ſacrificium: probatur primùm ex conformi teſtimonio ſanctorum doctorum, ſacrorum conciliorum, totius ſcholæ Theologicæ Chriſtianæ; communi ſententia uniuerſitatum Theologicarum, & catholico, ſeu uniuerſali conſenſu uſu, atque prædicatione omnium Eccleſiarum Christi: in Occidente, & in Oriente: in Europa; Africa; Aſia. Placet igitur ex his omnibus adducere non nulla quibus hæc ſacra ueritas aſtruatur. Sed quia doctores multi ſunt; qui ita dicunt, & multi etiam in multis locis ſuorum operum ita repetunt, quamobrem nimis operoſum & longum eſſet eorum dicta referre, fieretque id fortaſſe non citra lectoris tædium; ſatius eſſe uiſum eſt in præſentia, nomina doctorum explicare, ac tantùm loca in quibus hac de re agunt, proponere: Arbitror nanque hoc ſatis fore iis, qui mihi fidem adhibere noluerint, & ſententias doctorum ſanctorum è fontibus ipſis haurire uoluerint. Referam tamen ex ipſis nonnulla, abundantiorem relationem in probatione ſecundæ concluſionis aſſeruando, ubi illa magis erit neceſſaria, magiſque oportunè collocabitur.

Iacobus frater Domini.

Quòd igitur Miſſa ſit ſacrificium, oblatio, aut Hoſtia, & cultus Deo gratus, manifeſtè oſtendit Diuus Iacobus frater Domini, in Liturgia ſua. cuius Liturgiæ meminerunt ſexta Synodus, Canone 32. ſanctus Proclus Epiſcopus, Nicolaus Methonenſis Epiſcopus, & Marcus Epheſinus, cum Boſſarione, in Liturgia ſua.

De conſecra. diſtinct. 1. c. Iaco.

Andreas Apoſtolus.

Andreas Apoſtolus in Epiſtola ad Eccleſiam Achaiæ, ubi

dicit, Omnipotenti Deo (qui uiuus & uerus eſt) ego omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, ſed agnum immaculatum quotidie in altari crucis ſacrifico, cuius carnes poſtea quàm omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & uiuus. Hanc Epiſtolam ante annos quadringẽtos citarunt ſanctus Vuolphelmus Abbas Bernardus, ſiue Rabanus, & Algerus. Sed & auctor libelli de duplici martyrio, eius meminit.

Martialis diſcipulus Domini.

Sanctus Martialis diſcipulus Domini, qui Saluatorem noſtrum in humanis uidit, in Epiſtola ad Burdegalenſes, cap. 3. ait, Sacrificium Deo Creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo, nec ſolùm in ara ſanctificata, ſed ubique offertur Deo oblatio munda, ſicut teſtatus eſt, cuius corpus, & ſanguinem in uitam æternam offerimus.

Clemens Martyr.

Clemens Martyr, diſcipulus Apoſtoli Petri, & eius ſucceſſor in Sede Apoſtolica, idem fatetur docetque in Epiſtola 3. quæ eſt De officio Sacerdotis, & lib. 8. Apoſtolicarum traditionum, ſeu inſtitutionum, & in ſua Liturgia. Sanctum enim Clementem Liturgiam ſcripſiſſe affirmat beatus Proclus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus: ſimiliter & Nicolaus Methonenſis Epiſcopus, cum Marco Epheſino Epiſcopo in Liturgia ſua. Non ſecus multi patres grauiſsimæ auctoritatis meminerunt illius operis eiuſdem Clementis de Apoſtolicis traditionibus, in octo lib. diuiſi: inter quos, nõ parui momenti ſunt Athanaſius, & Epiphanius, qui non ſolũ illius operis meminerunt, ſed & illud calculis ſuis probant.

Alexander Martyr.

Alexander Martyr in Epiſtola 1. ſic inquit, Nihil in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus, & ſanguis Chri-

De conſecra. diſtinct. 2. c. Nihil. ſti. Nec ulla oblatio hac potior eſt, ſed hæc, omnes præcellit. Idem in Epiſtola ad omnes Orthodoxos, habet Alexander quintus à beato Petro, aſſerens quòd crimina, atque peccata oblatis his Domino ſacrificiis, delentur, quodque talibus hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.

Ivlivs primus.

Iulius primus ſcribit idem, in Epiſtola ad Epiſcopos per Aegyptum.

Ignativs Martyr.

Ignatius Martyr, conſtanter etiam dicit in Epiſtola ad Smirnenſes, Non licet ſine Epiſcopo, neque offerre, neque ſacrificium immolare. rectè quidem, uenia ab Epiſcopo impetrata, id licere, ſine dubio arbitratus.

Dionysivs Areopagita.

Dionyſius Areopagita, Christi Martyr glorioſus, in De Eccleſiaſtica Hierarchia, de hoc diuino agens myſterio, id eſt, de ſacræ Euchariſtiæ celebratione, hoſtiam memorat, & altare, Antiſtitem, ſacerdotes, ſacrificium, oblationē. Dicit enim inter alia, ex interprete. Oportet igitur nos, ut reor, nudata primi, ac præcipui intelligentia ſigni, intra ſacroſacta tranſire, diuinamque principalis huius ſigni ſpeciem intueri, ac Pontificem auguſtius cernere à diuino altari uſque ad phani nouiſsima cum odoris ſuauitate pergentem, ac rurſus ad altare ipſum conſummandi ſacrificij cauſa remeantem. Hæc ille. Infra, Porrò Catechumenos, & Energumenos, & eos qui in pœnitentia ſunt, ſacroſancta ſacerdotalis inſtitutio pſalmodiam quidem piam, & diuinam ſanctarum ſcripturarum lectionem audire permittit: ad ea uerò, quæ deinceps in hoſtiæ ſalutaris oblatione geruntur contuenda, non hos planè, ſed perfectos & tantæ rei dignorum admittit obtutus. Hæc ille. Qui planè poſtea, in

(Margin: cap. 3. part. 3. — Ibidem paulò pòſt.)

ea, in eodem opere ponit, & explicat ordinem Epiſcopalem, ordinem ſacerdotalem, & ordinem aliorum miniſtrorum eccleſiaſticorum; ut Diaconorum: eorumque ordinum declarat officia, functiones, & munia. Idem in Epiſtola ad Demophilum, Quum eſſem aliquando ſecus Cretam hoſpicio me ſuſcepit ſanctus Carpus, uir ſi aliquis alius, per multam mentis mundiciem ad Dei uiſiones diuiniſsimus. Qui non inchoabat ſanctas myſteriorum conſecrationes, niſi ei prius oſtenderetur de ſupernis propitia uiſio, oranti, ante oblationem ſanctiſsimi ſacrificij. Cap. 5. part. 1. Epiſt. 8.

ANACLETVS Martyr.

Anacletus Martyr, Epiſcopus, inquit Deo ſacrificans, teſtes ſecum habeat, & plures quàm alius ſacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, ſic maioris teſtimonij incremento indiget. Presbyteri dextrà leuaque, contrito corde, & humiliato ſpiritu ac prono ſtent uultu, cuſtodientes eum à maleuolis hominibus, & conſenſum, eius præbeant ſacrificio. Epiſt. 1.

OPTATVS Afer.

Optatus contra Donatiſtas, Quid eſt, inquit, tam ſacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & uos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere? Quid enim eſt altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis CHRISTI? Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, CHRISTI ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas. O' ſcelus nefarium, ò facinus inauditum, auferre Deo, quod idolis præſtes, ſubducere CHRISTO, quod proficiat ſacrilegio. lib. 6.

THEODORETVS Epiſcopus.

Theodoretus Epiſcopus Cyri, Cum autem (Maris uidelicet Eremita) longo tempore deſideraſſet uidere offerri ſpiritale, & myſticum ſacrificium; rogauit ut diuini doni il- cap. 20. Hiſtoriæ religioſæ

lhic fieret oblatio. Ego uerò lubenter parui; & iuſsi ſacra uaſa afferri, pagus enim haud lōgè aberat, & pro altari uſus Diaconorum manibus, myſticum, diuinum, & ſalutare obtuli ſacrificium. Ille autem omni ſpiritali implebatur uoluptate, & exiſtimabat ſe, ipſum cœlum uidere, dicebatque ſe nunquam tantam cæpiſſe uoluptatem.

IRENEVS Martyr.

Ireneus Martyr contra Valentinum & alios ſui temporis hæreticos, idem confitetur, & docet, lib.4. cap. 32.33.34. Dicit enim inter alia, Sed & ſuis diſcipulis (CHRISTVS) dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt; & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in uniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat; de quo in duodecim prophetis Malachias ſic ait, Non eſt mihi uoluntas in
Malac. 1. uobis, dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus ueſtris. Quoniam ab ortu Solis uſque ad Occaſum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. Hæc ille dixit olim glorioſus Martyr, ſatis manifeſtè.

IVSTINVS Martyr.

Iuſtinus Martyr in Colloquio quod habuit cum Triphone Iudæo, ita interpretatur illam oblationem mundam, de ſacrificio Euchariſtiæ, quod offertur in omni loco à nobis gentibus, tum pane, tum poculo quo docet nos clarificare nomen Dei, quod à Iudæis prophanatur.

Hippolytvs Martyr.

Hippolytus Martyr in oratione ſua de Antichriſto dicit, Lugebunt Eccleſiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec ſuffitus fiat, nec cultus Deo gratus: ſed Eccleſiarum ædes ſacræ, tugurij inſtar erunt, precioſumque corpus, & ſanguis Christi, non extabit in diebus illis. Liturgia extinguetur, Pſalmorum decantatio ceſſabit, ſcripturarum recitatio non audietur. Tunc dicet his qui erunt à dextris eius, Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi, Venite Prophetæ, propter nomen meum expulſi, &c. Venite Pontifices, qui purè mihi ſacrificium, die noctuque obtuliſtis, ac precioſum corpus & ſanguinem meum immolaſtis quotidie.

Tertvllianvs.

Tertullianus in libro de cultu fæminarum, demonſtrans nos Chriſtianos habere ſacrificium, inquit, Vobis nulla pro cedendi cauſa non tetrica; aut imbecillis aliquis ex fratribus uiſitandus, aut ſacrificium offertur, aut Dei uerbum adminiſtratur. Qui auctor aduerſus Martionem, diligenter notauit illud uerbum Domini, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcum antequàm patiar, non tantùm de agno illo typico, quàm de noſtro Agno uero, qui tollit peccata mundi, fore intelligendum. Quod & poſt ipſum adnotauit Euſebius; & poſt Euſebium, ſanctus Thomas.

lib. 4.

Euſeb. S. Tho. part. 3. q6. 81. artic. 1. ad tertiū argum.

Cyprianvs Martyr.

Cyprianus Martyr idem habet, lib. 1. Epiſtola 4. & 9. & lib. 2. Epiſtola 3. & in ſermone de Cæna Domini. Dicit enim, Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi quàm Dominus noſtrer Ieſus Christvs, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & uinum; ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem. Infra, Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem be-

lib. 2. epiſt. 3.

nedicta circa Abraham poſsit rite celebrari, præcedit ante imago ſacrificij, in pane, & uino ſcilicet inſtituta: Quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem, & calicem mittum uino obtulit, & qui eſt plenitudo, ueritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Infra, Quòd ſi & à Domino præcipitur, & ab Apoſtolo eius idem confirmatur, & traditur, ut quotieſcunque biberimus, in memoriam eius faciamus quod fecit & Dominus; inuenimus non ſeruari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit nos quoque faciamus. Et ſi in ſacrificio, quod CHRISTVS eſt, non niſi CHRISTVS ſequendus eſt; utique id nos obaudire & facere oportet, quod CHRISTVS fecit, & quod faciendum eſſe mandauit. Et ſi Ieſus CHRISTVS Dominus & Deus noſter ipſe ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: utique ille ſacerdos uice CHRISTI uerè fungitur, qui id quod CHRISTVS fecit, imitatur. Et ſacrificium uerum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri; ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quòd ipſum CHRISTVM uidet obtuliſſe.

LAVRENTIVS Martyr.

Laurentius Martyr ſecundum hanc ueritatem catholicam, ut refert Ambroſius De Officiis, lib. 1. cap. 41. & canit ſancta Mater Eccleſia, dixit Syxto Papæ eunti ad Martyrium, Quò progrederis ſine filio pater? quò ſacerdos ſancte, ſine Diacono properas? Nunquam ſine miniſtro offerre conſueueras. Quid ergo in me diſplicuit pater. ſiue aliàs, paternitati tuæ?

MARCELLINVS Martyr.

Marcellinus Martyr in Epiſtola ad Salamonem Epiſcopum, Quidam, inquit, errore decepti, dicunt ideo patrem maiorem Filio eſſe, quia illi ſoli ſacrificium immolatur. Quibus competens, & congruum reddatur reſponſum; quia ſicut Patri, ita etiam Filio, non ſolùm Chriſtianis tem-

poribus, uerum etiam priſcis temporibus, à ſacerdotibus, uariis multisq; modis probamus, ſacrificium fuiſſe oblatũ.

Evsebivs Cæſarienſis.

Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus idem habet lib. 1. de Demonſtratione Euangelica cap. 10. & cap. ultimo. Atque lib. 5. cap. 3. Et lib. 8. cap. 2. Dicit inter alia, Paraſti in conſpectu meo menſam, contra eos qui affligunt me. Pingue feciſti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quam præſtantiſsimus eſt. Palam in his myſticam ſignificat unctionem, & horrorem afferentia menſæ Christi ſacrificia, quibus operantes, incruentas, & rationales, eique ſuaues uictimas, in tota uita ſupremo Deo offerre per eminentiſsimum omnium ipſius Pontificem, edocti ſumus. Idem, Ab ortu ſolis uſque ad Occaſum, nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco in cenſum offertur nomini meo, & hoſtia munda. Sacrificamus igitur Deo altiſsimo, ſacrificium laudis: ſacrificamus Deo plenum, & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium: ſacrificamus nouo more, ſecundum nouum teſtamentum, hoſtiam mundam. Idem, Poſt omnia quaſi mirabilem quandam uictimam, ſacrificiumque eximium Patri ſuo operatus, pro noſtra omnium ſalute obtulit; eiusque rei memoriam ut nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit. Idem, Et ſanè oraculi exitus admirabilis ei qui contemplatur, quemadmodum Saluator noſter Ieſus, qui eſt Christvs Dei, ipſius Melchiſedech, ritu ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui ſacerdos gentium erat, nuſquam uidetur ſacrificijs corporalibus functus, ſed uino ſolo, & pane, dum ipſi Abraham benedicit: ita ſanè primus ipſe Saluator, ac Dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes in omnibus gentibus, ſpirituale ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, uino, ac pane & corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repreſentant. Quæ ſanè myſteria, Melchiſedech tanto ante ſpiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus uſus fuerat; ſicut etiam Mo

Lib. 1. cap. 10.

Eod. lib. cap. ult.

Lib. 1. cap. 10.

Lib. 5. cap. 3.

ſis ſcriptura teſtificatur, ubi ait, Et Melchiſedech rex Salem protulit panem, & uinum, Erat autem ſacerdos Dei altiſsimi.

Gregorivs Nazianzenus.

Gregorius Nazianzenus, oratione prima in Iulianum Apoſtatam, inquit, Mox incruenti ſacrificij oblatione manus commaculat, per quod nos Christo unimur, nec non paſſionis, ac diuinitatis eius participes reddimur, ſectionibus, & uictimis res ſtabiliens regias, malis conſiliarijs in malo utens principatu.

Epiphanivs.

Epiphanius lib. 2. contra hæreſes, hæreſi, 55. Viſum eſt, ut in ueteri ſacerdotio ſacerdotalis dignitas non conſtituatur: Verùm ad id, quod ante Leui, & ante Aaron fuit ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotium transferatur: quod ſanè nunc in Eccleſia uiget, à Christo & hucuſq;. Idem auctor memorat & probat, atque recipit octo libros Clemētis De Apoſtolicis traditionibus, in quibus manifeſtè habetur de noſtro ſacerdotio, ac ſacrificio Miſſæ, & inſuper quòd Saluator noſter obtulit in cœna.

Ambrosivs.

Eandem rem probat Ambroſius in Pſalmum, 38. & in prima precatione præparante ad Miſſam, & lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. & 6. & lib. 1. Officiorum, cap. 10. 41. 48. Et in ſua Miſſa, & ſuper Apoſtolum ad Corinthios, & ad Hebræos, cap. 10. Dicit enim inter alia multa, Vidimus principem Sacerdotum ad nos uenientem, uidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum, ſequamur ut poſſumus ſacerdotes, ut offeramus pro populo ſacrificium, & ſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio; quia & ſi nunc Christvs non uideatur offerre, tamen ipſe offertur in terris, quando corpus Christi offertur, Im-

Super pſal. 38.

mo ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium, quod offertur. Idem, In CHRISTO ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens. Quid ergo nos? Non ne per ſingulos dies offerimus? Et ſi quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit: & una eſt hoſtia, non multæ. Quomodo una, & non multæ? Quia ſemel immolatus eſt CHRISTVS. Hoc autem ſacrificium, exemplum eſt illius idipſum & ſemper idipſum offertur: proinde, hoc idem eſt ſacrificium. Alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi ſunt CHRISTI: non, ſed unus ubique eſt CHRISTVS: & hic plenus exiſtens, & illhic plenus. Sicut quod ubique offertur, unum eſt corpus, ita & unum ſacrificium.

Ad Hebr. cap. 10.

BASILIVS.

Baſilius dixit, Attende Domine Ieſu CHRISTE Deus noſter de ſancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & ueni ad nos ſanctificandos, qui ſupra cum Patre ſedes, & hîc inuiſibiliter uerſaris: & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & precioſum ſanguinem & per nos toti populo. Fac panem quidem iſtum, ipſum honorificum corpus Domini Dei & Seruatoris noſtri Ieſu CHRISTI. quod autem in calice iſto, ipſum ſanguinem Domini Dei Ieſu CHRISTI, qui effuſus eſt pro mundi uita. Poteſt etiam uideri eiuſdem Baſilij liturgia, & poteſt legi ſanctus Amphilochius de uita Beati Baſilij, Canon. 32. 6. Synodi. tom. 3. actione. 6. Nicænæ Synody. 2. Et nos ita legimus in De conſecratione, Iacobus frater Domini ſecundum carnem, cui primùm tradita eſt Hieroſolymitana Eccleſia, & Baſilius Cæſarienſes Epiſcopus, cuius claritas per totum Orbem refulſit, in ſcripturis, addiderunt nobis Miſſæ celebrationem, ideſt, ordinem celebrandæ Miſſæ.

Diſt. 1. c. Iaco.

IOANNES Chryſoſtomus.

Ioannes Chryſoſtomus ad idem, Homil. 21. & 26. in Matth. Homil. 77. ſuper Ioan. Homil. 5. in Epiſto. 2. ad Timot. & in De ſacerdotio, lib. 3. & in Homil. de proditio-

Et ſuper pſal. 115. Et Homili. 21. in Acta Apoſto.

ne Iudæ. & Homil. 17. ad Hebræos, & pſal. 115. & oratione 4. contra Iudæos. Super Apoſtolum ad Hebræos, Propter hoc imperauit, inquit, ſemper offerri propter infirmitatem; ut & memoria peccatorum fieret. Quid ergo nos? Non'ne per ſingulos dies offerimus? Quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et una eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo una, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt. Oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium, exemplum eſt illius, id ipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium; ſed ſemper eundem ipſum. Proinde unum eſt hoc ſacrificium, hac ratione. Idem, Sacerdos altari aſsiſtens, pro uniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus atq; præſentibus, pro his qui ante nos fuerunt, ſacrificio illo propoſito, Deo nos gratias iubet offerre. Idem, Ideo in myſterijs inuicem ſalutamus, ut multi unum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris, & uniuerſi Orbis fructibus ſacrificamus. Idem, Noſtis profectò qui initiati eſtis, id quod dicimus, ſiue ſexta feria, ſiue ſabbato, ſiue dominica die, ſiue in celebritate Martyrum, eadem litatur hoſtia, idem ſacrificium conſummatur.

Cap. 10. Hom. 17.

Hom. 26. in Matth.

Hom. 77. in Ioan.

Homil. 5. I epiſt. 2. ad Timo.

Svlpitivs Seuerus.

Sulpitius Seuerus lib. 2. Dialogorum, cap. 2. dixit, Cum hac igitur (Martinus) oblaturus ſacrificium Deo, ueſte procedit. Quo quidem die (mira dicturus ſum) cum iam altare, ſicut eſt ſolenne, benediceret, globum ignis de capite illius uidimus emicare; ita ut in ſublime contendens, longius collum, crinemque flamma produceret.

Avgvstinvs.

Auguſtinus ad idem, lib. 2. quæſtionum Euangelicarum, & in De ciuit. Dei. lib. 8. cap. 27. & li. 16. cap. 22. & li. 17 cap. 20. & lib. 18. cap. 35. & contra Fauſtum, lib. 20. c. 18. atque cap. 21. & contra aduerſariũ legis, & prophetarum, lib. 1. cap. 18. & 20. Super pſalmum 21. & frequentiſsimè.

Vt

Vt tractatu, 84. in Ioannem. ſermone, 17. de uerbis Apoſtoli, lib. 22. de Ciuita. Dei, cap. 10. &c. Nos Martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum uiuunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus; ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſsione uicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur. Ipſum uerò ſacrificium, corpus eſt CHRISTI. Idem, Quod Dominus dicit leproſo mundato, Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, &c. Videtur approbare ſacrificium, quod per Moſem præceptum eſt, cum id non receperit Eccleſia. Quod ideo iuſsiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cæperat ſacrificium ſanctum ſanctorum, quod corpus eius eſt. Idem, Honoramus memorias eorum (Martyrum) tanquam ſanctorum hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum corporum, pro ueritate certarunt, ut innoteſceret uera religio, falſis religionibus, fictiſque conuictis. Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus, Offero tibi ſacrificium Petre, uel Paule, uel Cypriane? cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & Martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cæleſti honore ſociauit. Idem, Cum Melchiſedech Abrahæ benediceret, ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto Orbe terrarum. Impleturque illud, quod longè poſt hoc factum, per Prophetam dicitur ad CHRISTVM, qui fuerat uenturus in carnem, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Non ſcilicet ſecundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus: illuceſcentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur. Idem Malachias prophetans Eccleſiam, quam per CHRISTVM iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſsimè dicit ex perſona Dei, Non eſt mihi uoluntas in uobis, & munus non ſuſcipiam de manu ueſtra, Ab ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomẽ meum in gentibus. & in omni loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio mun-

De Ciuitate Dei. lib. 22. cap. 10.

Lib. 2. Quæſtionum Euangelicarum.

De Ciui. lib. 8. cap. 27.

Ibidem lib. 16. cap. 22.

Pſal. 109.

Ibidem lib. 18. cap. 35. Malac. 1.

da, dicit Dominus. Hoc ſacrificium per ſacerdotium CHRISTI ſecundum ordinem Melchiſedech, cum in omni loco à Solis ortu uſque ad Occaſum, Deo iam uideamus offerri: ſacrificium autem Iudæorum ceſſaſſe, negare non poſſunt.
Contra Fauſtum. lib. 20. cap. 18. Idem Hebræi in uictimis pecorum, quas offerebant Deo, multis, & uariis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ uictimæ, quam CRISTVS obtulit. Vnde iam Chriſtiani peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione, & participatione corporis, & ſanguinis CHRISTI.
Eod. lib. cap. 21. Idem, Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur; ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſsiſtens altari, aliquando dixit, Offero tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, ut ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem: & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus.
Lib. 1. cap. 20. Idem contra aduerſarium legis, & prophetarum, Nouerunt qui legerunt, quid protulerit Melchiſedech, quando benedixit Abraham, Et ſi iam ſunt participes eius, uident tale ſacrificium nunc offerri Deo, toto Orbe terrarũ.

HIERONYMVS.

Hieronymus etiam ubique confitetur ſacerdotes noui teſtamenti, ac ſacerdotium CHRISTI ſecundum ordinem Melchiſedech. Manifeſtè enim aſſerit ſacerdotium Melchiſedech fuiſſe in pane, & uino, & de Saluatore noſtro ait,
ſup Matt. cap. 27. Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad uerum paſchæ tranſgreditur ſacramentum: ut quo modo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem, & uinum offerens, fecerat, ipſe quoque ueritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentaret.

Poteſt inſuper uideri ſuper Pſal. 109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Et item in Epiſtola ad Hedibiam. Qui ſuper Leuit. ait, De hac quidem Hoſtia, quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet: de illa uerò quam Christvs in ara Crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet.

Et refert S. Tho. part. 3. qó. 82. art. 4. ad tertiũ argum.

Cyrillvs.

Cyrillus contra Neſtorium fatetur, quòd, Sanctum ac uiuificum, & incruentum in eccleſiis operamur ſacrificium. Et ſuper Ioannem, dicit multa mirabilia de corpore & ſanguine Domini, ſub ſpeciebus panis, & uini. Conſiderauit nanque ſacratiſsimam Euchariſtiam, & prout ſacramentum, & prout ſacrificium. Idem & de hoc ſacrificio altiſſimo, prout eſt cultus incruentus.

Ioan. 6.

Epiſt. 10.

Leo Papa.

Leo Papa multa de hoc dixit in ſuis ſermonibus ad populum, ſermone, 6. uel 7. de Paſchate: & ſermone, 7. de Paſſione; atque Epiſtola, 8. ubi ait, Volumus illud quoque cuſtodiri, ut cùm ſolennior feſtiuitas conuentum populi numeroſioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenit, quam recipere Baſilica ſimul una non poſsit, Sacrificij oblatio indubitanter iteretur; ne his tantùm admiſsis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, uideantur hi, qui poſtmodùm confluxerint, non recepti: cùm plenum pietatis, atque rationis ſit, ut, quoties Baſilicam in qua agitur, præſentia nouæ plebis impleuerit, toties ſacrificiũ ſubſequẽs offeratur.

Fvlgentivs.

Fulgentius etiam de hoc diuino ſacrificio multa dixit, ſcribens ad Monimum; & latè ſatis in De fide ad Petrum. Ad Monimum enim ſcribens Fulgentius, grauiter eorum hæreticorum confutauit ſententiam, qui ſacrificium corporis, & ſanguinis Christi, quod in Eccleſia celebratur, ſoli

Ad Monimum, lib. 2. & de fide ad Petrum, cap. 19.

Patri immolandum exiſtimarunt. In De fide autem ad Petrum, inquit, Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, ipſum unigenitum Deum, Verbum carnem factum, ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium, & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis; cui cum Patre, & Spiritu ſancto à Patriarchis, Prophetis, & Sacerdotibus, tempore ueteris teſtamenti animalia ſacrificabantur, & cui nunc, id eſt, tempore noui teſtamenti, cum Patre, & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt una diuinitas, ſacrificium panis, & uini in fide, & charitate, ſancta Eccleſia catholica per uniuerſum Orbem terræ, offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus uictimis, figuratio fuit carnis Christi, quam pro peccatis noſtris ipſe, ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſsionem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio, gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Christi, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. In illis ergo ſacrificiis quid nobis eſſet donandum, figuratè ſignificabatur: in hoc autem ſacrificio, quid nobis iam donatum ſit, euidenter oſtenditur. In illis ſacrificiis prænuntiabatur filius Dei pro impiis occidendus; in hoc autem pro impiis annunciatur occiſus.

Damascenus.

Damaſcenus etiam non obſcurè dixit, Pane & uino ſu-
Lib. 4. ſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarum reuer
cap. 4. tentem, qui erat ſacerdos Dei altiſsimi: illa menſa; hanc myſticam præfigurauit menſam. Sacerdos ille, Christi, ueri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat, & imaginem. Tu es,
Pſal. 109. inquit, ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Idem auctor in hiſtoria duorum militum Christi, tradit manifeſtè, quòd obtulit Deo ſacrificium ſanctiſsimus Barlaam, & quòd communicans ipſe, tradidit & Ioſaphat incontaminata Christi myſteria, & exultauit ſpiritu.

THEOPHILACTVS.

Theophilactus etiam in multis admodum locis, eiuſdem rei teſtimonium affert non obſcurum: ut in epiſtolam ad Hebræos cap. 5. & cap. 10. Super Marcum cap. 14. & ſuper Matthæum cap. 28. Teſtatur enim quòd CHRISTVS tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuũ. Tunc enim functus eſt ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech. Iterum, Quomodo accumbebant, quum lex præciperet à ſtantibus comedendum Paſcha? Veriſimile igitur primùm perfecta ea quæ ſunt legis, deinde recubuiſſe proprium Paſcha traditurum. Et paulò pòſt, Quum benedixiſſet, hoc eſt, gratias egiſſet, fregit panem: id quod etiã nos facimus preces adiungendo. Hoc eſt corpus meum, hoc, inquam, quod ſumitis. Non enim figura tantùm, & exemplar quoddam dominici corporis, panis eſt; ſed in illum conuertitur corpus CHRISTI. Dominus enim dicit, Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Non dixit, figura eſt carnis meæ. ſed, Caro mea eſt. Alibi, Suboritur hîc quæſtio, Num & nos uictimas exangues, & incruentas offeramus? Cui reſpondemus, Omnino. Cæterùm memoriam facimus mortis Domini: Eſtque unum ſacrificium, non multa: quandoquidem ſemel oblatus eſt. Ipſum quidem ſemper offerimus, immo potius memoriam illius oblationis facimus, qua ſe ipſe obtulit, ceu iam nunc facta ſit. Proinde unum eſt ſacrificium. Nam quod ad quæſtionem attinet, poſtquã multis in locis affertur, multi igitur CHRISTI erunt? Non bene colligitur: nequaquam enim multi ſunt, ſed unus eſt ubique: & hic plenus, & iſthic plenus, & perfectus, unumque corpus. Quemadmodum enim in multis locis oblatus CHRISTVS unum corpus eſt, & non multa corpora: ſic & unum ſacrificium. Nam illam hoſtiam offerimus, quæ tunc eſt oblata.

[Margin: ſup Matt. — ſup Mar. — Hebr. 10.]

PHOTIVS.

Photius apud Oecumenium dicit de Saluatore noſtro,

Quia ſine ſanguine hoſtiam obtulit, deinde poſtmodum ſuum ipſius etiam corpus: propterea ergo aptè dictum eſt, Christum eſſe ſacerdotem ſecũdum ordinẽ Melchiſedech.

Oecumenius.

Oecumenius autem ipſe explicans locum Apoſtoli, ſe-
Hebr. 5. cundum ordinem Melchiſedech. ait, Hic primus hoſtiam ſine ſanguine Deo obtulit, nempe panem, & uinum. Et licèt Christus non obtulerit carentem ſanguine hoſtiam, ſiquidem ſuum ipſius corpus obtulit; attamen qui ab ipſo fungentur ſacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent. Nam hoc ſignificat, In æternũ. neque enim de ea quæ à Deo ſemel oblata eſt oblatione, & hoſtia dixiſſet, In æternum. Sed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Christus ſacrificat, & ſacrificatur; qui etiam in myſtica cœna, modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij.

Bernardus.

Bernardus in Sermone illo magno, De ſacramento & ſacrificio altaris. qui in meo exemplari, ita titulum habet,
Pſal. 77. Sermo in cæna Domini. & ita incipit, Panem angelorum manducauit homo. agens de poteſtate, atque ſacerdotali officio, dicit inter alia, O' nouam, & diuinam poteſtatem, cuius miniſterio panis angelorum & uitæ, mortalibus quotidie præparatur. Panis iſte per excellentiam dicitur Euchariſtia, id eſt, bona gratia. In hoc enim ſacramento, non ſolùm quælibet gratia, ſed ille à quo eſt omnis gratia ſumitur. Christus enim pro ſalute mundi ſemel factus eſt Hoſtia ſalutaris, rei reconciliatio generalis omnibus ſacramentis tam precedentibus, quàm ſubſequentibus uirtutem dedit, & efficaciam; ut tanta, & tali Hoſtia ſanctificarentur omnes liberandi per illam. Vnde legitur, quia:
Apoc. 13. Agnus occiſus, eſt ab initio ſæculi. iis uidelicet, qui fuerunt ab initio. Ita ut per hoc quod dicitur, Ab initio. determines non tempus occiſionis, ſed ſalutis. Prius enim

mors eius profuit, quàm fuit. Prius promiſsio, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo ſæculi occiſus eſt. Benigniſsime Ieſu, nobiliſsimæ ſponſæ tuæ dotalitium indulſiſti, ut uel ſic teneret columba tua dulciſsimum memoriale dilecti ſui. CHRISTVS enim pridie quàm pateretur, diſcipulis ſuis huius ſacramenti formam præſcripſit, efficaciam exhibuit, id eſt, fieri præcepit. Formæ præſcriptio in pane, & in uino. Nota ordinem, Cum adhuc cœnaretur, à cœna ſurrexit, diſcipulorum pedes Dominus uniuerſorum lauit, dehinc ad menſam regreſſus ordinat ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui, ſeorſum panem, ſeorſum tradens & uinum. De pane ita dicens, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. De uino etiam ſic, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Effundetur dictum eſt, quia paſsim & uiriliter, quem utique puncturæ ueprium, foſsio manuum, & pedum cum clauis, lateris apertio cum lancea militari fortius exprimentes, admodum torrentis fuderunt extrinſecus. Eratque ille ſanguis precioſior, cariorque balſamo, per quem ſordium noſtrarum facta eſt mundatio. Nota, CHRISTVS in cœna illa munerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatio. Hæc ille. Qui in fine Sermonis ita ait, Vnde ſcriptura dicit, ſacerdotales uiros quærimus, qui plures habemus ſacerdotes. Plures, inquam, numero, non merito: ſimulatione, non fide: ſpecie, non uirtute: cõmiſtione corporali, non uinculo ſpirituali: carnis adiunctione, non cordis unitate. Sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus: cruenta conſcientia, ad diuina accedunt ſacrificia: comedunt ſine timore, & ſine reuerentia carnes agni, qui præſidet in cælo, ſicut carnes quæ uenduntur in foro. Non ſic, ut ſacerdotes aſsiſtunt in altario: ſed ſic, ut carnifices in macello.

Matt. 26.

RVPERTVS Abbas.

Rupertus Abbas ſuper Malachiam dicit, Et offerent nomini meo oblationem mundam, oblationem panis, & uini, ſacramentum corporis & ſanguinis Redemptoris ſui. Hæc

Malac. 1.

oblatio ſic eſt munda, ut exterius nullum habeat cruoris horrorem, & interius ſiue inuiſibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Et in De Trinitate, inquit, At

Lib. 5. cap. 12. uerò CHRISTVS Rex Salem, id eſt, pacis. Rex, inquam, idemque Pontifex Magnus, illorum talium hominum diebus natus, ſacerdotio ſuo functus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, protulit enim panem & uinum dicens, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus: & ſic obtulit ſemetipſum pro fideli Abraham uerum ſacrificium.

PETRVS Abbas Clun.

Petrus Abbas Cluniacenſis contra Henricianos, & Petrobruſianos ſcribens, & de ſacrificio Saluatoris noſtri in Cruce peracto, atque de noſtro eodem, quod quotidie exercemus, loquens, dicit. Hoc eſt noſtrum ſacrificium, hoc legis Euangelicæ, hoc noui Teſtamenti, hoc noui populi holocauſtum, quod tunc ſemel in Cruce à Dei, & hominis Filio Deo oblatum eſt: & quod ſemper in altari ab ipſius populo offerendum, ab eodem præceptum & inſtitutum eſt. Non enim aliud tunc oblatum, aliud nunc offertur. Sed quod (ut dictum eſt) ſemel CHRISTVS obtulit, hoc ſemper Eccleſiæ ſuæ offerendum reliquit.

ARNOBIVS.

Arnobius etiam ante mille trecentos annos, exponens il-

Pſal. 109. lum locum, Tu es ſacerdos in æternum &c. Ita dicit de Saluatore noſtro, Hic, qui per myſterium panis, ac uini ſacerdos factus eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; qui panem, & uinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum

Gen. 14. Abraham uictor reuerteretur de prælio.

GREGORIVS.

Gregorius etiam præter ea multa, quibus ſacerdotum ordinem, officiumque declarat, ſpecialiter agens De uirtute, ac myſterio uictimæ Saluatoris in Miſſa, dicit manifeſtè,

feſtè in ſuis Dialogis, Dabemus itaque præſens ſæculum uel quia iam conſpicimus defluxiſſe, tota mente contemnere, quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, quotidianas carnis eius, & ſanguinis hoſtias immolare. Hæc nanque ſingulariter uictima ab æterno interitu animam ſaluat, quæ illam nobis mortem unigeniti per myſterium reparat. Qui licèt reſurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur: tamen in ſemetipſo immortaliter, atque incorruptibiliter uiuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutem partitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſsionem unigeniti Filij ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſsit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis uocem Cælos aperiri, in illo Ieſu Christi myſterio angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, unumquoque ex uiſibilibus, atq; inuiſibilibns fieri? Idem auctor ſcribens Ioanni Epiſcopo Syracuſano, contra aliquos detractores, Miſſæ ordinationis rationem adducit: & fatetur nos oblationis Hoſtiam in Miſſa conſecrare; ſicut Apoſtoli conſecrabant. Multa de fructibus huius diuini ſacrificij affert quidem; Sed hac de re, inferius affatim ſuo priuatim loco loquemur.

Lib. 4. cap. 58. tom. 2.

Epiſtolarum ex regiſtro, lib. 7. cap. 63. tom. 2.

Rabanus & alij.

Rabanus etiam in De ſacramentis altaris, cap. 22. Paſcaſius, De ſacrificio altaris, cap. 9. Algerus, lib. 1. cap. 16. Remigius Antiſiodorenſis, & alij penè infiniti, tum ex antiquis, tum ex recentioribus, conſona loquentes, tenent omnes, credunt, & commendant hanc ueritatem catholicam. Similiter & Ioannes Capnio, dicit hoc nomen, Miſſa, nec Græcum eſſe nec Latinum, ſed Hebraicum, & ſignificare oblationem ſpontaneam: ut Roffenſis refert.

Teſtimoniis Canonum decretorumque Apoſtolicorum; & Conciliorum ſcitis, ac ſanctionibus ueritatem eandem eluceſcere atque obfirmari. CAP. VII.

Astruunt hanc eandem ueritatem etiam Canones Apoſtolorum, pariter & concilia, tam particularia, quàm Oecumenica, ſeu uniuerſalia uel plenaria, ut olim ſermo erat Aug. In canonibus Apoſtolorum ita habetur, Si quis

Can. 3. Epiſcopus, aut presbyter, præter ordinationem Domini quã de ſacrificio inſtituit, alia quædã, puta aut mel, aut lac, aut pro uino ſiceram, aut confecta quædam, aut aues, aut aliqua, aut legumina, ſuper altare obtulerit, ut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor. excepto nouo

Ibidem can. 9. frumento, & uua opportuno tempore &c. Alibi. Siquis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus, uel quilibet ex ſacerdotali Cathalogo, facta oblatione, non communicauerit, aut cauſam dicat, ut ſi rationabilis fuerit, ueniam conſequatur: aut ſi non dixerit, communione priuetur, tanquam qui populo cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo qui ſacrificauit, quod recte non obtulerit.

Nicænum Concilium.

Nicænum Concilium ita habet, Iterum etiam hîc in diuina menſa, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & poculum: ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa, agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum: & precioſum ipſius corpus, & ſanguinem nos uerè ſumentes, credere hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola. Idem ſa-

Can. 24. uel ſecundum alios Can. 18. crum Concilium, Peruenit ad ſanctum magnumque Concilium, quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus, Presbyteris gratiam ſacræ communionis, Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerunt, corpus CHRISTI porrigant.

Concilium Alexandrinum.

Alexandrinum Concilium habet, Dum unigeniti Filij Dei, Ieſu CHRISTI mortem ſecundum carnem, & reſurrectionem ex mortuis annuntiamus, aſſumptionemq; in cœlos confitemur, incruentum in Eccleſiis perficimus cultum. Poteſt uideri de hoc apud beatum Cyrillum. Et non eſt nec poteſt eſſe dubium, quin per incruentum cultum in eo loco, intelligatur & intelligi debeat, incruentum ſacrificium. Epiſt. 10.

Concilium Epheſinum.

Epheſinum Concilium uniuerſale, dicit, Neceſſariò igitur & hoc adiicimus. Annunciantes enim, ſicut ſecundum carnem, mortem unigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu CHRISTI, & reſurrectionem eius, & in cœlos aſcenſionem pariter confitentes, incruentam celebramus in Eccleſiis ſeruitutem.

Concilium Toletanum.

Toletanum Concilium duodecimum inquit, Relatum nobis eſt, quoſdam de ſacerdotibus, non tot uicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in una die uidentur offerre: ſed in uno die, ſi plura per ſe Deo offerunt ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt, & in ſola tantùm extrema ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt, quaſi non ſit toties illis, uero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu CHRISTI immolatio facta conſtiterit.

Concilium Nicænum, 2. Vniuerſale. 7.

Nicænum Concilium ſecundum, uniuerſale ſeptimum ita habet, Nemo unquam ſanctorum Apoſtolorum, qui tuba ſunt Spiritus ſancti, aut glorioſorum patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſsionis

Christi Domini Dei noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius duxerit. Omnes uerſes ſcripturas, patrumq; piorum monumenta, nunquam inuenies, Dominum, Apoſtolos, aut patres, incruentum illud ſacrificium, quod à ſacerdote offertur, imaginem dixiſſe; uerùm, ipſum corpus, & ipſum ſanguinem. Idemq; quod inſani homines patiuntur, iam hoc, iam illud imaginantes; & nunc quidem ſanctum, & notabile, noſtrum ſacrificium, imaginem ſacri corporis Christi, nunc autem ſacrum & diuinum corpus aſſerunt.

Concilium Lateranen.

Lateranen. Concilium generale, etiam ita habet. Sexta Synodus recepit Miſſam Apoſtoli Iacobi, & in hoc ſatis declarauit ſeſe iſtam ueritatem tenere, confiteri, & commendare.

Epitome octo librorum Apoſtolicarum conſtitutionum.

Epitome etiam Apoſtolicarum conſtitutionum, quas octo libris conſtare certum eſt, nunc in Creta inſula repertis, inuentore & interprete Carolo Capellio Veneto, atque aliàs in Sicilia etiam iam inuentis, ſic habet, Itaque primus eſt naturà Princeps Sacerdotum, Dei unigenitus Christus: qui non ſibi ipſe dignitatem arripuit, ſed à Patre conſtitutus eſt. Qui factus homo propter nos, & ſpiritalem hoſtiam offerens Deo & Patri ſuo, antequam pateretur, nobis conſtituit ſolis hoc facere, quãquam eſſent nobiſcum & alij, qui in ipſum crediderant. Hæc uerba habentur in Tomo 1. Conciliorum, pagina 28. columna 1.

Concilium Senonen.

Decr.11. Senonenſe Concilium prouinciale ita habet omnino, in ea parte, in qua agit de unitate, ſanctitate, & infallibilitate Eccleſiæ. Determinatio in forma ponitur inferius.

Liturgiæ Miſſæque ſacrum ab uniuerſo eorum, quos Scholaſticos nuncupamus, ordine approbari. CAP. VIII.

AD iſtam ueritatem eſt etiam tota Schola Chriſtiana ſimul, omnium doctorum ſcholaſticorum.

Magiſter enim ſententiarum ita quæſiuit, dicens, Poſt hæc quæritur, Si quod gerit ſacerdos, propriè dicatur ſacrificium uel immolatio? Et ſi CHRISTVS quotidie immoletur, uel ſemel tantùm immolatus ſit? Reſpondendo autem inquit, Ad hoc breuiter dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur à ſacerdote uocari ſacrificium & oblationem: quia memoria eſt, & repræſentatio ueri ſacrificij, & ſanctæ immolationis facta in ara Crucis. Et ſemel CHRISTVS mortuus in Cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſemetipſo: quotidie autem immolatur in ſacramento, quia in ſacramento recordatio fit illius quod factum eſt ſemel. Vnde Auguſtinus. Certum habemus, quia CHRISTVS reſurgens ex mortuis, iã non moritur, &c. Tamen ne obliuiſcamur quod ſemel factum eſt, in memoria noſtra omni anno fit, ſcilicet quoties Paſcha celebratur. Nunquid toties CHRISTVS occiditur? Sed tantùm anniuerſaria recordatio repræſentat, quod olim factum eſt: & ſic nos facit moueri, tanquam uideamus Dominum in Cruce. Item, Semel immolatus CHRISTVS in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Quod ſic intelligendum eſt, Quia in manifeſtatione corporis, & diſtinctione membrorum, ſemel tantùm in Cruce pependit, offerens ſe Deo Patri hoſtiam redemptionis efficacem, eorum ſcilicet quos prædeſtinauit. Item Ambroſius, In CHRISTO ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potẽs. Quid ergo nos? Non'ne per ſingulos dies offerimus? Et ſi quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit: & una eſt hoſtia, non multæ. Quomodo una, & non multæ? Quia ſemel immolatus eſt CHRISTVS. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius idipſum, & ſemper idipſum offertur: proinde hoc idẽ eſt ſacrificium: Alioquin dicetur, quoniam in multis locis

Magiſter lib. 4. diſt. 12.

Hebr. 7. 9. 10.

Aug. ſup pſal. 20. Habetur De conſecra. diſtinct. 2. c. Semel.

Augu. in lib. ſenté. Proſperi. Habetur De conſecra. diſtinct. 2. c. Semel immolatus.

Amb. ſup epiſto. ad Hebr. 10. Habetur De conſecra. di-

ſtinct. 2. c. In chriſto. offertur, multi ſunt CHRISTI: Non, ſed unus ubique eſt CHRISTVS: & hic plenus exiſtens, & illhic plenus: ſicut quod ubique offertur, unum eſt corpus, ita & unum ſacrificium. CHRISTVS hoſtiam obtulit, ipſam offerimus & nunc: ſed quod nos agimus, recordatio eſt ſacrificij. Nec cauſa ſuæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominem: ſed noſtræ, quia quotidie peccamus. Ex his colligitur eſſe ſacrificium & dici, quod agitur in altari: & CHRISTVM ſemel oblatum, & quotidie offerri: ſed aliter tūc, aliter nūc. Hæc Magiſter ſententiarum.

Schola Chriſtiana, & Alexander de Ales.

Schola tota Chriſtiana tenet, credit, & docet idem prorſus, quod Magiſter, quo ad hanc manifeſtam ueritatem. Alexander de Ales in ſuis partibus, & in multis locis earum.

SANCTVS THOMAS.

Part. 3. q6.73. artic. 4. Qō. 74. art. 1. Qō. 79. art. 7. Qō. 81. art. 1. ad tertiū argum. Qō. 82. art. 4. Qō. 83. art. 1.

Sanctus Thomas etiā in ſuis partibus, ubi quærit, Vtrùm conuenienter hoc ſacramentum pluribus nominibus nominetur? & ubi quærit, Vtrùm inſtitutio huius ſacramenti fuerit conueniens? & ubi quærit, Vtrùm materia huius ſacramenti ſit panis, & uinum? Ibi enim fatetur quòd corpus CHRISTI ſub ſpecie panis, & ſanguis CHRISTI, ſub ſpecie uini offeruntur. Et ubi quærit, Vtrùm hoc ſacramentum proſit aliis, quàm ſumentibus? Et ubi quærit, Vtrùm CHRISTVS ſumpſerit ſuum corpus & ſanguinem? Et ubi quærit, Vtrùm ſacerdos conſecrans teneatur ſumere hoc ſacramentum? Ibi enim multa dicit, tum in corpore articuli, tum ad primum, & tertium argumentum. Et ubi quærit, Vtrùm in hoc ſacramento CHRISTVS immoletur? Fatetur enim ibi quòd ſic, & probat ſatis.

SCOTVS.

Lib. 4. diſt. 8. & infra. Scotus de ſacra Euchariſtia prout eſt ſacramentum, multa dixit in ſuo, 4. libro ſententiarum, inter quæ nonnulla

ſunt ualde notabilia: de diuina autem Euchariſtia pro ut eſt ſacrificium, ſiue de Miſſa, eiusque uirtute, ualore, atque efficacia, multa tradidit in illo ſuo Quolib. quod appellatur aureum. Ibi enim uideri poteſt apertè, quòd Miſſa eſt ſacrificium, & prodeſt illis pro quibus offertur, uiuis, aut defunctis. Quæſtio erat, quam ipſe propoſuit, Vtrùm ſacerdos obligatus ad dicendum Miſſam pro uno, obligatus etiam ad dicendum Miſſam pro alio, ſufficienter ſoluat debitum, dicendo unam Miſſam pro ambobus? Determinat autem quòd Miſſa eſt ſacrificium, ſacrificium uerò infinitum, & infinitis ſufficiens, in quo CHRISTVS offertur. Pertractat tria circa iſtam quæſtionem, Primum, ſi Miſſa dicta pro duobus, tantùm ualet iſti, ſicut ſi pro eo ſolo diceretur: & hoc merito perſonali celebrantis. Secundum, ſi tantùm ualet, merito generalis Eccleſiæ offerentis. Tertium, ſi iſte ſimpliciter ſoluit debitum utrique, cui obligatur. Sed inſtituti noſtri ratio non patitur, ut de his modò latius agamus. Quol. 10

DVRANDVS.

Durandus à Sancto Portiano, mouet quæſtionem, Vtrùm Euchariſtia ſit ſacramentum? determinat autem latius iuxta ueritatem, atque proprietatem rei, quòd eſt, & ſacramentum, & ſacrificium. Idem docet poſtea, ubi quærit, Vtrùm conſecratio huius ſacramenti, propriè conueniat ſacerdotibus? Ibi enim probat partem affirmatiuam ex multis. Specialiter etiam ex eo, quòd ſicut olim in ueteri lege proprium fuit ſacerdotibus offerre illa ſacrificia imperfecta, ſic fortiori ratione offerre ſacrificium nouæ legis, quòd eſt perfectiſsimum & digniſsimum, conuenit, debetq; conuenire ſolis ſacerdotibus. Idem ibi ad primum argumentū. Lib. 4. diſt. 8. q6. 1. Diſt. 13. q6. 1.

IOANNES Gerſon.

Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, de ſacrificio agit, Alphabeto 85. & 89. Præcipuè autem de ſacrificio Crucis, & ſacrificio altaris, ita loquitur ſuper Matthæum. Sacrificium ſicut & uerbum abbreuiatum fecit dominus ſuper ter-

ram, Hoſtiam unam, unicam, mundam, plenam bonis; plenam effectibus omnibus ills, pro quibus Hoſtia legalis ſolebat offerri. Si deletionem peccatorum petis, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Si gratiarum actionem, gratias agit CHRISTVS Patri. Si malorum euitationem, ſanat ipſe nos & liberat: quia uerè languores noſtros ipſe tulit. Si bonorum conſecutionem celerem, interrogatus latro docebit: qui tempore huius ſacrificij ueſpertini audire meruit cum iuramento, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Et ſequitur, In ſacrificio corporis & ſanguinis ſui, noua fecit omnia. Paſchalem agnum, manna deſerti, panem cæli, tauros, uitulos immolationis, hircum emiſſarium, paſſerem, turtures & columbas, uinum & libamina, ſal in omni ſacrificio, caudam cum capite, neque mel, neque fermentum. Denique quotidianum bis ſacrificium, cum matutino ueſpertinum; quicquid in his figuraliter ſignificatur & myſticè, per hoc unicum ſacrificium impletum eſt, & nobis per ipſum confertur in ueritate.

GABRIEL Biel.

Lib. 4. diſtin. 8. & infra per multa. Lect. 1. litera B. Ibidem litera D. & lite. E. usque ad lect. 10. incluſiuè. Lect. 11. 12. & 13. Lect. 14. Lect. 16.

Gabriel Biel eadem de hoc mirabili digniſsimo, & auguſtiſsimo ſacrificio docet, tum in quarto libro Sententiarum, quaſi generaliter cum aliis Doctoribus catholicis, tum ſuper canonem Miſſæ ſpecialiter. In hoc enim opere ſpecialiter tradit, quòd ſacerdos ſuper corpus CHRISTI uerum habet poteſtatem conſecrandi, offerendi, fidelibus diſpenſandi, quam poteſtatem Dominus in ultima cæna contulit Apoſtolis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Succeſſoribus, inquam, ſaltem in ſacerdotio. Deinde agit de impedimentis remouendis à miniſtro, ſacram oblaturo Hoſtiam: poſterius de conuenientibus ipſi miniſtro apponendis. Et ſic terminat partem procemialem eius operis, notando tempus & horas diei, quibus Miſſam celebrare congruit. Poſtea agit de illis quæ canonem præcedunt, & ad illuminationem populi pertinent: atque de illis quæ canonem præcedunt, & pertinent ad conſecrandorum oblationem. Tandem ſuppoſito

quòd

quòd Miſſa ſit uerum ſacrificium, omnes ſequentes mouet & determinat quæſtiones. Prima eſt; Vtrùm applicatio fructus, & uirtutis ſacrificij, ſubſit celebrantis poteſtati? Secunda eſt, Vtrùm applicationem uirtutis ſacrificij impediat malitia uel ſuſpenſió celebrantis miniſtri. Tertia eſt, Quomodo fideli liceat pro ſe, uel aliquibus celebrari Miſſam ſpecialiter ordinare, cum teneatur omnes fideles æqualiter ſibi diligere? Quarta eſt, Quomodo dantes & recipientes temporalia ut ſpiritualia rependantur, à prauitate ſimoniaca excuſentur? Quinta eſt, De ſeruando ordine in uirtutis ſacrificij applicatione. Ibi notat quòd Miſſa poteſt intelligi ualere & efficaciam habere, dupliciter, Vno modo ex opere operante, Alio modo ex opere operato. & latè proſequitur intentum, atque notabiliter. Poſt multa autem quæ pulchrè, atque ſcienter adducit circa Miſſæ canonem, iuxta propoſitum noſtrum, & materiam de qua agimus, poſt illa uerba Ioannis Gerſonis paulò ante relata, quæ ipſe adducit; loquitur in hæc uerba. Quamuis autem ſemel oblatus eſt CHRISTVS in aperta carnis effigie, offertur nihilominus quotidie in altari; uelatus in panis uiníque ſpecie. Non quidem quantum ad ea, quæ pœnam important, Non CHRISTVS quotidie uulneratur, patitur, & moritur; ſed ex alijs duabus cauſis Euchariſtiæ conſecratio, & ſumptio, ſacrificium dicitur & oblatio. Tum quia illius ſacrificij ueri & immolationis ſanctæ, factæ in cruce, repræſentatiua eſt, & memoriale. Tum quia ſimilium effectuum operatiua; & principium cauſale. Solent autem (ait beatus Auguſtinus ad Simplicium) imagines illarum rerum nominibus appellari; quarum ſunt imagines; ſicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictum, dicimus, Ille Cicero eſt, ille Salluſtius. Celebratio autem huius ſacrificij, imagó quædam eſt paſsionis CHRISTI repræſentatiua, quæ eſt uera immolatio. Ideo & ipſa, immolatio nominatur. Hæc ille. Simili modo, immo & eodem ſentiunt, atque docent omnes alii Doctores ſcholaſtici, quotquot hactenus in Eccleſia Dei fuerunt uiri catholici, ut non ſit opus eos modò ulterius referre. Omnes enim quaſi uno ore eadem loquuntur, atque in eandem ueritatem conſentiunt.

Lect. 26.

Ibid. G.

Lect. 85. litera F.

caturi ſint, nullus profectò eſt, qui poſsit rationabiliter eorũ, tot, tantorumque, declinare ſententiam; uel ab ea prouocandi facultatem habeat.

Quo pacto prænotati Doctores eandem de Sacrificio Miſſæ ueritatem aſſerant, probentque. Hebræorum Rabinos hoc idem ſacrum olim agnouiſſe, demonſtratur. CAP. X.

EST etiam maximè attendendus modus, quem obſeruant prænominati doctores ſancti dum ad probationem huius ueritatis, procedunt: quam utique, ut conſtat, non ſolùm credunt, confitentur & commendant; ſed & probant. Probant autem, non quaſi ſolùm per traditionem (quod abſit) ſed potiſsimùm per diuinas Noui atque ueteris Teſtamenti ſcripturas. Modus uerò eorum in procedendo eſt ut ex ſcripturis ſacris deducant, & ſecundum illas concludant eandem prædictam ueritatem. De
Pſal. 109. Saluatore enim noſtro dictum erat diuinitus ſeu propheta-
Gen. 14. tum, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. De Melchiſedech uerè etiam ſcriptum eſt, At uerò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & uinum (erat enim ſacerdos Dei altiſsimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Circa locum hunc fatentur omnes catholici, Melchiſedech conſueuiſſe ſacrificare in pane ac uino: & cum Saluator noſter prædictus eſſet ſacerdos futurus ſecundum ordinem Melchiſedech, manifeſtum eſt eum debuiſſe in pane, & uino ſacrificare. Similiter prædictum erat, quòd & ſacerdotium & ſacrificium Aaronicum Iudæorum ceſſare debebat, & adueniente Meſsia Saluatore noſtro, futura erat noua lex,
Hier. 31. aliud ſacrificium, & aliud ſacerdotium. Ecce dies ueniens,
Hebr. 8. dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Ieda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum in die quo apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Aegypti; quoniam ipſi non permanſe-

runt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, &c. Dicendo autem nouum, ueterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè in interitu eſt. Ideo ingrediens in mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato, non tibi placuerunt; Tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Superius dicens, Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce uenio ut faciam Deus uoluntatem tuam. Aufert primum, ut ſequens ſtatuat. Ita declarat Apoſtolus translatum eſſe iam antiquum illud ſacerdotium, & cum illo per conſequens antiquam illam legem: ut & nunc legem nouam habeamus tempore gratiæ; nouum ſacerdotium, nouum ſacrificium. De qua re, multa manifeſtè dixerunt Prophetæ. Sic enim legimus, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu ueſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Alibi, Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille, ducenti nonaginta, &c. Alibi, Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tenentes ſaggittam; in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non uiderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres ueſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum meum Hieruſalem, dicit Dominus, quo modo ſi inferant filij Iſraël munus in uaſe mundo in domum Domini. Et aſſumam ex eis in ſacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus. Quia ſicut cœli noui, & terra noua, qua ego facio ſtare coràm me, dicit Dominus Deus &c. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo

Ibidem. Hebr. 10. Malac. 1. Dan. 12. Eſa. 66. Pſal.

caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt;
Pſal. 50. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta. &c. His multiſque aliis locis diuinarum ſcripturarum oſtendunt ſancti patres olim prædictum eſſe, quòd tempore Meſsiæ Saluatoris noſtri futurum erat ſacerdotium in pane & uino iuxta ordinem, & ritum Melchiſedech: in quo tráſferendum tunc erat ſacerdotium Aaronis, animalium, auium, & rerum aliarum diuerſi generis: quantum ad id quod in Eccleſia Chriſtiana permanere debebat, uiſibiliter, & ubique terrarum, Orbis Chriſtiani. Quam rem etiam fatentur completam per Saluatorem noſtrum, dum in cœna ultima, ipſe pridie quàm in Cruce pateretur, cœnans ipſe adhuc cum duodecim diſcipulis ſuis, accepit panem ſanctis, ac uenerabilibus manibus ſuis, & eleuatis oculis in cœlum ad Deum Patrem ſuum omnipotentem ei gratias agens, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. Sic enim habent Euangeliſtæ,
Matt. 26. Matthæus, inquit, Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis; Et edentibus illis, dixit, Amen dico uobis, quia unus ueſtrum me traditurus eſt. Infra.
Ibidem. Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.
Mar. 14. Marcus dicit, Veſpere autem facto, uenit cum duodecim. Et diſcumbentibus eis & manducantibus, ait IESVS, Amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me, qui manducat mecum. Infra, Et man-
Ibidem. ducantibus illis, accepit IESVS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis, Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.
Lucæ. 22. Lucas ait, Et cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait

illis, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcũ, antequam patiar. Infra, Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem, Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur. Hæc autem omnia conſiderando, fatentur prædicti patres, Saluatorem noſtrum illo die inſtituiſſe hoc diuinum ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & uini, perpetuò manſurum & obſeruandum, utendumque ad noſtram ſalutem in ſui commemorationem, in ſua Chriſtiana Eccleſia. Hæc autem omnia conſiderando, inquam, id eſt, factum ipſum Domini, uerba eius, cæremonias, benedictiones, fractiones, tempus, & horam, atque congruentiam figuratæ rei, ad figuras ſuas; Quod inſuper faciunt, credunt, confitentur, & docent etiam ex uerbis Apoſtoli, qui ut notum eſt apud ipſum, de hoc ſacro pane, quem frangimus, ac de ſacro calice cui benedicimus, loquens ad Corinthios, pariter & de noſtro altari; ea ſub eiſdem uerbis aut nominibus comparat hoſtiis altarique Iſraëlis ac Gentillum, certò ſignificans noſtrum uerum eſſe altare, & hanc noſtram ueram eſſe Hoſtiam, oblationem mundam olim prædictam ubique fore offerendam, & nobis iam exhibitam. Vnde igitur ualde notandus eſt modus, quo patres procedunt, iſtam ſacram ueritatem oſtendentes: quia non ſolùm ex traditione, ſed etiam & potius ex diuinis ſcripturis. An non ſufficeret traditio Eccleſiæ, ſi ſola eſſet? Immo ſufficeret ſine dubio, ſicut optimè dicit diuus Chryſoſtomus, Traditio eſt, nihil quæras amplius. Cui doctori ſancto concordant omnes alij doctores ſancti. Sed patres ex ſcripturis deducunt, quia illæ ſatis manifeſtæ ſunt: & ut abundantiorem nos haberemus probationem rei iſtius quam & per traditionem, & per ſatis notas ſcripturas habemus. Ibid.

Certum eſt autem, mihique indubitatum prædictos ſanctos patres, optimè intellixiſſe cognitasque habuiſſe diuinas ſcripturas aut noui, aut ueteris teſtamenti, ex quibus procedunt. Si enim Euangelium eſt opertum, iis qui pereunt

eſt opertum. Aliàs electos uiros unctio docet; & illi uerè edocti, docent nos. Et non eſt dubium, quin fuerint illi uiri ſanctiſsimi, qui iam ſuperius commemorati ſunt, Clemens Martyr, Dionyſius Martyr, Ireneus Martyr, Cyprianus Martyr, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, & alij penè infiniti. Sancti enim inter mortales fuerunt, atque adeo ſancti, ut etiam electi, filij Dei adoptiui ſecundum æternam hæreditatem; hæredes quidem Dei, cohæredes autem CHRISTI: quos & ipſe Dominus ſuis approbauit miraculis, non ſolùm inter nos uiuentes, ſed etiam hac uita functos. Ergo illis non fuit opertum Euangelium ſalutis, iuſtificationis, & pacis. Præterea quòd ſancti patres noſtri noui teſtamenti, rectè intellexerint prædictas diuinas ſcripturas ueteris teſtamenti, confirmatur non parum ex communi explicatione, & ſententia Rabinorum antiquorum: nanque ipſi quoque prædictas ſcripturas ſacras intellexerunt eodem modo, de futuro tunc ſacerdotio, non ſolum ſpiritali, ſed & ſenſibili obſeruando per Orbem ſecundum ordinem Melchiſedech. Ita nanque ipſi confeſsi ſunt. Eſt enim teſtimonium Rabi Samuelis qui noſtrum ſacrificium uidens, & ſanctitatem illius agnoſcens, ſcripſit ad Iſaac Rabinum in libro ueri Meſsiæ Paraſt. Vnde eſt nobis

Rabi Samuel cap. 20.

Domine mi, quòd nos deteſtamur in gentibus ſacrificium panis & uini, quod ſtatuit Deus, & in nullo reprobat, ſicut reprobat ſacrificium carnium, cùm Salamon deſcribit illud

Eccl. 50.

Aaron, dicens, Iſte, ſcilicet Aaron, extendit manus ſuas ſuper altare, & obtulit ſanguinem uuæ, & incenſum Deo uiuo, & obtulit ſacrificium noſtrum de granis terræ, ſicut

Leui. 23.

Melchiſedech obtulit pro Abraham. Declarat Deus ſacrificium gentium per Moſen, Offeretis Deo ſacrificium de leuatis de area, & de expreſsione uuæ, & benedicat uobis

Cap. 21.

Deus, & cunctis operibus manuum ueſtrarum. Infra, Abominatio de ſacrificiis apud Deum nihil aliud ſignificat, niſi mutationem ſacrificij noſtri carnalis & groſsi, in ſacrificium iſtius iuſti Domini, ſpirituale & ſubtile; qui inſtituit offerre panem, loco carnium: & aquam mundam, loco pinguedinis carnium: & uinum purum, loco ſanguinis, &c. Rabi Samuel etiam, ad Iſaac ante annos quingentos quinquaginta,

ginta, prout ſcriptum reliquit Dauid de eo, (Christvm intelligit de quo erat ſermo) ipſe eſt ille, cuius ſacerdotium in æternum erit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit Rex & ſacerdos Dei altiſsimi, ante Aaron. Et attende Domine mi, quanta ſit differentia inter ſacerdotium Aaron, & domini iuſti illius. Dixit dominus domino meo, tu es ſacerdos in æternum. Sacrificium Aaron fuerunt carnes; & ſacrificium iſtius iuſti Domini, fuit panis, & uinum, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech. In quibus uerbis Deus per Prophetam manifeſtè oſtendit, quòd ſacrificium finiretur, quando inciperet iſtud ſacrificium in æternum: & ordinatio ſacrificandi ſecundum ordinem Aaron ex toto ceſſaret, quando inciperet ſacrificium in pane, & uino æternaliter duraturum. Rabi Samuel item ad Iſ. Timeo domine mi, quòd Deus elongauit nos à ſe, & ſacrificium noſtrum: ſed & acceptauit ſacrificium gentium, ſicut ipſe dicit per os Malachiæ Prophetæ, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Deus, neque recipiam ſacrificium ueſtrum, quoniam ab ortu Solis uſque ad Occaſum eius, magnum eſt nomen meum in gentibus, quæ offerunt nomini meo ſacrificium mundum. Ergo apud Deum ſacrificium gentium eſt mundius, quam ſacrificium noſtrum. Et inſuper, quia Deus priuauit nos omni ſacrificio, & mundo ſacrificio, ut alios doceret Chriſtianos, ut ipſi uitarent nos, ut non contaminarentur, ſicut nos uitauimus gentes omni tempore, quo ſacrificium noſtrum fuit mundum apud Deum, & acceptum. Hæc ille. Cap. 10.

Eodem pertinent aliorum multorum Rabinorum ſcripta, qui ita intellexerunt ſcripturas ſacras diuinorum Prophetarum, ut firmiter crederent aliquando fore ſacrificium mundum, & incruentum, ſecundum ordinem Melchiſedech, quod, reprobato ſacrificio cruento Aaronis, placeret Deo Optimo Maximo. Et certum eſt omnino, quòd quemadmodum ſacris uaticinijs prædictum fuit olim de noua lege, nouo fœdere, nouoque teſtamento tunc futuro, & nobis tradito: ſic de hoc noſtro ſanctiſsimo, atque uiuifico ſacrificio, per Orbem celebrando prædictum fuit.

Quo pacto Ioannes Eckius, Antonius Monchiacenus, & Thomas Caietanus, uiri doctisſimi, catholicique, Miſſæ ſacrificium probent, & tueantur. *CAP. XI.*

IOANNES Eckius.

tomo. 4. homil. Hom. 27. & infra.

IOannes Eckius, uir quidem eruditiſsimus, Chriſtianus, Catholicus, & ualde religioſus, beneque meritus de tota Chriſtiana religione; poſtquam multa dixit optimè de ſacro ſancta Euchariſtia, oſtendens iam quomodo hoc ſacramentum in Miſſæ officio offertur; probauit ſatis, & diuinis ſcripturis, & ſanctis doctoribus, noſtram Miſſam eſſe ſacrificium. Dicit enim, Huius equidem ſacramenti uſum putarim longè præclariſsimum eſſe in officio Miſſæ. Ibi enim conſecratus; ibi offertur, ibi à ſacerdote etiam ſumitur. Atque in ea re non eſt aliquid controuerſum annis iam inde mille quadringentis, unde aliquid erroris fuiſſet exortum, donec nunc tandem ijs periculoſiſsimis temporibus à CHRISTO & Apoſtolis prædictis, neſcio qui ab heri, aut nudius tertius nati, Neochriſtiani ſanctum illud atque adeo unicum Eccleſiæ ſacrificium impugnare tentarint, aduerſus uniuerſalem catholicæ Eccleſiæ uſum, aduerſus maniſeſtiſsima utriuſque teſtamenti ſcripta, aduerſus conſtantiſsima ſanctorum patrum ab Eccleſia receptorum teſtimonia, aduerſus ſancta, & à Sancto ſpiritu adminiſtrata concilia. Vt ergo uos quoque in hac fidei parte confirmemini, nec aliquam etiam leuiſsimam erroris ſuſpitionē hîc apud uos habeatis, ecce nunc diuina fauente clementia ipſis ſacrarum literarum teſtimonijs docebimus, in officio Miſſæ ſacroſanctum illud corporis CHRISTI ſacramentum pro uiuis & defunctis offerri. Hæc illæ. Qui in ſequentibus ita proſecutus eſt, atque effecit, ut propoſuit.

ANTONIVS Monchiacenus.

Anto. Monchiacenus, doctor Sorbonicus, in ſua Catho-

lica & hiſtorica propugnatione Religionis inſtitutioniſque Domini noſtri Ieſu Christi, Iſtã eandem tenet & probat ueritatem. Primùm enim argumentis communibus, & ex ueteri potiſsimùm teſtamento petitis, in nouo Chriſtianos probauit Deum debere ſacrificio uenerari ac colere, quod communi & paſsim recepto apud omnes nomine, Miſſam dicimus. Deinde oſtendit quòd, nomine Miſſæ, & ueteri ac longa eius acceptione, Miſſa comprobatur ſacrificium. Tertiò demonſtrat, quod Miſſæ ſacrificium à Christo Domino Ieſu eſt inſtitutum.

tom. 1. per multa

tomo. 2. cap. 1.

Ibidem cap. 2.

Thomas Caietanus.

Bene theologizauit Thomas Caietanus in ſuo tractatu, De ſacrificio Miſſæ, probando, ex inſtitutione Christi Euchariſtiam immolari. Conſiderat in eo opere multa conſideranda, & quæ conſiderata, ſatis probant intentum: Sed maximè, atque præcipuè id probat ille doctor ualde notabilis, & optimè, ex illo uerbo Domini, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur & frangitur. Quia, ut notat, Illud uerbum, Quod pro uobis traditur, & frangitur. non fuit additum, ut explicaret ipſius corporis ueritatem, aut proprietatem; quia hoc potuit alijs modis explicari: ſed fuit additum ut faceret ſermonem formalem. Tanquam illud uerbum Domini, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, & frangitur, tantundem ualeat, ac ſi diceret Dominus, Hoc eſt corpus meũ pro uobis traditũ, & fractum: Quare hoc? ut in ipſa conſecratione, intelligamus immolationem, id eſt, corpus immolatum. Et rurſus, ut cum poſtea Dominus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem: intelligamus, debere nos in noſtra conſecratione, aut celebratione, intelligere corpus Christi immolatum, traditum, & fractum. Verba illius doctoris ſunt hæc, Catholici autem agnoſcimus in ſacris literis ſcriptam eſſe inſtitutionem immolationis Euchariſtiæ. Euangeliſtæ enim, ſpecialiter Lucas, ſpecialiuſque Paulus tradunt poſt multas actiones Domini Ieſu in cœna, eum mandaſſe, Hoc facite in mei commemorationem. Quæ, quia uerba ſunt Ieſu

Cap. 3. tom. 3. opuſcul.

Lucæ. 22.

1. Co. 11.

ram, Hoſtiam unam, unicam, mundam, plenam bonis; plenam effectibus omnibus ills, pro quibus Hoſtia legalis ſolebat offerri. Si deletionem peccatorum petis, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Si gratiarum actionem, gratias agit CHRISTVS Patri. Si malorum euitationem, ſanat ipſe nos & liberat: quia uerè languores noſtros ipſe tulit. Si bonorum conſecutionem celerem, interrogatus latro docebit: qui tempore huius ſacrificij ueſpertini audire meruit cum iuramento, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Et ſequitur, In ſacrificio corporis & ſanguinis ſui, noua fecit omnia. Paſchalem agnum, manna deſerti, panem cæli, tauros, uitulos immolationis, hircum emiſſarium, paſſerem, turtures & columbas, uinum & libamina; ſal in omni ſacrificio, caudam cum capite, neque mel, neque fermentum. Denique quotidianum bis ſacrificium, cum matutino ueſpertinum; quicquid in his figuraliter ſignificatur & myſticè, per hoc unicum ſacrificium impletum eſt, & nobis per ipſum confertur in ueritate.

GABRIEL Biel.

Lib. 4. diſtin. 8. & infra per multa. Lect. 1. litera B. Ibidem litera D. & lite. E.

Gabriel Biel eadem de hoc mirabili digniſsimo, & auguſtiſsimo ſacrificio docet, tum in quarto libro Sententiarum, quaſi generaliter cum aliis Doctoribus catholicis, tum ſuper canonem Miſſæ ſpecialiter. In hoc enim opere ſpecialiter tradit, quòd ſacerdos ſuper corpus CHRISTI uerum habet poteſtatem conſecrandi, offerendi, fidelibus diſpenſandi, quam poteſtatem Dominus in ultima cæna contulit Apoſtolis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Succeſſoribus, inquam, ſaltem in ſacerdotio. Deinde agit de impedimentis remouendis à miniſtro, ſacram oblaturo Hoſtiam: poſterius de conuenientibus ipſi miniſtro apponendis. Et ſic terminat partem proœmialem eius operis, notando tempus & horas diei, quibus Miſſam celebrare congruit. Poſtea agit de illis quæ canonem præcedunt, & ad illuminationem populi pertinent: atque de illis quæ canonem præcedunt, & pertinent ad conſecrandorum oblationem. Tandem ſuppoſito

uſque ad lect. 10. incluſiuè. Lect. 11. 12. & 13. Lect. 14. Lect. 16.

quòd

quòd Miſſa ſit uerum ſacrificium, omnes ſequentes mouet & determinat quæſtiones. Prima eſt; Vtrùm applicatio fructus, & uirtutis ſacrificij, ſubſit celebrantis poteſtati? Secunda eſt, Vtrùm applicationem uirtutis ſacrificij impediat malitia uel ſuſpenſió celebrantis miniſtri. Tertia eſt, Quomodo fideli liceat pro ſe, uel aliquibus celebrari Miſſam ſpecialiter ordinare, cum teneatur omnes fideles æqualiter ſibi diligere? Quarta eſt, Quomodo dantes & recipientes temporalia ut ſpiritualia rependantur, à prauitate ſimoniaca excuſentur? Quinta eſt, De ſeruando ordine in uirtutis ſacrificij applicatione. Ibi notat quòd Miſſa poteſt intelligi ualere & efficaciam habere, dupliciter, Vno modo ex opere operante; Alio modo ex opere operato. & latè proſequitur intentum, atque notabiliter. Poſt multa autem quæ pulchrè, atque ſcienter adducit circa Miſſæ canonem, iuxta propoſitum noſtrum, & materiam de qua agimus, poſt illa uerba Ioannis Gerſonis paulò ante relata, quæ ipſe adducit; loquitur in hæc uerba. Quamuis autem ſemel oblatus eſt CHRISTVS in aperta carnis effigie, offertur nihilominus quotidie in altari; uelatus in panis uinique ſpecie. Non quidem quantum ad ea, quæ pœnam important, Non CHRISTVS quotidie uulneratur, patitur, & moritur; ſed ex alijs duabus cauſis Euchariſtiæ conſecratio, & ſumptio, ſacrificium dicitur & oblatio. Tum quia illius ſacrificij ueri & immolationis ſanctæ, factæ in cruce, repræſentatiua eſt, & memoriale. Tum quia ſimilium effectuum operatiua; & principium cauſale. Solent autem (ait beatus Auguſtinus ad Simplicium) imagines illarum rerum nominibus appellari; quarum ſunt imagines; ſicut cum intuentes tabulam, aut parietem pictum, dicimus, Ille Cicero eſt, ille Salluſtius. Celebratio autem huius ſacrificij, imagó quædam eſt paſsionis CHRISTI repræſentatiua, quæ eſt uera immolatio. Ideo & ipſa, immolatio nominatur. Hæc ille.

Lect. 26.

Ibid. G.

Art. 4.

Lect. 85. litera F.

Art. 6.

Cap. 41.

Simili modo, immo & eodem ſentiunt, atque docent omnes alii Doctores ſcholaſtici, quotquot hactenus in Eccleſia Dei fuerunt uiri catholici, ut non ſit opus eos modò ulterius referre. Omnes enim quaſi uno ore eadem loquuntur, atque in eandem ueritatem conſentiunt.

Vniuerſitates omnes Catholicas, recentioresq́; pios Theologos, eandem de ſacrificio Miſſæ ueritatem fateri, & amplecti. *CAP. IX.*

AD iſtam ueritatem ſunt etiam omnes uniuerſitates catholicæ, atque eccleſiæ Chriſtianæ, quæ iſtis temporibus ſuam fidem explicauerunt iuxta temporum inſtantium neceſſitatem.

Facultas Theologica Pariſienſis.

Facultas nanque Theologica Pariſienſis in ſuis articulis
Art. 6. 26. declarantibus fidem, & religionem Chriſtianam dixit, Sacrificium Miſſæ, eſt ex CHRISTI inſtitutione ualens pro uiuis, & defunctis.

Facultas Theologica Louanienſis.

Faculta sTheologica Louanienſis in ſuis articulis 32. or-
Art. 16. thodoxam religionem, ſacramq́ue fidem noſtram reſpicientibus, dixit, ſacrificium Miſſæ ex inſtitutione CHRISTI, tam uiuis prodeſt, quàm defunctis.

Confeßio Eccleſiæ regni Poloniæ.

Confeſsio Catholicæ fidei Chriſtianæ, uel potius explicatio quædam confeſsionis, in Synodo Petricouienſi à patri-
Cap. 41. bus prouinciarum Girenſis, & Lepolienſis in Regno Poloniæ, manifeſtè habet, quòd hoc ſacramentum ſanctiſsimæ Euchariſtiæ, rectè dicatur ſacrificium. Secundum quam ueritatem multa explicat digna ſcitu, de quibus in ſequentibus dicenda ſunt non pauca, aut potius non ſolùm dicenda, ſed & notanda.

Confeßio recentiorum Doctorum catholicorum.

Eandem ueritatem confeſsi ſunt etiam omnes Doctores

catholici, qui poſt hæreſim contra illam temporibus hiſce or
tam ſcripſerunt: ut glorioſus CHRISTI Martyr Ioã. Epiſco-
pus Roffenſis in Axiomat. 10. 2. congreſſus. & in defenſione Roffenſis
Aſſer Regis contra captiuitatem Babylonicam. Caietanus
in ſuo tractatu ſpeciali De ſacrificio Miſſæ, quem edidit Caietan.
probando ex inſtitutione CHRISTI Euchariſtiam immola- cap. 3.
ri: & habetur tractatus ille tomo 3. opuſculorum ipſius.
Ioan. Eckius in ſuo opere Homiliarum, De ſeptem Eccleſiæ Eckius
ſacramentis, agens de ſacrificio Miſſæ, & oſtendens quo- tomo. 4.
modo ſacramentum in hoc Miſſæ officio offertur. Alfonſus Hom. 27.
à Caſtro Archiepiſcopus Compoſtellanus circa primam hæ- Alfonſus
reſim de Miſſa. Ioannes Driedonius in ſuo opere de Dog- à Caſtro.
mat. ubi fatetur ſanctos patres iam inde ab ipſis Apoſtolo- Driedon.
rum temporibus, appellaſſe ſacroſanctam Euchariſtiam, ſa- lib. 4.
crificium. Ruardus Tapper ab Enchuſia, in Explicatione cap. 5.
articulorum uenerandæ facultatis ſacræ Theologiæ genera- part. 4.
lis Academiæ Louanienſis. Stanislaus Hoſius, Varmienſis ipſius ca.
Epiſcopus, Sanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis, nunc ad tom. 1.
hoc ſacrum, & Oecumenicum concilium Tridentinum Le- Ruardus
gatus Tertius, omni merito uenerandus, in ſua explicatio- Tapper.
ne confeſsionis factæ, in Synodo Petricouienſi à patribus tomo. 2.
prouinciarum Gneſnenſis, & Leopolienſis in Regno Polo- art. 16.
niæ, eo loco, quo prudenter, latè, exactiſsimeque diuinis Staniſl.
ſcripturis & ſanctis patribus inuictiſsimè atque irrefraga- Hoſius.
biliter demonſtrat, quòd hoc ſacramentum, id eſt, ſacra Cap. 41.
Euchariſtia, rectè dicatur ſacrificium. Idem etiam confi-
tetur Albertus Pighius in ſua Hierarchia, in qua non ſolùm Alb. Pi-
pro comperto habet in Miſſa eſſe ſacrificium corporis, & ghius.
ſanguinis Domini, uerùm etiam ad ueritatem hanc fulcien- lib. 2.
dam catholicorum ſcriptorum numeroſam citat adducitq; cap. 5.
multitudinem.

Ita igitur hæc ueritas eſt notiſsima, ut ſemper à tempo-
ribus Apoſtolorum, ad hanc uſque diem fuerit generaliter
omnibus ſanctis & catholicis doctoribus cognita, aſſenſu re-
cepta atque commendata: qui omnes ſi accipiantur ut te-
ſtes, nullum factum non probabunt: cum omni exceptione
maiores, & ſpectatæ fidei citra dubium exiſtant. Si autem
accipiantur ut iudices, qui de rebus religionis noſtræ iudi-

caturi ſint, nullus profectò eſt, qui poſsit rationabiliter eorũ, tot, tantorumque, declinare ſententiam, uel ab ea prouocandi facultatem habeat.

Quo pacto prænotati Doctores eandem de Sacrificio Miſſæ ueritatem aſſerant, probentque. Hebræorum Rabinos hoc idem ſacrum olim agnouiſſe, demonſtratur. CAP. X.

EST etiam maximè attendendus modus, quem obſeruant prænominati doctores ſancti dum ad probationem huius ueritatis, procedunt: quam utique, ut conſtat, non ſolùm credunt, confitentur & commendant; ſed & probant. Probant autem, non quaſi ſolùm per traditionem (quod abſit) ſed potiſsimùm per diuinas Noui atque ueteris Teſtamenti ſcripturas. Modus uerò eorum in procedendo eſt ut ex ſcripturis ſacris deducant, & ſecundum illas concludant eandem prædictam ueritatem. De
Pſal. 109. Saluatore enim noſtro dictum erat diuinitus ſeu propheta-
Gen. 14. tum, Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. De Melchiſedech uerè etiam ſcriptum eſt, At uerò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & uinum (erat enim ſacerdos Dei altiſsimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Circa locum hunc fatentur omnes catholici, Melchiſedech conſueuiſſe ſacrificare in pane ac uino: & cum Saluator noſter prædictus eſſet ſacerdos futurus ſecundum ordinem Melchiſedech, manifeſtum eſt eum debuiſſe in pane, & uino ſacrificare. Similiter prædictum erat, quòd & ſacerdotium & ſacrificium Aaronicum Iudæorum ceſſare debebat, & adueniente Meſsia Saluatore noſtro, futura erat noua lex,
Hier. 31. aliud ſacrificium, & aliud ſacerdotium. Ecce dies ueniens,
Hebr. 8. dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum in die quo appræhendi manum eorum, ut educerem illos de terra Aegypti; quoniam ipſi non permanſe-

runt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, &c. Dicendo autem nouum, ueterauit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè in interitu eſt. Ideo ingrediens in mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato, non tibi placuerunt; Tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Superius dicens, Quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce uenio ut faciam Deus uoluntatem tuam. Aufert primum, ut ſequens ſtatuat. Ita declarat Apoſtolus translatum eſſe iam antiquum illud ſacerdotium, & cum illo per conſequens antiquam illam legem: ut & nunc legem nouam habeamus tempore gratiæ; nouum ſacerdotium, nouum ſacrificium. De qua re, multa manifeſtè dixerunt Prophetæ. Sic enim legimus, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu ueſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad Occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnũ eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Alibi, Et à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille, ducenti nonaginta, &c. Alibi, Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tenentes ſaggittam; in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non uiderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus, & adducent omnes fratres ueſtros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum meum Hieruſalem, dicit Dominus, quo modo ſi inferant filij Iſraël munus in uaſe mundo in domum Domini. Et aſſumam ex eis in ſacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus. Quia ſicut cœli noui, & terra noua, qua ego facio ſtare coràm me, dicit Dominus Deus &c. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo

Ibidem. Hebr. 10. Malac. 1. Dan. 12. Eſa. 66. Pſal.

caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.
Pſal. 50. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta. &c. His multiſque aliis locis diuinarum ſcripturarum oſtendunt ſancti patres olim prædictum eſſe, quòd tempore Meſsiæ Saluatoris noſtri futurum erat ſacerdotium in pane & uino iuxta ordinem, & ritum Melchiſedech, in quo tráſferendum tunc erat ſacerdotium Aaronis, animalium, auium, & rerum aliarum diuerſi generis; quantum ad id quod in Eccleſia Chriſtiana permanere debebat uiſibiliter, & ubique terrarum, Orbis Chriſtiani. Quam rem etiam fatentur completam per Saluatorem noſtrum, dum in cœna ultima, ipſe pridie quàm in Cruce pateretur, cœnans ipſe adhuc cum duodecim diſcipulis ſuis, accepit panem ſanctis, ac uenerabilibus manibus ſuis, & eleuatis oculis in cœlum ad Deum Patrem ſuum omnipotentem ei gratias agens, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit, dicens, Hic
Matt. 26. eſt calix ſanguinis mei, &c. Sic enim habent Euangeliſtæ, Matthæus, inquit, Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis, Et edentibus illis, dixit, Amen dico uobis, quia unus ueſtrum me traditurus eſt. Infra.
Ibidem. Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Marcus dicit, Veſpere
Mar. 14. autem facto, uenit cum duodecim. Et diſcumbentibus eis & manducantibus, ait IESVS, Amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me, qui manducat mecum. Infra, Et man-
Ibidem. ducantibus illis, accepit IESVS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis, Sumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſta-
Lucæ. 22. menti, qui pro multis effundetur. Lucas ait, Et cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait

illis, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare uobiſcũ, antequam patiar. Infra, Et accepto pane, gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquàm cœnauit, dicens, Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur. Hæc autem omnia conſiderando, fatentur prædicti patres, Saluatorem noſtrum illo die inſtituiſſe hoc diuinum ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui ſub ſpeciebus panis & uini, perpetuò manſurum & obſeruandum, utendumque ad noſtram ſalutem in ſui commemorationem, in ſua Chriſtiana Eccleſia. Hæc autem omnia conſiderando, inquam, id eſt, factum ipſum Domini, uerba eius, cæremonias, benedictiones, fractiones, tempus, & horam, atque congruentiam figuratæ rei, ad figuras ſuas; Quod inſuper faciunt, credunt, confitentur, & docent etiam ex uerbis Apoſtoli, qui ut notum eſt apud ipſum, de hoc ſacro pane, quem frangimus, ac de ſacro calice cui benedicimus, loquens ad Corinthios, pariter & de noſtro altari; ea ſub eiſdem uerbis aut nominibus comparat hoſtiis altarique Iſraelis ac Gentillium, certò ſignificans noſtrum uerum eſſe altáre; & hanc noſtram ueram eſſe Hoſtiam, oblationem mundam olim prædictam ubique fore offerendam, & nobis iam exhibitam. Vnde igitur ualde notandus eſt modus, quo patres procedunt, iſtam ſacram ueritatem oſtendentes: quia non ſolùm ex traditione, ſed etiam & potius ex diuinis ſcripturis. An non ſufficeret traditio Eccleſiæ, ſi ſola eſſet? Immo ſufficeret ſine dubio, ſicut optimè dicit diuus Chryſoſtomus, Traditio eſt, nihil quæras amplius. Cui doctori ſancto concordant omnes alij doctores ſancti. Sed patres ex ſcripturis deducunt, quia illæ ſatis manifeſtæ ſunt: & ut abundantiorem nos haberemus probationem rei iſtius quam & per traditionem, & per ſatis notas ſcripturas habemus.

Ibid.

Certum eſt autem, mihique indubitatum prædictos ſanctos patres, optimè intellixiſſe cognitasque habuiſſe diuinas ſcripturas aut noui, aut ueteris teſtamenti, ex quibus procedunt. Si enim Euangelium eſt opertum, iis qui pereunt

eſt opertum. Aliàs electos uiros unctio docet: & illi uerè edocti, docent nos. Et non eſt dubium, quin fuerint illi uiri ſanctiſsimi, qui iam ſuperius commemorati ſunt, Clemens Martyr, Dionyſius Martyr, Ireneus Martyr, Cyprianus Martyr, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, & alij penè infiniti. Sancti enim inter mortales fuerunt, atque adeo ſancti, ut etiam electi, filij Dei adoptiui ſecundum æternam hæreditatem; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: quos & ipſe Dominus ſuis approbauit miraculis, non ſolùm inter nos uiuentes, ſed etiam hac uita functos. Ergo illis non fuit opertum Euangelium ſalutis, iuſtificationis, & pacis. Præterea quòd ſancti patres noſtri noui teſtamenti, rectè intellexerint prædictas diuinas ſcripturas ueteris teſtamenti, confirmatur non parum ex communi explicatione, & ſententia Rabinorum antiquorum: nanque ipſi quoque prædictas ſcripturas ſacras intellexerunt eodem modo, de futuro tunc ſacerdotio, non ſolum ſpiritali, ſed & ſenſibili obſeruando per Orbem ſecundum ordinem Melchiſedech. Ita nanque ipſi confeſsi ſunt. Eſt enim teſtimonium Rabi Samuelis qui noſtrum ſacrificium uidens, & ſanctitatem illius agnoſcens, ſcripſit ad Iſa-

Rabi Samuel cap. 20. ac Rabinum in libro ueri Meſsiæ Paraſt. Vnde eſt nobis Domine mi, quòd nos deteſtamur in gentibus ſacrificium panis & uini, quod ſtatuit Deus, & in nullo reprobat, ſicut reprobat ſacrificium carnium, cùm Salamon deſcribit illud

Eccl. 50. Aaron, dicens, Iſte, ſcilicet Aaron, extendit manus ſuas ſuper altare, & obtulit ſanguinem uuæ, & incenſum Deo uiuo, & obtulit ſacrificium noſtrum de granis terræ, ſicut

Leui. 23. Melchiſedech obtulit pro Abraham. Declarat Deus ſacrificium gentium per Moſen, Offeretis Deo ſacrificium de leuatis de area, & de expreſsione uuæ, & benedicat uobis

Cap. 21. Deus, & cunctis operibus manuum ueſtrarum. Infra, Abominatio de ſacrificiis apud Deum nihil aliud ſignificat, niſi mutationem ſacrificij noſtri carnalis & groſsi, in ſacrificium iſtius iuſti Domini, ſpirituale & ſubtile; qui inſtituit offerre panem, loco carnium: & aquam mundam, loco pinguedinis carnium: & uinum purum, loco ſanguinis, &c. Rabi Samuel etiam, ad Iſaac ante annos quingentos quinquaginta,

ginta, prout ſcriptum reliquit Dauid de eo, (CHRISTVM intelligit de quo erat ſermo) ipſe eſt ille, cuius ſacerdotium in æternum erit ſecundum ordinem Melchiſedech, qui fuit Rex & ſacerdos Dei altiſsimi, ante Aaron. Et attende Domine mi, quanta ſit differentia inter ſacerdotium Aaron, & domini iuſti illius. Dixit dominus domino meo, tu es ſacerdos in æternum. Sacrificium Aaron fuerunt carnes; & ſacrificium iſtius iuſti Domini, fuit panis, & uinum, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech. In quibus uerbis Deus per Prophetam manifeſtè oſtendit, quòd ſacrificium finiretur, quando inciperet iſtud ſacrificium in æternum: & ordinatio ſacrificandi ſecundum ordinem Aaron ex toto ceſſaret, quando inciperet ſacrificium in pane, & uino æternaliter duraturum. Rabi Samuel item ad Iſ. Timeo domine mi, quòd Deus elongauit nos à ſe, & ſacrificium noſtrum: ſed & acceptauit ſacrificium gentium, ſicut ipſe dicit per os Malachiæ Prophetæ, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Deus, neque recipiam ſacrificium ueſtrum, quoniam ab ortu Solis uſque ad Occaſum eius, magnum eſt nomen meum in gentibus, quæ offerunt nomini meo ſacrificium mundum. Ergo apud Deum ſacrificium gentium eſt mundius, quam ſacrificium noſtrum. Et inſuper, quia Deus priuauit nos omni ſacrificio, & mundo ſacrificio, ut alios doceret Chriſtianos, ut ipſi uitarent nos, ut non contaminarentur, ſicut nos uitauimus gentes omni tempore, quo ſacrificium noſtrum fuit mundum apud Deum, & acceptum. Hæc ille, Cap. 20.

Eodem pertinent aliorum multorum Rabinorum ſcripta, qui ita intellexerunt ſcripturas ſacras diuinorum Prophetarum, ut firmiter crederent aliquando fore ſacrificium mundum, & incruentum, ſecundum ordinem Melchiſedech, quod, reprobato ſacrificio cruento Aaronis, placeret Deo Optimo Maximo. Et certum eſt omnino, quòd quemadmodum ſacris uaticinijs prædictum fuit olim de noua lege, nouo fœdere, nouoque teſtamento tunc futuro, & nobis tradito: ſic de hoc noſtro ſanctiſsimo, atque uiuifico ſacrificio, per Orbem celebrando prædictum fuit.

Quo pacto Ioannes Eckius, Antonius Monchiacenus, & Thomas Caietanus, uiri doctiſsimi, catholicique, Miſſæ ſacrificium probent, & tueantur. *CAP. XI.*

IOANNES Eckius.

tomo. 4. homil. Hom. 27. & infra.

IOannes Eckius, uir quidem eruditiſsimus, Chriſtianus, Catholicus, & ualde religioſus, beneque meritus de tota Chriſtiana religione; poſtquam multa dixit optimè de ſacroſancta Euchariſtia, oſtendens iam quomodo hoc ſacramentum in Miſſæ officio offertur; probauit ſatis, & diuinis ſcripturis, & ſanctis doctoribus, noſtram Miſſam eſſe ſacrificium. Dicit enim, Huius equidem ſacramenti uſum putarim longè præclariſsimum eſſe in officio Miſſæ. Ibi enim conſecratus, ibi offertur, ibi à ſacerdote etiam ſumitur. Atque in ea re non eſt aliquid controuerſum annis iam inde mille quadringentis, unde aliquid erroris fuiſſet exortum, donec nunc tandem ijs periculoſiſsimis temporibus à CHRISTO & Apoſtolis prædictis, neſcio qui ab heri, aut nudius tertius nati, Neochriſtiani ſanctum illud atque adeo unicum Eccleſiæ ſacrificium impugnare tentarint, aduerſus uniuerſalem catholicæ Eccleſiæ uſum, aduerſus maniſeſtiſsima utriuſque teſtamenti ſcripta, aduerſus conſtantiſsima ſanctorum patrum ab Eccleſia receptorum teſtimonia, aduerſus ſancta, & à Sancto ſpiritu adminiſtrata concilia. Vt ergo uos quoque in hac fidei parte confirmemini, nec aliquam etiam leuiſsimam erroris ſuſpitionē hîc apud uos habeatis, ecce nunc diuina fauente clementia ipſis ſacrarum literarum teſtimonijs docebimus, in officio Miſſæ ſacroſanctum illud corporis CHRISTI ſacramentum pro uiuis & defunctis offerri. Hæc ille. Qui in ſequentibus ita proſecutus eſt, atque effecit, ut propoſuit.

ANTONIVS Monchiacenus.

Anto. Monchiacenus, doctor Sorbonicus, in ſua Catho-

lica & hiſtorica propugnatione Religionis inſtitutioniſque Domini noſtri Ieſu Christi, Iſtā eandem tenet & probat ueritatem. Primùm enim argumentis communibus, & ex ueteri potiſsimùm teſtamento petitis, in nouo Chriſtianos probauit Deum debere ſacrificio uenerari ac colere, quod communi & paſsim recepto apud omnes nomine, Miſſam dicimus. Deinde oſtendit quòd, nomine Miſſæ, & ueteri ac longa eius acceptione, Miſſa comprobatur ſacrificium. Tertiò demonſtrat, quod Miſſæ ſacrificium à Christo Domino Ieſu eſt inſtitutum.

tom. I. per multa

tomo. 2. cap. I.

Ibidem cap. 2.

Thomas Caietanus.

Bene theologizauit Thomas Caietanus in ſuo tractatu, De ſacrificio Miſſæ, probando, ex inſtitutione Christi Euchariſtiam immolari. Conſiderat in eo opere multa conſideranda, & quæ conſiderata, ſatis probant intentum: Sed maximè, atque præcipuè id probat ille doctor ualde notabilis, & optimè, ex illo uerbo Domini, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur & frangitur. Quia, ut notat, Illud uerbum, Quod pro uobis traditur, & frangitur. non fuit additum, ut explicaret ipſius corporis ueritatem, aut proprietatem; quia hoc potuit alijs modis explicari: ſed fuit additum ut faceret ſermonem formalem. Tanquam illud uerbum Domini, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis traditur, & frangitur, tantundem ualeat, ac ſi diceret Dominus, Hoc eſt corpus meũ pro uobis traditũ, & fractum: Quare hoc? ut in ipſa conſecratione, intelligamus immolationem, id eſt, corpus immolatum. Et rurſus, ut cum poſtea Dominus dixerit, Hoc facite in meam commemorationem, intelligamus, debere nos in noſtra conſecratione, aut celebratione, intelligere corpus Christi immolatum, traditum, & fractum. Verba illius doctoris ſunt hæc, Catholici autem agnoſcimus in ſacris literis ſcriptam eſſe inſtitutionem immolationis Euchariſtiæ. Euangeliſtæ enim, ſpecialiter Lucas, ſpecialiuſque Paulus tradunt poſt multas actiones Domini Ieſu in cœna, eum mandaſſe, Hoc facite in mei commemorationem. Quæ, quia uerba ſunt Ieſu

Cap. 3. tom. 3. opuſcul.

Lucæ. 22.

I. Co. II.

Christi, libranda ualde ſunt: tum pronomen, Hoc; tum uerbum, Facite: tum, In mei commemorationem. Ad intel ligendum itaque demonſtratum per pronomen, Hoc. inſpicienda ſunt, quæ præmittuntur. Præmittitur autem, quòd Iesvs accepit panem, gratias egit, fregit, dedit, dixit, Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis frangitur; uel ſecundum Lucam, datur, Statimque ſubiunxit, Hoc facite in mei commemorationem. Pronomen itaque, Hoc, quum non arctetur ad demonſtrandum aliquod præmiſſorum, & ad aliquod præmiſſorum non demonſtrandum; conſequens eſt, ut demonſtret uniuerſitatem præmiſſorum. Verbum, Facite, multa fert myſteria. Nam non dicit, Hoc dicite. ſed hoc facite: ut ſignificaretur, quòd id, quod mandat, non conſiſtit in dicere, ſed in facere: quodque dicere hîc interueniens, non propter dicere, ſed propter facere eſt: ut intelligeremus, quòd uerba conſecrationis, ſunt uerba efficientia illud, quod ſignificant. Et adiungendo, In mei commemorationem. diſtinguit facere, à commemorare: ut ſignificantius non dixerit, Hoc commemorate, ſed hoc facite in commemorationem mei. Mandat itaque Dominus Ieſus hoc, ideſt, uniuerſa præmiſſa, facere in memoriam ſui. Actus ergo faciendo hoc, mandatur relatus ad recordationem Domini Ieſu. Ex eo autem quod ſub facere hoc, comprahenditur non ſolùm facere corpus Christi, ſed etiã facere corpus Christi, quod frangitur, ſeu datur pro nobis; manifeſtum eſt, Dominum Ieſum mandaſſe, facite corpus meum, quod pro uobis frangitur, & datur. Perinde autem eſt, Quod pro uobis frangitur & datur, ac ſi diceretur, Quod pro uobis immolatur. Neque enim aliter frangitur aut datur, niſi pro quanto in cruce frangitur, & datur, hoc eſt immolatur, pro uobis. Facere autem corpus meum, quod pro uobis immolatur ut ſic, perinde eſt, ac facere corpus meum, quatenus pro uobis immolatur. Vt autem hæc quæ dicimus penetres, aduerte, quòd ſi Dominus Ieſus ob ueritatem duntaxat corporis ſui ſignificandam adiunxiſſet, quod pro uobis frangitur, ſeu datur. ſat fuiſſet dicere, quòd in perſona mea uidetis, ſeu quodcunque aliud huiuſmodi. Sed abſit à Domini Ieſu Christi nomine, ſermo non for-

malis, quo adempto, omnis fallitur certitudo ſermonis. ua garetur enim per infinita accidentia. Dicendo itaq;, Quod pro uobis frangitur, ſeu datur, formali ſermone ſignificat, Facite corpus meum, quatenus pro uobis offertur. & hoc ipſum facite in mei commemorationem. Porrò ex eo quòd facere hoc in Christi memoriam, plus eſt quàm conſecrando facere corpus Christi, quia eſt etiam facere corpus Christi, quod datur, & frangitur pro uobis, & plus eſt quàm recordari Christi, quia eſt facere Christi corpus quod datur, ac frangitur pro nobis in Christi recordationem. & dari, ac frangi pro nobis; eſt immolari pro nobis (nam dari ſignificat in genere offerri; frangi uerò ſignificat in ſpecie modum offerendi, per fractionem ſcilicet: dedit enim ſemetipſum Deo in cruce fractione manuum, pedum; ac lateris pro nobis) conſequens eſt, quòd mandante Domino Ieſu, Hoc facite in mei commemorationem: mandatur, Hoc facite immolatitio modo in mei commemorationem: Facere enim corpus Christi quod immolatur, eſt facere illud immolando, ſeu per modum immolationis: nam ſic duntaxat fit à nobis corpus Christi, quatenus immolatur. Nam facto non fit à nobis corpus Christi, quatenus immolatur, niſi utrunque facto impleatur: uidelicet & conſecrando facere corpus Christi, & immolando facere quod datur, & frangitur pro nobis; adiuncto tertio, uidelicet in Ieſu Christi memoriam. Hæc ille.

Ita igitur intelligit ille auctor catholicus ea uerba Saluatoris, Hoc eſt corpus meũ quod pro uobis tradetur, traditur aut frangitur. Hoc facite in mei commemorationem, Vt credat teneri nos celebrantes ex illo præcepto, facere, conficere, aut conſecrare corpus Christi ut immolatum: quod certè nos nullo modo facere poſſumus, niſi ipſa conſecratio ſit immolatio; ut per ipſam conſecrationem, corpus Christi ibi faciamus eſſe, & ſimul illud immolemus, ſeu offeramus. Animaduertenda ſunt omnia illa Christi uerba, & maximè conſideranda.

Eadem ueritas, magis fulcitur, illuſtratur lectoriſque oculis ſubijcitur, & cathalogus Apoſtolorum, Martyrum, Sanctorumque & patrum, qui de auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio loquuti ſunt, apponitur. *CAP. XII.*

POſſumus obfirmare, illuſtrare, aut magis, magiſque hanc ueritatem explicare conſiderando non nulla, quæ in CHRISTI paſſione fuerunt, & notando quid ibi fuerit magis excellens ac præſtans, & quod illorum magis erat fuitque conueniens ſuæ CHRISTI dignitati, excellentiæ, charitati, ſuoque officio. Fuerunt enim in paſſione CHRISTI multa, ſed quantum nobis ſat eſt ad propoſitum, fuerunt quatuor notanda. Primũ, ipſa paſſio Saluatoris, conſiderata ut paſſio: Secundum, uoluntaria acceptatio, ſeu uoluntaria tolerantia ipſius paſſionis: Tertium, oblatio ipſius paſſionis ad Deũ pro nobis: Quartum, ipſa oblatio, ſeu ipſa ſacra uolitio qua Saluator noſter ante quàm eſſet in paſſione poſitus, uoluit ſemetipſum offerre Deo Patri ſuo in mortem pro nobis, per manus hominum, & permittere ea ratione, ut inimici facerent in eum quæ uoluiſſent: ut ſic optimo iure nos à morte liberaret, pro quibus uolens uitam ſuam corporalem ad tempus in morte offerebat, ac ponebat. Primum horum, id eſt, paſſio conſiderata ut paſſio, uincula, flagella, crux, claui, mors, & quæ nata ſunt inde ſequi, cruciatus, dolor, triſtitia, aut huiuſmodi, alterius ſunt conſiderationis; quia ut ſic, erant ab extrinſeco, habebant rationem diſconuenientis, & erant quædam mala non culpæ, ſed pœnæ: quia malum culpæ, eſt quod facimus, malum autem pœnæ, eſt quod patimur. Secundum, iam habet uel habere poteſt rationem uirtutis, propter animi ad ferendum propenſionem & libertatem, quam habet: ſed quantum eſt de ſe, non ſtatim eſt uirtus: quia multi uoluntariè ſuſtinent pœnam, aut paſſionem aliquam abſque eo quòd ibi ſit uirtus, ut notat Auguſtinus contra Iulianum Pelagianum de patientia, ſeu uoluntaria tolerantia, auarorum, & aliorum: Tum, quia ipſa uoluntaria tolerantia prout ſic,

Auguſt. lib. 4. cap. 3. tom. 7.

quando eſt uirtus, prodeſt tantùm habenti: & non protrahitur, extenditurque ad alios quantum ad meritum, nec quantum ad fructum. Tertium, habet iam rationem altiorem, ut conſtat: pertinet enim ad charitatem, pertinet aut pertinere poteſt ad religionem, & multum conuenit Saluatori noſtro, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Quartum autem uidetur etiam habere excellentiam quandam diſtinctam, ſicut aliud eſt, quòd aliquis pro me uoluntariè ſuſtineat pœnam ab alio inflictam ſibi, uel quòd aliquis pro me uoluntariè ſeſe pœnis offerat, & ſeſe efferendo, pœnas illas uolens præueniat. Quod autem horum quatuor, quæſo, uidetur magis conuenire CHRISTO ſecundum ſuum officium, tum Saluatoris, tum Sacerdotis? Ego non dubito, quin quartum, non ſecluſo tamen tertio, nec ſecundo: quia Saluator noſter ſe pro nobis ad pœnas ſuſtinendas immolauit Patri, ipſas pœnas illatas uoluntariè ſuſtinuit illaſque pro nobis Patri ſuo obtulit. Sed quòd ipſe ſe primus obtulit, & ſe pro nobis in manus iniquorum tradidit, magis uidetur ad officium Saluatoris & ſacerdotis pertinere, ſaltem primum: ut Saluator intelligatur ſaluaſſe, eligendo ſaluare, hoc modo, tanquam conuenientiori: & ſacerdos intelligatur ex deliberatione ſemetipſum obtuliſſe, ſemetipſum tradens, & tanquam aduerſarios in ſua eius uoluntate, atque permiſsione præueniendo. Pertinet enim hoc ad maiorem honorem Saluatoris, & ſacerdotis; & glorioſior modus eſt ſaluandi, atque offerendi. Vnde Saluator noſter, noſterque ſacerdos primus, & maximus, ac Princeps, & ſacerdos ſacerdotum quò hanc ueritatem oſtenderet, & glorioſum hunc modum ſaluandi atque offerendi declararet commendaretq;, dixit, Animam meam nemo tollit à me, ſed ego pono eam. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur, &c. Sicut Paulus de ipſo ait, Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem, & Hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Vnus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum, homo CHRISTVS Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Eſaias etiam de eodem, Oblatus eſt, quia ipſe

Ephe. 5.
1. Tim. 2.
Eſa. 53.

uoluit: & non aperuit os ſuum ſicut ouis ad occiſionem duceretur, & quaſi agnus coràm tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, uidebit ſemen longæuum, & uoluntas Domini in manu eius dirigetur. Venit enim Saluator noſter quærere, & ſaluum facere quod perierat. Saluauit autem hoc modo, ſemetipſum pro nobis ſua ſponte offerendo, ac dando in redemptionem, hoſtiam, oblationem, ſacrificium. Ergo, quia Saluator nos liberauit, ſaluauit atque redemit, modo hoc ſpeciali, mirabili, & magis glorioſo, id eſt, uoluntariè ſemetipſum pro nobis offerendo, uoluntariè exiſtens ipſe ſacerdos, & hoſtia: & quia hæc ratio magis pertinet ad ſuum honorem, & noſtrã in amorem eius excitationem: uoluit, ac ſtatuit, ut nos in ſui memoriam hoc myſterium perageremus. Non in memoriam ſui abſolutè, ſed in memoriam ſui pro nobis oblati: ſub iſta ratione ſibi magis honorifica, & quæ nos ad eius amorem magis excitaret alliceretque: In memoriam, inquam, ſui pro nobis oblati, & ſui ſeipſum offerentis: quia re uera, eo tempore, & ea hora qua Saluator noſter hoc inſtituit, & à nobis ſui memoriam poſtulauit, uel expetiuit; ipſe iam ſeſe pro nobis offerebat, quia iam uenerat hora eius ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, ſicut ipſe declarauit: iam de paſsione eius agebatur, iam incipiebant paſsionis myſteria, & iam ea hora currebat paſcale tempus, in quo occidendus erat. Nos autem non poſſumus hoc myſterium peragere in memoriam ſui pro nobis oblati & ſeipſum pro nobis offerentis, niſi hoc myſterium peragamus modo immolatitio. Aliàs enim, id eſt, ſi hoc myſterium peragatur modo non immolatitio non erit imago, figura, aut repræſentatio Christi immolati, aut ſe offerentis in mortem: licèt ſit imago, figura, aut repræſentatio Christi iam mortui. Myſterium nanque non immolatitium, non poteſt repræſentare rem immolatam, ut talis eſt: & per conſequens nec Christum immolatum, nec Christum ſe immolantem, aut ſe offerentem. Sed ut myſterium aliquod repræſentet rem immolatam ut talem, aut ipſam immolationem, Christum oblatum, aut ſe offerentem; oportet ut ipſum myſterium ſit, aut peragatur

Matt. 18. Luc. 15. 19.

modo immolatitio, uel ſit immolatitium, id eſt, immolatio, uel cum immolatione. Norunt uim atque energiam huius demonſtrationis, qui ſciunt naturas imaginum, & imaginatorum; figurarum, & figuratorum; repræſentantium rerum, & repræſentatorum. Qui etiam hæc ſcientes, & formaliter loquentes, ſciunt, & dicunt imaginem CHRISTI in Cruce patientis, non eſſe imaginem CHRISTI in ſepulchro iacentis, & imaginem CHRISTI in ſepulchro iacentis, non eſſe imaginem CHRISTI reſuſcitati è ſepulchro exeũtis. Quia imago debet habere ſimilitudinem imaginati, ſiue eius rei, cuius eſt imago: non utcunque, ſed quaſi formaliter, id eſt, ſecundum illum modum, in quo, repræſentat rem ipſam. Eodem modo ſacra Euchariſtia in duabus ſpeciebus, panis uidelicet & uini, ut ſic, repræſentat quidem CHRISTVM mortuum; quia, ut ſic tantùm, repræſentat ex ui conſecrationis corpus, & ſanguinem tanquam ſeparatim ſub duabus ſpeciebus prædictis. Vt autem repræſentet CHRISTVM non ſolùm ut mortuum, ſed ut pro nobis immolatum, & à ſemetipſo pro nobis oblatum: oportet ut ipſa ſacra Euchariſtia fiat aut peragatur, conſecretur, aut conficiatur modo immolatitio.

Ergo uera eſt prima concluſio huius primi articuli, quæ aſſerit Miſſam eſſe uerum ſacrificium. Eſt enim ſacrificium, ut moſtratum eſt, per conſequens autem eſt uerum ſacrificium. Sicut generaliter, quicquid eſt homo, eſt uerus homo; quicquid eſt lapis, eſt uerus lapis, & ſic de ſingulis, ſine inſtantia. Nanque uerum, aut falſum, ſeu uerè aut falſè, non faciunt modum diſtinctum, neque uariant. Si obiiciatur de eo quòd aliquando imagines aliquas eiſdem nominibus appellamus, quæ ſunt rerum ipſarum, quarum illæ ſunt, imagines: Reſpondemus, illud longè eſſe diuerſum, & nihil facere ad propoſitum. Modus ille loquendi eſt improprius, qui hîc nullum poteſt habere locum. Quandoquidem ſacrificium Miſſæ, id eſt, ipſa ſacra Euchariſtia, non ſolùm habet ſimilitudinem ſacrificij in Cruce peracti, ſed continet realiter eandem hoſtiam, & uerum atque proprium habet effectum in uirtute illius; de quo effectu infra dicuntur multa. Eſt igitur uerum ſacrificium. Neque ſo-

lùm uerè eſt ſacrificium, ſed & propriè: ob quod ſpecialiter in prima concluſione ambas has particulas poſuimus; ut diceremus, Miſſam eſſe ſacrificium uerè, atque propriè. Vt ſacrificium quidem dicatur, & ſit non ſolum ſecundum ueritatem, quin etiam & ſecundum proprietatem. Aliquando enim aliquid dicitur uerè tale, quod non dicitur propriè tale: in quo tunc ſinæ dubio reperitur ueritas, ſed non reperitur proprietas. Videamus exemplum in ſancto Euan-
Ioan. 15. gelio. Saluator noſter dicit de ſeipſo, Ego ſum uitis uera, &c. quo loco ſe appellat uitem ueram, Patrem ſuum agricolam, & diſcipulos ſuos palmites. Non eſt dubium, quin illa enuntiatio ſit uera, qua dicit, Ego ſum uitis uera, Sed nunquid ideo eſt propria? Abſit. Non enim proprietatem, ſed ſimilitudinem uitis habet Saluator noſter. Quod bene
Ambro. notauit diuus Ambroſius, dicens, Sic enim dicitur uitis per ſimilitudinem, non per proprietatem; quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, &c. Ita & Logici diſtinguentes, bene tradunt, aliquas nominum eſſe ſuppoſitiones proprias, alias metaphoricas: in quibus tamen omnibus concedunt eſſe ueritatem, licet modis differentibus, aut diuerſis: quia in ſuppoſitionibus proprijs eſt ueritas ſecundum proprietatem, & in ſuppoſitionibus metaphoricis eſt ueritas ſecundum ſimilitudinem.

Conciliũ Nicęn. 2. tom. 3. actionis ſextæ. Sunt cum omni diligentia in memoriam retinenda uerba concilij Nicæni ſecundi, uniuerſalis ſeptimi, Nemo unquam ſanctorum Apoſtolorum, qui tubæ ſunt Spiritus ſancti, aut glorioſorum patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſsionis CHRISTI Domini Dei noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem corporis illius duxerit. Legas quouſque uoles, nunquam inuenies, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque patres, incruentum illud ſacrificium, quod à ſacerdote offertur, imaginem dixiſſe, uerùm ipſum corpus, & ipſum ſanguinem.

Cathalogvs, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & denique ſanctorum, catholicorum, antiquorumque patrum, qui expreſsè locuti ſunt de auguſtiſsimo Miſſæ ſacrificio: Conciliorum etiam, atque uniuerſitatum.

Iacobus Apoſtolus, frater Domini.
Andreas Apoſtolus Domini.
Martialis diſcipulus Domini.
Clemens Martyr, diſcipulus Petri Apoſtoli.
Alexander Martyr.
Ignatius Martyr.
Dionyſius Areopagita, diſcipulus Apoſtoli Pauli.
Ireneus Martyr.
Iuſtinus Martyr.
Hippolytus Martyr.
Tertullianus.
Cyprianus Martyr.
Laurentius Martyr.
Marcellinus Martyr.
Euſebius Cæſarienſis.
Gregorius Nazianzenus.
Epiphanius.
Ambroſius Mediolanenſis.
Baſilius Magnus.
Ioannes Chryſoſtomus.
Sulpitius Seuerus.
Auguſtinus Hipponenſis.
Hieronymus Magnus.
Cyrillus.
Leo Papa.
Fulgentius.
Damaſcenus.
Theophilactus.
Photius.
Oecumenius.
Bernardus Clarauallenſis.
Rupertus Abbas.

Petrus Abbas Cluniacenſis.
Arnobius.
Gregorius Magnus.
Rabanus.
Canones Apoſtolorum.
Concilium Nicænum.
Concilium Alexandrinum.
Concilium Epheſinum.
Concilium Toletanum duodecimum.
Conciliuṁ Nicænum ſecundum, uniuerſale ſeptimum.
Concilium Lateranenſe generale.
Sexta Synodus quæ recepit Miſſam Apoſtoli Iacobi.
Epitome Apoſtolicarum conſtitutionum.
Senonenſe Concilium prouinciale.
Magiſter ſententiarum.
Tota ſchola doctorum catholicorum.
Alexander de Ales.
Sanctus Thomas.
Scotus Doctor ſubtilis.
Durandus à Sancto Portiano.
Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis.
Gabriel Biel.
Facultas theologica Pariſienſis Sorbona.
Facultas theologica Louanienſis.
Confeſsio Catholicæ fidei Chriſtiana, in Synodo Petri Couien. in regno Poloniæ
Ioannes Roffenſis Martyr.
Thomas de Vio Caiet.
Ioannes Eckius.
Alfonſus à Caſtro.
Ioannes Driedonius.
Ruardus Tapper ab Enchuſia.
Stanislaus Hoſius, Varmienſis Epiſcopus.

Vocem hanc, Miſſa, neutiquam recentem eſſe, quod Hæretici non ſine temeritatis nota opinantur; ſed uetuſtam, ex antiquorum, & ſpectatæ fidei patrum monimentis magis magisque demonſtratur. CAP. XIII.

ADuerſus fatuitatem, aut inſipientiã eorum, qui dicunt, hoc nomen, Miſſa, eſſe nomen nouum, & patribus antiquis incognitum; iam quidem, ut arbitror, quid dicendum ſit ſatis conſtat ex præcedentibus. Vt autem magis appareat, atque in lucem protrahatur eius inſipientiæ error, libet hic nonnulla antiquorum patrum dicta referre, in quibus hoc nomen ita aperte uiſitur, ut nullus omnino ſit negandi, atque hæc de re altercandi locus.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus in ſermone De corpore CHRISTI, dicit, Recolite nomen, & aduertite ueritatem. Miſſa enim dicitur, eo quòd cœleſtis nuncius ad conſecrandum uiuificum corpus adueniat: iuxta dictum ſacerdotis dicentis, Omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, &c. Idem auctor alibi. Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis, manebunt fideles. Concione 337.

ABDIAS.

Abdias diſcipulus Apoſtolorum Simonis & Iudæ, primuſque Babyloniorum Epiſcopus, in libro ſeptimo Apoſtolicæ hiſtoriæ, interprete Aphricano de ſancto Matthæo, docet diſertè, non ſolùm ab Apoſtolis nomen Miſſæ receptum fuiſſe, ſed & ipſos Miſſam celebraſſe.

AMBROSIVS.

Ambroſius fecit duas precationes præparantes ad Miſ-

Precatione 1. Habetur poſt lib. de Sacramentis,& poſt li. de dignitate ſacerd. lib. 5. Epiſtolarum. Epiſt. 33.

ſani. in quibus Miſſam celebraturus, multa precabatur; inter alia uerò ſic dicebat, orans Deum altiſsimum, Propter magnam clementiam tuam concede mihi hodie & ſemper, Miſſarum ſolennia puro corde, & pura mente celebrare. Hæc ille. Idem alibi, Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo Caſtulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant tranſeuntem. Amariſsimè flere, & orare, in ipſa oblatione Deum cœpi. Hæc ille.

Gregorius.

Gregorius in regiſtro, Ioanni Epiſcopo Syracuſano, contra aliquos detractores rationem reddit Miſſæ ordinationis, id eſt, nonnullorum, quæ in Miſſa, ſeu in Miſſæ celebratione uidebatur immutaſſe. Obloqui autem illi cœperant, ut refert eo loci diuus Gregorius, Quòd Alleluia dici ad Miſſas extra Pentecoſtes tempora fecerit: Quòd Subdiaconos ſpoliatos procedere iuſſerit. Quòd itē Kirieleiſon dici. Quòd orationem Dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuerit. Quibus omnibus ibidem reſpondet idem ſummus Pont. & Doctor glorioſus. In eodem opere ſcripſit idem Ioanni Epiſcopo de Vrbe ueteri, ut permitteret Agapito Abbati monaſterij ſancti Gregorij, in ſuo monaſterio Miſſas celebrare, atque mortuos ſepelire.

Lib. 7. cap. 63.

Lib. 1. cap. 12. 16. qō. 1. Agapitus

Ignatius Martyr.

Ignatius Martyr in Epiſtola ad Smirnenſes. Non licet, inquit, ſine Epiſcopo, neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque Miſſas celebrare.

in quadā epiſt.

Clemens Martyr.

Clemens Martyr, ſummopere, ait, omnibus Presbyteris & Diaconis, ac reliquis Clericis attendendum eſt, ut nihil abſque Epiſcopi licentia agant, Non utique Miſſas ſine eius iuſſu, quiſquam presbyterorum agat.

Epiſt. 3.

ALEXANDER Martyr.

Alexander Martyr, In ſacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, paſsio Domini miſcenda eſt: ut eius, cuius corpus & ſanguis conficitur, paſsio, celebretur. Epiſt. 1. ad omnes orthod.

HIGINVS Martyr.

Higinus Martyr, Omnes Baſilicæ, cum Miſſa debent ſemper conſecrari. Hæc Iuo. lib. 2.

PIVS Martyr.

Pius Martyr, Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, uel de panibus, quos deferunt fideles ad Eccleſiam, Preſbyter partes conciſas habeat, ut poſt Miſſarum ſolennia, qui communicari non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, exinde accipiant. In decre. ſuis.

SOTER Martyr.

Soter Martyr, Hoc quoque ſtatutum eſt, ut nullus preſbyterorum, Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, & ipſe tertius habeatur. In decre. ſuis.

FABIANVS Martyr.

Fabianus Papa, & Martyr, Sacrificium non eſt accipiendum de manu ſacerdotis, qui orationes uel actiones, & reliquas obſeruationes in Miſſa, ſecundum ritum implere non poteſt.

MACHARIVS Epiſc.

Macharius Epiſcopus, Cùm ingreſſus fuerit Epiſcopus, aut Presbyter ad Miſſarum ſolennia celebranda, niſi paſsio aliqua interuenerit, nullo modo audeat data oratione rece- De conſecra.

dere, ut ab altero Epiſcopo uel presbytero Miſſarum ſolennia ſuppleantur.

DAMASVS Papa.

In Pontifi. uitis. Damaſus, Alexander natione Romanus, ſedit annos decem; menſes ſeptem, dies duos. Hic paſsionem Domini miſcuit in precatione ſacerdotum quando Miſſæ celebrantur. Hic conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici.

THELESPHORVS Papa.

Theleſphorus natione Græcus, ſedit annos 11. menſes 3. dies 21. Hic fecit ut in natali Domini noſtri Ieſu CHRISTI, noctu Miſſæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum, nullus præſumeret Miſſas celebrare, quia ea hora Dominus noſter aſcendit in Crucem.

Epiſt. 1. Verba Theleſphori, Nocte Sancta Natiuitatis Domini, Miſſas celebrent, reliquis enim temporibus, Miſſarum celebrationes ante horã diei tertiam, minimè ſunt celebrandæ.

IVLIVS Papa.

Iulius In decretis. Iulius Papa, Si qua ſanctorum Baſilica à fundamentis fuerit innouata; ſine altaris motione, ſine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Miſſarum ſolennitas celebrata, totius conſecratio ſactificationis implebitur. Si uerò ſanctuaria, quæ habebat, ablata ſunt, rurſus eorum depoſitione, & Miſſarum ſolennitate reuerentiam ſanctificationis accipiat.

LEO Pontifex.

Epiſt. 8. Leo Pontifex, Neceſſe eſt autem ut quædam pars populi ſua deuotione priuetur, ſi unius tantùm Miſſæ, more ſeruato, ſacrificium offerre non poſsint, niſi qui prima diei parte conuenerint &c.

Fœlix

FOELIX Papa,

Fœlix Papa, Non in aliis locis, quàm in Domino ſacratis ab Epiſcopis, Miſſas celebrare, nec ſacrificia offerre Domino debemus, &c. Infra. Et ſicut non alij quàm ſacrati Domino Sacerdotes, debent Miſſas cantare, & ſacrificia ſuper altare offerre; ſic nec in aliis, quàm in præfatis locis Miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licebit. Epiſt. 1. cap. 1.

VIGILIVS Papa.

Vigilius Pontifex, Paſcha uerò futurum II. kalendarum Maiarum die, celebraturos nos eſſe cognoſcite. Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nulla feſtiuitate ſignificamus habere diuerſum, ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera. Epiſt. ad Eleuthe. cap. 5.

EPIPHANIVS Scholaſticus.

Epiphanius Scholaſticus. Propterea facilè inter ſe conuenientes, Miſſas celebrant. Permittens ergo eum Miſſas facere in Eccleſia, in qua fuerat ordinatus. Lib. 5. c. 6.9. Eccleſiaſticę hiſtoriæ.

Euſebius Vercellenſis Epiſcopus, repentè poſtmodum ab Alexandria uenit Antiochiam, & inueniens Paulinum à Lucifero conſecratum, plebemque diuiſam, Meletiique ſequaces, Miſſas facientes ſeorſum, ualde commotus eſt.

Ego audiui quoſdam ueriloquos referentes, cùm populus illhic congregaretur ad Miſſas, mulierem prægnantem de ſuperiori porticu cadentem, defunctam fuiſſe.

Concilium Aurelianenſe.

Concilium Aurelianẽſe tertiũ, celebratum tempore Childeberti Regis, De Miſſarum celebritate in præcipuis dumtaxat ſolennitatibus, id obſeruare debemus, ut hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur, &c. Cap. 2.

Concilium Maguntinenſe.

Cap. 9. Concilium Maguntinenſe ſecundum. Miſſarum ſolennia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, uel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus. Concedimus etiam, ut ſicubi Eccleſiæ fuerint incenſæ, in capellis Miſſas interim liceat celebrare.

Concilium Carthaginenſe.

Cap. 3. Ad idem eſt concilium Carthagi. 4. cap. 84. Concilium Carthaginenſe ſecundum. Aurelius Epiſcopus dixit, Audiuit dignatio ueſtra ſuggeſtionem fratris, & Coëpiſcopi noſtri Fortunati. Quid ad hæc dicitis? Ab uniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio, à Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quenquam in publica Miſſa non licere, hoc omnibus placet.

Concilium Mileuitanum.

Cap. 12. Concilium Mileuitanum. Placuit etiam illud, ut preces, uel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ſiue præfationes, ſiue commendationes, ſeu manus impoſitiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Eccleſia, niſi quæ à prudentioribus tractatæ, uel comprobatæ in Synodo fuerint.

Concilium Agrippin.

De conſecra. diſtinct. 1. c. Eccleſiam. Concilium Agrippinenſe. Si eccleſia conſecrata fuerit prius, Miſſas in ea celebrare licet.

Concilium Agathenſe.

Cap. 21. Concilium Agathenſe. Siquis extra Parochias, in quibus legitimus eſt, ordinariuſque conuentus, oratorium in agro habere uoluerit, reliquis, ut ibi Miſſas teneat, propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus. Cle-

rici uerò, ſi qui in feſtiuitatibus, quas ſupra diximus, in oratorijs (niſi iubente aut permittente Epiſcopo) Miſſas facere uoluerint, à communione pellantur.

Vocis huius, Miſſa, antiquitas oſtenditur ex Chronologia, ſeu ſupputatione temporum, quibus prædicti patres in humanis erant, & Concilia celebrata fuerunt. Eandem uocem in diuinis ſcripturis ſecundum Hebraici codicis, & Chaldaicæ uerſionis fidem, reperiri. CAP. XIIII.

ECce iam ſatis conſtat, hoc nomen, Miſſa, antiquum quidem eſſe, & cognitum patribus antiquis fuiſſe: Vtque palàm eſt, habuit olim communem ualde ſui notitiam apud multos, id eſt, fuit cognitum multis, qui de illo habuerunt diſtinctam cognitionem: prout nomina communia diſtinctè cognoſci poſſunt, & cognoſcuntur. Habet autem nunc antiquitatem, ut facile eſt uidere, rectè computando tempora in quibus prædicti patres uixerunt, & prædicta concilia celebrata fuere. Auguſtinus enim natus eſt, anno Domini 360. migrauit ex hoc ſæculo, anno Domini, 436. Ambroſius uixit & floruit, anno Domini 390. Gregorius, anno Domini 605. Ignatius fuit contemporaneus Apoſtolorum, & ſanctiſsimæ Dominæ noſtræ adhuc in hoc ſæculo uiuentis deuotiſsimus. Clemens fuit diſcipulus, & ſucceſſor Petri Apoſtoli, & ut in ſcriptis reperitur authenticis, Martyrium ſuſcepit, anno Domini 111. Alexander Martyr uixit anno Domini 121. quintus ſummus Pontifex à Beato Petro Apoſtolo. Higinus Martyr uixit anno 144. Pius Martyr, uixit anno 147. Sother Martyr, uixit anno 172. Fabianus Papa, & Martyr, uixit anno 242. Macharius Epiſcopus creditur uixiſſe circa annum 319. Damaſus uixit anno 365. Theleſphorus Martyr fuit ante ipſum Damaſum ex quo Damaſus de ipſo ſcripſit. Iulius Papa uixit anno 332. Leo Pontifex uixit anno 452. Fœlix quartus Pontifex uixit anno 524. Vigilius Pontifex uixit anno 544. Epiphanius Scholaſticus uixit ante annum 570. Concilium Aurelianenſe fuit celebratum tempore Childe-

berti Regis. Concilium Carthaginenſe 2. circa ann. 412. Concilium Mileuitanum, circa annum 415. Concilium Agatenſe, circa annum 418. Ergo hoc nomen, Miſſa, & olim cognitum fuit multis, & nunc iam eſt antiquiſsimum: utpote quod fuit in Eccleſia Dei, atque in uſu patrum & ſanctorum doctorum, à temporibus & diſcipulis Apoſtolorum, uſque ad nos. Vſi enim ſunt illo, Ignatius, & Clemens: & deinde alij, quos memorauimus.

CATHALOGVS ſanctorum Patrum, & ſanctorum Conciliorũ, in quorum ſcriptis, actis, aut decretis, ab antiquiſsimis temporibus reperitur nomen, Miſſa.

- Auguſtinus.
- Ambroſius.
- Gregorius.
- Ignatius Martyr.
- Clemens Martyr.
- Alexander Martyr.
- Higinus, Martyr.
- Pius, Martyr.
- Soter, Martyr.
- Fabianus Papa, & Martyr.
- Macharius Epiſcopus.
- Damaſus Papa.
- Teleſphorus.
- Iulius Papa.
- Leo Pontifex.
- Fœlix Papa.
- Vigilius Pontifex.
- Epiphanius Scholaſticus.
- Concilium Aurelian.
- Concilium Maguntin. 2.
- Concilium Carthagin. 2.
- Concilium Mileuitanum.
- Concilium Agathen.

Sufficiunt profectò hi teſtes, & horum teſtimonia manifeſta, ad probandam huius uocabuli, Miſſa, antiquitatem, pa-

làm diffuſam notitiam, & uſum apud multos, immo etiam, ut ita dicam, apud omnes. Quo fit ut qui dicunt nomen, Miſſa, nuſquā in ſcripturis ſacris reperiri, patribus fuiſſe in cognitum, nouiſsimiſque hiſce temporibus ab hominibus inuentum, grauiſsimè errent, & ſine ulla ratione loquantur temerè, uel potius non ſine fraude, ut fucum ſemidoctis quibuſdam, aut uerius literarum ſacrarū ignaris fucum faciant.

Antonius Monchiacenus, doctor Sorbonicus, quem iam Ant. Monchiacenus.
ſuperius memorauimus, in ſua catholica, & hiſtorica propugnatione Religionis & inſtitutionis Domini, aduerſus Miſoliturgorum blaſphemias, ac nouorum huius temporis hæreticorum impoſturas, præcipuè Ioannis Caluini, eiuſque aſſeclarum, ſatis manifeſtè probat, nomen, Miſſa, in Tom. 2. cap. 1.
diuinis ſcripturis, ſecundum Hebraicam ueritatem, & Chaldaicam translationem reperiri, atque illud patribus antiquiſsimis fuiſſe cognitum, & uſu receptum pro ſacrificio noſtro Chriſtiano ſacræ Euchariſtiæ.

Oſtendit in diuinis ſcripturis reperiri ſecundum ueritatem Hebraicam, & translationem Chaldaicam, ex Deuteronomio: in quo libro pro his uerbis noſtræ translationis latinæ, Oblationem ſpontaneam. Hebraica habet ueritas, מסת נדבת & translatio Chaldaica מסת.נדבת ita ut מסה ſeu מסת Miſſa, ex interprete ſit oblatio illa, quam offerebant olim illi patres Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua & ueſcebantur in templo cum recordatione præteritæ ſeruitutis, & ab eadem liberationis. Et in eodem libro, ubi legimus, Aperies manum pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris. interpretatio Chaldaica pro his poſtremis uerbis, quo cum indigere perſpexeris. habet כ מסת. Quibus uerbis, Miſſa, ſufficientiam & beneficium, quo alterius ſubleuatur neceſsitas, ſignificat. Ecce in illis duobus locis reperitur nomen, Miſſa, apud diuinas ſcripturas; & in illis duabus ſignificationibus, ſecundum quas & in quibus optimo iure potuit illud nomen, Miſſa, uſurpari, pro noſtro diuiniſsimo ſacrificio Euchariſtiæ, ſpontaneo ac ſufficientiſsimo, quo noſtram liberationem memoramus; & noſtra maximè ſubleuatur neceſsitas, indigentia, aut miſeria.

Ibidem. Deut. 16. Deut. 15.

Oſtendit igitur in primis ille doctor catholicus, hoc nomen, Miſſa, olim reuelatum fuiſſe à Deo, & in diuinis ſcripturis reperiri, ſic aptum & accõmodatum, & in tali ſignificatione, ut eo aptiſsimè declaremus noſtrum nouæ legis ſacrificium.

Ibidem. Deinde uerò oſtendit ea in ſignificatione illud nomen, Miſſa, uſurpatum fuiſſe ab antiquis, ut Apoſtolis, & horum ſucceſſoribus, ac diſcipulis. Adducit autem multa patrum, & conciliorum teſtimonia; Incipiensque à Canonibus Apoſtolorum, ita refert, Omnes fideles, qui conueniunt in ſolennitatibus ſacris ad eccleſiam, & ſcripturas Apoſtolorum & Euangelium audiunt: qui autem non perſeuerant in oratione uſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam communionem percipiunt, uelut inquietudines Eccleſiæ commouentes, conuenit communione priuari. Refert etiam Clementem Martyrem, & Petri Apoſtoli diſcipulum, in epiſtola tertia de Officio ſacerdotis, ad omnes Chriſtianos, ubi ait, cunctis fidelibus, & ſummopere omnibus presbyteris, & Diaconibus, ac reliquis clericis attendendum eſt, ut nihil abſque Epiſcopi proprij licentia agant. Non utique Miſſas ſine eius iuſſu quiſquam presbyterorum in ſua parochia agat. Idem in eadem epiſtola ſubiungit, in præſenti uita poſitos, oportet nos agnoſcere uoluntatem Dei, ubi & agendi, & ſacrificandi eſt locus. Quoniam, in aliis locis ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet, niſi in his, in quibus Epiſcopus proprius iuſſerit. Aliter enim non ſunt hæc agenda, nec ritè celebranda, docente nos nouo, & ueteri teſtamento. Hæc Apoſtoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, uobisque & omnibus abſque repræhenſione tenere & docere, quibus agendum eſt, mandamus. Hæc ille. Refert etiam Abdiam, atque Ignatium, refert & multos ſummos pontifices Martyres, multosque ſanctos Confeſſores; ut Alexandrum, Theleſphorum, Higinum, Pium, Anicetum, Sotherem, Fabianum, Fœlicem, Eutichianum, Silueſtrum, Damaſum. Refert etiam & multa concilia, ut Agripinen. ca. 3. Carthaginen. 4. cap. 84. Cabilonen. cap. 5. Toletanum. 4. cap. 12. Agaten. cap. 21. Aurelianen. cap. 3. ut habetur De conſecr. Diſt. 1. c. Eccle-

Ex Canonibus Apoſtol. Can. 10. De conſecra. diſtinct. 1. Omnes.

Clemens Martyr. Epiſt. 3.

ſiam. Refert & multa alia, quæ miſſa facimus, cùm quæ dicta ſunt hactenus lectori ſufficere poſsint.

Conſonis patrum & catholicorum Theologorum teſtimoniis probatur ſecunda Concluſio ad Articulum primum, quę habet, quòd Seruator noſter, in cœna nouiſsima, ſe ipſum ſub ſpeciebus panis & uini, in ſacrificium uerum propriumque Patri ſuo obtulit. CAP. XV.

SEcunda concluſio ad primum Articulum eſt, Saluator noſter obtulit ſeipſum in ſacrificium uerum, & proprium patri ſuo in ultima cœna, ſub ſpeciebus panis & uini. Probatur autem concluſio primùm ex conformi teſtimonio patrum: ſecundò ex uerbis factiſque Saluatoris noſtri, atque unà ex proprietate rei. Quantum enim ad priorem ex his duabus uiam attinet, ueritatem huiuſmodi fulciunt omnes patres iam dicti, quot quot de illa loquuti ſunt: non quòd omnes illam dixerint expreſſè; ſed quia eam confeſsi ſunt, quotquot de ea habuerunt ſermonem. Audiamus igitur illos, quia profectò multi ſunt, & digni qui audiantur.

CLEMENS. Martyr.

Clemens glorioſus CHRISTI Martyr, in libro Apoſtolicarum Conſtitutionum docet, Saluatorem noſtrum in ultima cœna, ante crucem, ſeipſum ſub ſpeciebus panis, & uini obtuliſſe, Vnde ut iam ſuperius memorauimus, Epitome ipſius operis ſic habet, Itaque primus eſt natura princeps ſacerdotum, Dei unigenitus CHRISTVS, qui non ſibi ipſe dignitatem arripuit, ſed à Patre conſtitutus eſt. Qui factus homo propter nos, & ſpiritalem hoſtiam offerens Deo, & Patri ſuo, antequàm pateretur, nobis coſtituit ſolis hoc facere, quamquàm eſſent nobiſcum & alij, qui in ipſum crediderant.

Lib. 8.

Habentur uerba hæc tom. 1. Cõciliorum, pagina 28. columm. 1.

IRENEVS.

Lib. 4. cap. 32. Ireneus contra Valentinum & alios ſui temporis hæreticos dicit, ſed & ſuis diſcipulis (CHRISTVS) dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in uniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat. De quo in duodecim Prophetis Malachias ſic ait, Non eſt mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus Omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus ueſtris. Quoniam ab Ortu ſolis uſque ad Occaſum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus Omnipotens. Manifeſtiſsimè ſignificans per hæc, quoniã prior quidem populus ceſſauit offerre Deo: omni autem loco ſacrificium offertur ei, & hoc purum. Hæc ille. Nota quod Saluator noſter dans diſcipulis ſuis conſilium offerre Deo ex ſuo creaturis, accepit panem, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum, &c. Et ſic nouam docuit oblationem, quam hactenus obſeruat ſemperque obſeruabit Eccleſia corporis, & ſanguinis CHRISTI, ſub ſpeciebus panis, & uini.

CYPRIANVS.

Lib. 2. Epiſt. 3. Cyprianus dicit, Si Ieſus CHRISTVS Dominus & Deus noſter, ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei Patris, & ſacrificium Deo Patri ipſe primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit; utique ille ſacerdos uice CHRISTI uerè fungitur, qui id quod CHRISTVS fecit, imitatur. Et ſacrificium uerum, & plenum, tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundum quòd ipſum CHRISTVM, uideat obtuliſſe.

EVSEBIVS.

Euſebius Cæſarienſis in De demonſtratione Euangelica dicit, Poſt omnia quaſi mirabilem quandam uictimam ſacrificiumque eximium patri ſuo operatus, pro noſtra omnium ſalute obtulit: eiusque rei memoriam, ut nos ipſi Deo pro ſacrificio offerremus, inſtituit. Ecce de ſacrificio in cruce peracto. De ſacrificio autem quod nos quotidie offerimus ab ipſo Saluatore noſtro edocti, dicit, Paraſti in conſpectu meo menſam, contra eos qui affligunt me. Pingue feciſti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quàm præſtantiſsimus eſt. Palàm in his myſticam ſignificat unctionē, & horrorem afferentia menſæ CHRISTI ſacrificia, quibus operantes incruentas & rationales eique ſuaues uictimas, in tota uita ſupremo Deo offerre per eminentiſsimum omniū ipſius Pontificem, edocti ſumus. Hæc ille. Quòd autem Saluator noſter prius in pane, & uino obtulerit corpus ſuum & ſanguinem ſacratiſsimum iuxta Melchiſedech ritum, ipſe Euſebius declarat, dicens, Et ſanè oraculi exitus admirabilis, ei qui contempletur, quemadmodum Saluator noſter Ieſus, qui eſt CHRISTVS Dei, ipſius Melchiſedech ritu ea quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui ſacerdos gentium erat, nuſquam uidetur ſacrificijs corporalibus functus, ſed uino ſolo, & pane, dum ipſi Abraham benedicit; ita ſanè primus ipſe Saluator ac Dominus noſter, deinde qui ab ipſo profecti ſunt ſacerdotes in omnibus gentibus, ſpirituale ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones ſacerdotij munus obeuntes, uino ac pane, & corporis illius, & ſalutaris ſanguinis myſteria repræſentant: quæ ſanè myſteria Melchiſedech tanto ante Spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus uſus fuerat, ſicut etiam Moſis ſcriptura teſtificatur, ubi ait, Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & uinum. Erat autem Sacerdos Dei altiſsimi. Ecce ſecundum Euſebium, Saluator noſter primus obtulit in ritu Melchiſedech, deinde poſt ipſum, & ab ipſo in eodem ritu offerimus ſui.

Lib. 1. cap. 10.

Ibid. 22.

Eod. ope, lib. 5. cap. 3.

Ioannes Chryſoſtomus.

Hebr. 10. Hom. 17. Ioannes Chryſoſtomus in ſuis commentarijs ſuper Apoſtolum, ad Hebræos; poſtquàm multa dixit de illa una hoſtia ſacratiſsima, quam Saluator noſter ſemel obtulit in cruce digniſsimam, & ſufficientiſsimam, ita mouit quæſtioné, Quid ergo nos? Non'ne per ſingulos dies offerimus. Reſpondit autem, dicens, Quidem. Sed ad recordationem faciens mortis eius. Et una eſt hæc hoſtia, non multæ, Quomodo una eſt, & non multæ? Quia ſemel oblata eſt, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium exéplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus, Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper eundem ipſum. Proinde unum eſt hoc ſacrificium, hac ratione, &c. Porrò autem quòd Saluator noſter eandem hanc hoſtiam, ſeu oblationem obtulerit in cœna ultima, in illa ſacratiſsima Miſſa ſua, confitetur idem auctor in ſuis commentarijs ſuper Epiſtolam Apoſtoli ad Timotheum, dicens expreſsè, Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Paulus, ſiue illam Petrus, ſiue cuiuſuis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit CHRISTVS ipſe diſcipulis, quáque ſacerdotes modò quoque conficiunt. Nihil habet iſta quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificant homines, ſed CHRISTVS, qui illam ante ſacrauerat. Quéadmodum enim uerba, quæ locutus eſt CHRISTVS, eadem ſunt quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciant; ita & oblatio eadem eſt.

2. Tim. 1. Homil. 2.

Leo Papa.

ubi ſupra Leo Papa dicit, quòd, ut umbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur ſacramento: hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur, & legalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur. Quæ uerba refert ſanctus Thomas, agens de inſtitutione huius ſacramenti ſacratiſsimæ Euchariſtiæ: quaſi de illa, pro eo tempore, intelligantur dicta. Alibi idem auctor Leo dicit, Ieſus diſcumbentibus ſecum diſcipulis ad edendam myſticam cœnam corpo-

Part. 3. qó. 73. art. 5.

ris, & ſanguinis ſui ordinans ſacramentum, docebat qualis hoſtia debebat offerri Deo. Ecce Saluator noſter ordinans ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui, docebat qualem hoſtiam nos offerre debemus: quia uidelicet ipſa ſacramenti illius ordinatio, quædam fuit illius ſacræ hoſtiæ oblatio, ſeu ſaltem cum ipſius ſacræ hoſtiæ oblatione. Serm. 7. de paſſione.

PHOTIVS

Photius dixit, Quia ſine ſaguine hoſtiam obtulit, deinde poſtmodum, ſuum ipſius etiam corpus: propterea ergo aptè dictum eſt, CHRISTVM eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Vt refert Oecumenius ubi ſtatim.

OECVMENIVS.

Oecumenius explicans locum Apoſtoli, Secundum ordinem Melchiſedech, dicit. Hic primus hoſtiam ſine ſanguine Deo obtulit, nempe panem & uinum. Et licet CHRISTVS non obtulerit carentem ſanguine hoſtiam, ſiquidem ſuum ipſius corpus obtulit, attamen qui ab ipſo fungentur ſacerdotio, quorum Deus Pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerent. Nam hoc ſignificat, In æternum. Neque enim de ea, quæ à Deo ſemel facta eſt oblatio & hoſtia dixiſſet, In æternum. Sed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios CHRISTVS ſacrificat, & ſacrificatur. Qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huiuſmodi ſacrificij. Hæc ille: Qui in eodem loco allegat ſententiam & uerba Photij, & eum minimè reijcit, ſed potius tanquam idem ſentiat, ſilentio ſe illi aſſeclam præbet. Sed de ſententia Oecumenij inferius dicuntur nonnulla, in confirmationem prædictorum. Hebr. 5.

HIERONYMVS.

Hieronymus ſuper Matthæum dicit, Poſtquàm typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad Matth. 17 Matth. 26

…e conſecra. diſtinct. 2. c. Accipite & comedite.

uerum paſchæ tranſgreditur ſacramentum: ut quomodo in præfiguratione eius Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem, & uinum offerens fecerat, ipſe quoque ueritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret. Ecce poſtquàm Saluator comedit cum Apoſtolis typicum paſcha, aſſumpſit panem, & tranſgreſſus eſt ad uerum ſacramentum paſchæ: unde profectò iam tunc in cœna hoc ſacramentum fuit uerum ſacramentum paſchæ, & per conſequens ibi iam tunc fuit immolatio. Paſcha enim, immolationem ſeu oblationem habet annexam, & ſacrificium, aut hoſtiam. Et rectè docet idem auctor in prædictis uerbis, quòd Saluator noſter hoc myſterium peregit in cœna, ut quoque ueritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret: quomodo in præfiguratione eius. Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos panem & uinum offerens, fecerat. Fecit autem Melchiſedech præfigurationem eius per ſacrificium: Ergo & Saluator noſter per ſacrificium repræſentauit ueritatem ſui corporis & ſanguinis, in pane & uino; quomodo Melchiſedech in pane & uino fecit præfigurationem eius per ſacrificiũ. Optimè etiam diuus Hieronymus ſicut hoc loco Euchariſtiam illam Christi in cœna, appellauit ſacramentum paſchæ, corporis & ſanguinis Christi repræſentatiuum: ita & ſuper Leuiticum, fatetur quòd, De hac quidem hoſtia, quæ in Christi commemorationem mirabiliter fit, edere licet: de illa uerò quam Christvs in ara crucis obtulit, ſecundum ſe nulli edere licet. Vt quidem ſicut ad Lesbiadem ſiue Heldibiam, dicit, Dominus Ieſus Christvs ipſe conuiua & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur: ita intelligatur dicere, ipſe offerens & oblatus. Idem Auctor circa illud Pſalm. 109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, dicit, Quomodo enim Melchiſedech rex Salem obtulit panem & uinum: ſic & tu offeres corpus tuum, & ſanguinem, uerum panem, & uerum uinum: Iſte Melchiſedech, iſta myſteria quæ habemus, dedit nobis: Ipſe eſt, qui dixit, Qui manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, &c. Secundum ordinem Melchiſedech tradidit nobis ſacramentum ſuum. Hæc ille.

Refert S. Tho. part. 3. q. 82. artic. 4. ad tertiũ arg.

S. Tho. part. 3. q. 81. art. 1.

BERNARDVS.

Diuus Bernardus in quodam ſermone De cœna Domini, qui habetur ſtatim poſt ſermones, In die Purificationis, dicit, CHRISTVS enim pridie quàm pateretur, diſcipulis ſuis huius ſacramenti formam præſcripſit, efficaciam exhibuit, id eſt, fieri præcepit. Formæ præſcriptio in pane & in uino. Notate ordinem, cum adhuc cœnaretur, à cœna ſurrexit, diſcipulorum pedes Dominus uniuerſorum lauit, dehinc ad menſam regreſſus ordinat ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, ſeorſum panem, ſeorſum tradens & uinum. De pane ita dicens, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. De uino etiam ſic, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Effundetur, dictum eſt, quia paſsim & uiliter, quem utique puncturæ ueprium, foſsio manuum, & pedum cum clauis, lateris apertio cum lancea militari fortius exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinſecus. Eratque ille ſanguis precioſior, cariorque balſamo, per quem ſordium noſtrarum facta eſt mundatio. Nota, CHRISTVS in cœna illa munerans & munus, cibans & cibus, conuiua & conuiuium, offerens & oblatio. Ecce Saluator noſter in illo conuiuio diuino, obtulit. Et adnotandus eſt ualde ſermo diui Bernar. maximeq; obſeruandus, tum quia præſefert diui Bernardi ſpiritum, affectum, & eruditionem: tum quia & illum refert Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, & magni meritò facit. tomo. 2. Gabriel Biel ſuper canonem. Lect. 85.

THEOPHILACTVS.

Theophilactus circa illud, Et quum accumberent, edentque, dixit Ieſus, Amen dico uobis unus ex uobis proditurus eſt me, &c. dicit, Quomodo accumbebant, quum lex præciperet à ſtantibus comedendum paſcha? Veriſimile igitur primùm perfecta ea, quæ ſunt legis, deinde recubuiſſe proprium paſcha traditurum. Ecce in ultima cœna Dominus tradidit proprium paſcha. Plenius etiam ſuper Marci 14.

Matt. 28. Matthæum manifeſtũ eſſe ſcribit, quòd CHRISTVS tunc immolauerit ſeipſum, ex quo tradidit diſcipulis corpus ſuum. Tunc enim functus eſt ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech.

RVPERTVS Abbas.

Lib. 5. cap. 12. Rupertus Abbas in De Trinitate dicit, At uerò CHRISTVS Rex Salem, id eſt, pacis; Rex inquam, idemque Pontifex magnus, illorum talium hominum diebus natus, ſacerdotio ſuo functus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech: protulit enim panem & uinum, dicens; Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Et ſic obtulit ſemetipſum profideli Abraham, uerum ſacrificium.

Rupertus inſuper Tuicen. ſuper Exodum, declarans ritus & cæremonias Agni Paſchalis, dicite de Saluatore noſtro, Tandem 14 die ad ueſperam, ubi illum Paſchæ ueteris Agnũ comedit cum diſcipulis ſuis, tunc ipſe noui ſacrificij Agnus continuò capiendus, & ducendus ad immolandum, iamiam in anguſtia paſsionis agonizans, prius proprijs manibus Deo Patri ſemetipſum immolauit, accipiens panem & uinum, &c.

PETRVS Abbas Cluniacenſis.

Petrus Abbas Cluniacenſis contra Henritianos, & Petrobruſianos, multa dixit de ſacrificio CHRISTI in cruce, multaque de ſacrificio noſtro, & magis CHRISTI in Miſſa: unde & de ſacrificio ipſo in cœna dicit, In cœna ultima, quam cum diſcipulis tuis uetus paſcha nouo commutans celebraſti: accepiſti panem, gratias egiſti, fregiſti, dediſti diſcipulis tuis. Sed quid dixiſti? Accipite, hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis tradetur. Et quid addidiſti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnaſti, &c. Ecce Saluator noſter celebrauit ultimam cœnam cum diſcipulis ſuis, commutando uetus paſcha nouo paſchate; dando illis uidelicet corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & uini, in ſacrificium continuò obſeruan-

dum, loco agni illius antiqui & typici. Paſcha igitur eſt hoc diuinum ſacramentum, ſed nouum; quo Saluator noſter illud uetus paſcha commutauit. Paſcha, inquam, modò eſt, & paſcha tunc fuit, quando eo nouo, mutatũ eſt paſcha uetus.

EPIPHANIVS.

Epiphanius dicit, Viſum eſt, ut in ueteri ſacerdotio ſacerdotalis dignitas ne conſtituatur, uerùm ad id, quod ante Leui, & ante Aaron fuit ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdotium, transferatur; quod ſanè nunc in Eccleſia uiget à CHRISTO & huc uſque. Ecce iſtud noſtrum ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech in pane uidelicet & uino, uiget in Eccleſia à CHRISTO huc uſque. A CHRISTO dicit, non ab Apoſtolis, neque ab aliis; ſed ab ipſo, utique incluſiuè. Et conſtat magis mens Epiphanij, eo quòd ipſe uidit, ut refert, & non impugnauit illum librum Clementis Martyris Apoſtolicarum conſtitutionum, in quo expreſsè docetur, quòd CHRISTVS in cœna obtulit. Lib. 2. cõtra hæreſes. Hæreſ. 55

AMBROSIVS.

Ambroſius dicit, Quanta enim Domine Ieſu CHRISTI cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animi puritate illud diuinum & cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua in ueritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in ueritate bibitur, ubi ſumma imis iunguntur. Infra, Ego enim Domine memor uenerandæ paſsionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi ſacrificium quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationẽ tui pro ſalute noſtra. Ecce CHRISTVS hoc ſacrificium inſtituit, & offerri præcepit: ut prius de illo intelligatur inſtitutio ſecundum ordinem literæ, poſterius præceptum. Sed quomodo inſtituit hoc ſacrificium, ante præceptum de illo offerendo? utique ſacrificando. in prima precatione præparante ad Miſſam.

Idem auctor declarat hoc ſatis in Miſſa de cœna Domini in oratione præfationis, dicens; Aut quid ſperare de tua

miſericordia poſſumus, qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hoſtiam offerre mereremur, corpus ſcilicet, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Christi, qui ſe pro mundi redemptione piæ illi & uenerandæ tradidit paſsioni: qui formam ſacrificij ſalutis perennis inſtituens, hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri.

Gloſſa Ordinaria.

Matt. 26. Gloſſa Ordinaria, circa illud, Prima autem die azimorum, &c. dicit, Id eſt, quartadecima die primi menſis: quando abiecto fermento, agnum immolant ad ueſperam, quod exponit Apoſtolus, Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Christus. Qui licet die ſequenti, id eſt, 15. Lunæ ſit crucifixus, tamen ea nocte paſsionis ſuæ tentus à Iudæis, celebrauit exordium. Ecce ſatis innuit quòd in ipſa cœna ultima iam Saluator noſter cœperat immolari: quaſi ibi fuerit immolationis primordium, & in cruce fuerit immolationis abſolutio & conſummatio.

Concilium Senonen.

Concilium prouinciale Senonen. ita habet in uerbis manifeſtis. Porrò & ſi Christus, aſsiduus pro nobis Pontifex, non per ſanguinem hircorum aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta: negari tamen non poteſt, Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Ac proinde huius exemplo, ſacrificium aliquod obtuliſſe: quod exteriori panis & uini forma, ueteri illi Melchiſedech oblationi reſponderet. Erat enim ſacerdos Dei altiſsimi. Quod utique
Gen. 14. fecit in ſuprema cœna illa. Nam accepto pane gratias egit,
Lucæ. 22 & fregit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Et ab Euangelicis ſacerdotibus iugi ſemper obſeruantia præcepit iterari, Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Hoc enim holocauſtum, hæc uictima pro peccato, hæc hoſtia pacifica, hoc iuge ſacrificium, hæc munda (iuxta Miſſæ nominis Hebraici rationem)

rationem) oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, cùm repudiatis legis antiquæ cæremoniis, ab ortu Solis uſque ad Occaſum, magnum eſſet nomen Domini in gentibus. Nihil igitur in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis CHRISTI; nulla potior oblatio. Qua in re, cum uniuerſalis Eccleſiæ ritu, tam apertè conſentiunt Ignatius, Ireneus, Cyprianus, Athanaſius, Chryſoſtomus, ac reliqui poſteriores, & Concilia propè innumera; ut qui contrarium ſenſiſſe præſumpſerit, manifeſtam hæreſeos labem incurrat. Malac. 1.

ORIGENES, & Tertullianus.

Antiquiſsimi etiam Origenes & Tertullianus idem aut docent, aut magis docere uidentur; CHRISTVM uidelicet in cœna obtuliſſe corpus, & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis & uini. Tertullianus enim aduerſus Martionem ita intellexit illud Domini uerbum, Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum anteqnàm patiar. ut dixerit quaſi exponens, CHRISTVS qui deſiderauit deſiderio edere paſcha, acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum fecit illum, dicendo, Hoc eſt corpus meum. Ecce illud ſacramentum iudicauit dictum fuiſſe paſcha à Saluatore noſtro, & per conſequens, ſacrificium, hoſtiam, aut uictimam. Qui idem auctor de diuino ſacramento Euchariſtiæ loquitur, tum in libro quodam ad uxorem, tum in libro de Corona militis. Origenes etiam ſuper Exodum, agens de Sacramento Euchariſtiæ, atque de reuerentia ei debita, dicit, Volo uos admonere religionis ueſtræ exemplis. Noſtis qui in diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quo modo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela, & ueneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim uos creditis, & rectè creditis, ſiquid inde per negligentiam decidat, &c. Super Leuiticum autem agens de ſacra Euchariſtia, fatetur in cœna fuiſſe ſacrificium, oblationem, aut immolationem, quæ uim haberet expiandi peccata, non paruam. Tertull. lib. 4. Eſt lib. 2. Orige. Hom. 13. Hom. 15.

Ioannes Driedonius.

Lib. 4. cap. 5. par. 4. ipſius cap. Ioannes Driedonius, cum fateretur ingenuè, Miſſam eſſe ſacrificium, ut ex eius opere De eccleſiaſticis ſcripturis, & dogmatibus, iam ſuperius retulimus, obiecit contra ipſam doctrinam, & confeſsionem ſuam, quòd Christvs in cœna ultima neque ſacrificium ullum fecit, neque ſacrificare docuit, neque obtulit panem & uinum; neque eleuauit, quod eſt propriæ oblationis indicium, neque in templo ſuper altare poſuit; ſed panem & uinum dumtaxat conſecrauit, gratias egit, & diſtribuit diſcipulis ad manducandum, &c. Reſpondet autem dupliciter. Primùm, quòd & ſi Christvs in cœna ſacrificauerit aut nō, ſed ſolùm conſecrauerit, ſed ſacrificare docuerit, impertinens eſt. Et uerè quidem dicit in hoc ſenſu. Quia & ſi Christvs in cœna non ſacrificaſſet, ſed ſolùm conſecraſſet: nobis ſufficit quòd ipſe nos non ſolùm conſecrare, ſed & ſacrificare docuiſſet, atque præcepiſſet. Secundò reſpondet, quòd probabilius tamen eſt, Christvm in cœna ſecundum ordinem Melchiſedech ſeipſum ſacramentaliter obtuliſſe in pane & uino: quamuis in illa oblatione non ſic, ut in cruce ſatisfecit pro peccatis totius mundi exoluens ſui ſanguinis precium. Et iſtam reſponſionem ſecundam proſequitur, illamque confirmat ex diuo Cypriano ad Cæcilium. Hoc igitur dicit probabilius. Et non eſt dubium niſi quòd ſi oculatius perſpiceret rem hanc atque penitius, non ſolùm dixiſſet hoc eſſe probabilius; ſed potius dixiſſet hoc eſſe credibile, & oppoſitum eius eſſe damnabile. Verùm ita dixit, quantum arbitror, quia tunc ei ſolus Cyprianus occurrit, quem ſolum refert in hanc partem: & non reſpexit tot ſanctos patres conformiter loquentes, & ita intelligentes ſecundum diuinas ſcripturas, & continuam Eccleſiæ per ipſos prædicationem.

(Margin: Ibidem arg. 3. — Ibidem ad tertiū arg.)

Rvardvs Tapper.

Art. 16. tom. 2. Ruardus Tapper doctor etiam inſignis, & ſi ex recentio-

ribus, antiquioribus tamen meritò comparandus, agens de ſacrificio Miſſæ, ita dicit ad propoſitum, Manifeſtum eſt etiam, quòd Christvs in cœna non ſolùm ſacrificium ut offeratur, inſtituit, ſed & ipſe ſacrificauit, & obtulit corpus, & ſanguinem ſuũ ſub panis & uini, & ſpeciebus. Immo fieri nequit, quòd uerterit panem & uinum in corpus & ſanguinem ſuum, niſi etiam ſacrificauerit: quamuis fieri poſsit, ut ſacrificiùm conſecratum non offeratur. Nam ex conſecratione Euchariſtiæ neceſſariò ſequitur ſacrificatio & ſacrificium. Sacrificare enim eſt, facere ſacrum: hoc eſt, Deo, atque ad eius reuerentiam aliquid dedicare & deputare: ſicut conſecrare uirginem uel ſacerdotem, eſt eos Deo offerre & dedere. Infra, Facere igitur ſe eſſe in ſacramento, Ibidem. iuxta Beati Auguſtini & aliorum definitionem, eſt uerè ſacrificare. Eadem quoque ratione, quandocunque in Miſſa fit conſecratio ſanctiſsimæ Euchariſtiæ, fit ſacrificium. Infra, Christvs igitur ſeipſum ſacrificauit, & Patri obtulit, Ibid. ut menſæ aſsidens, & ut in ſacramento latebat, ad Patris reuerentiam, in ſacrificium à ſuis etiam miniſtris uſque ad ſæculi conſummationem offerentium, in precium redemptionis noſtræ, atque in cibum, & potum animarum fidelium. Totius namque uitæ ſuæ decurſu fecit quæ patri placita erant, ſe offerens in omnem eius uoluntatem: & maximè quando in cœna nouiſsima ſacerdotio fungebatur ſecundum ordinem Melchiſedech. Hoc ſenſu interpretantur Theophilactus & Euthymius uerbum Saluatoris, Pater ſan- Ioan. 7. ctifica eos in ueritate, & pro eis ego ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in ueritate. hoc eſt, ut ipſi ſint ſacrificium tibi acceptum, & ideo ego ſanctifico meipſum, ideſt, me pro eis offero. Scribunt enim uictimam hoc loco dici ſanctificationem, ut immolationem ſub ſacramentò inchoauerit, quam conſummauit in cruce: quamuis tota eius uita, perpetua fuerit immolatio pro noſtris peccatis, & ſalute impetranda, &c.

Roffensis, & Alphonſus Caſtrenſis.

Eandem ſententiam ueriſsimam tenuerunt etiam glorio-

Alfonſus à Caſtro. ſus CHRISTI Martyr Ioannes Roffenſis & Arichiepiſcopus Compoſtellanus Alfonſus à Caſtro in locis ſupra citatis. Sed Alfonſus ipſe non in prima editione eius operis ſui, quin potius in ultima, de hac re egit latiſsimè.

Alfonſus lib. 10. Alfonſus enim ipſe in opere illo ſuo aduersùs omnes hæreſes, id fecit primùm pro iſta noſtra catholica ueritate, quòd latè monſtrauit Miſſam noſtram eſſe ſacrificium. Deinde ad eandem ueritatem abundantius oſtendendam, latiſsimè atque ex profeſſo monſtrauit etiam per multa, Saluatorem noſtrum obtuliſſe ſemetipſum in cœna nouiſsima ſub ſpeciebus panis & uini, ſecundum ordinem Melchiſedech. Dicit enim inter alia, Si igitur probauerim CHRISTVM Redemptorem noſtrum, non ſolùm in cruce, ſed etiam in ſacratiſsima cœna, corpus ſuum pro nobis omnibus Deo Patri obtuliſſe, plenè probatum erit ſacerdotes Euangelicos, quum in Miſſa Euchariſtiam conſecrant, eſſe obligatos ad offerendum Deo illud idem corpus CHRISTI, quod conſecrarunt: quia CHRISTVS præcepit illis, ut in ſuam commemorationem facerent, quod ipſe fecit. Infra, Quòd autem CHRISTVS ſummus ſacerdos noſter corpus ſuum in illa benedictiſsima cœna pro nobis Deo Patri obtulerit, apertè conſtat ex ſacris literis, & multorum ſanctorum teſtimonijs. Primò quidem illud eſt manifeſtum, quòd CHRISTVS Saluator noſter apud Lucam ait, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. In quibus uerbis id potiſsimùm annotare oportet, quòd non dixit uerbo futuri temporis, dabitur. ſed uerbo præſentis temporis dixit, datur. Vt hac itam aperta locutione oſtenderet, non ſolùm poſtea in cruce, ſed etiam tunc, corpus ſuum ſub ſpecie panis pro nobis Deo patri offerre. Hæc ille. Ad eandem ueritatem in ſequentibus adducit multa, adnotãdo ea quæ adnotari debent in ipſis tum uerbis, tum factis Domini in cœna. Præcipuè uerò poſtea adducit pro hac ueritate catholica, Rupertum Tuicenſem in ſuis commentarijs ſuper Exodum: Bedam in ſuis commẽtariis ſuper Marcum: Hieronymum in interpretatione Pſalmi 109. circa illud, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: Ambroſium in Miſſa de cœna Domini, in oratione præfationis; & Euſebium Cæſarien-

Ibid. paucis interpoſitis.

ſem in De demonſtratione Euangelica, atque Cyprianum in epiſtola ad Cæcilium.

STANISLAVS Hoſius.

Stanislaus Hoſius, Epiſcopus Varmienſis in Regno Poloniæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Legatus ad hoc œcumenicum Concilium, ita exiſtimat, docetque per omnia conſtantiſsimè in explicatione confeſsionis iam ſuperius memoratæ: qui uir, & ſi adhuc in humanis agat, dignus tamen eſt ob multa, maximaq; merita, ob eximias animi dotes, ſacræ Theologiæ numeris omnibus abſolutam diſciplinam, ob ipſam encyclopædiam uereque Chriſtianam pietatem, ut doctoribus etiam præclariſsimis & antiquioribus adnumeretur. Is enim eo in opere, ſic loquitur ad propoſitum, Porrò nemini dubium eſt, fuiſſe CHRISTVM ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, quod & Paulus teſtatur, & ante illum Propheta dicens, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Vbi autem hoc ſacerdotio functus ſit, in Euangelio nuſquam reperimus, præterquàm in nouiſsima illa cœna. Nam quale fuit ſacerdotium, quale ſacrificium Melchiſedech? Scribitur in Geneſi, quòd panem & uinum obtulerit, Erat enim ſacerdos Dei altiſsimi. Non'ne Melchiſedech, CHRISTVM ſacerdotem adumbrabat? qui & ipſe ſub ſpeciebus panis, & uini corpus & ſanguinem ſuum obtulit: in qua oblatione ſe ſacerdotem eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech declarauit. Nam in ea oblatione, quæ facta eſt in ara crucis, magis fuiſſe uidetur ſacerdos ſecundum ordinem Aaron, quàm ſecundum ordinem Melchiſedech. Ibi enim cruentam uictimam obtulit, & ſemetipſum uerè morti tradidit. Tales autem uictimas offerebant ſacerdotes ſecundum ordinem Aaron. At in nouiſsima cœna eandem illam hoſtiam corporis ſui, & ſanguinis obtulit, ſed ſub ijs, quæ Melchiſedech obtulerat antea, panis & uini ſpeciebus. Nihil aliud Melchiſedech, quàm panem ipſum & uinum: at CHRISTVS, corpus, & ſanguinem ſuum ſub panis & uini ſpeciebus obtulit. Hæc ille.

Cap. 41.
Hebr. 5. & 7.
Pſal. 109.
Gen. 14.

Ita igitur omnes patres ſancti, & catholici, qui ante nos fuerunt, intellexerunt noſtram Miſſam incruentam hoſtiam, & incruentum ſacrificium eſſe corporis, & ſanguinis CHRISTI ſub ſpeciebus panis, & uini; ut omnes & corde crederent, & ore confiterentur, Saluatorem noſtrum in ultima cœna ipſam Miſſam, ipſumque ſacrificium inſtituiſſe. Non ſolùm ex eo quòd ipſe ibi Apoſtolos ſacerdotes inſtituit & eis ut offerrent præcepit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem: quin etiam quia & ipſe ibi obtulit, ſacrificiumque ſui ipſius modo incruento peregit ſub ſpeciebus panis, & uini.

ISIDORVS.

Lib. 1. cap. 18. Iſidorus in De Eccleſiaſticis officiis, dicit, Sacrificium autem quod à Chriſtianis Deo offertur, primùm CHRISTVS Dominus noſter & Magiſter inſtituit, quando commendauit Apoſtolis corpus & ſauguinem, ſuum priuſquàm traderetur. Sic & legitur in Euangelio, Accepit, inquit, IESVS panem, & calicem, & benedicens, dedit eis. Quod quidem ſacramentum Melchiſedech rex Salem figuraliter in typum corporis & ſanguinis CHRISTI primus obtulit: primuſque myſterij tanti ſacrificij imaginariè idem expreſsit, præferens ſimilitudinem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu CHRISTI ſacerdotis æterni, ad quem dicitur, Tu es in æternum ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Hoc ergo ſacrificium Chriſtiànis celebrare præceptum eſt, relictis ac finitis Iudaicis uictimis, quæ in ſeruitute ueteris populi celebrari imperatæ ſunt. Hoc itaque fit à nobis, quod pro nobis ipſe Dominus fecit.

RABANVS.

Lib. 1. cap. 32. Rabanus iterum, eiſdem fermè uerbis in De inſtitutione clericorum, de officio Miſſæ ſcribens, dicit ad propoſitum, Hunc morē ſacrificij primùm Dominus noſter Ieſus CHRISTVS & Magiſter inſtituit, quando commendauit Apoſtolis ſuis corpus & ſanguinem ſuum, priuſquàm traderetur. Si-

cut legitur in Euangelio, Accepit, inquit, panem Ieſus, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait, Sumite, Hoc eſt corpus meum. Cum benedictione enim, & gratiarum actione primùm Dominus corporis, & ſanguinis ſui ſacramenta dedicauit, & Apoſtolis tradidit, quod ex inde Apoſtoli imitati fecere, & ſucceſſores ſuos facere docuerunt, quod & nunc per totum Orbem terrarum generaliter tota cuſtodit Eccleſia. Hæc ille. Ecce Saluator noſter primùm cum benedictione, & gratiarum actione, corporis & ſanguinis ſui ſacramenta dedicauit: per conſequens igitur ineuitabile, & obtulit. Ita enim cum benedictione atque gratiarum actione dedicare, eſt quidem ſine dubito, offerre.

Rupertus.

Rupertus iterum ſuper Matthæum dicit, Non antehac tradidit uel condidit hoc ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui, ſed tunc primùm, quando in paſsione iam agonizabatur, ipſa nocte qua tradebatur, qua iam ſtrues lignorum componebatur, tunc adipem ſuum pro peccato ipſe obtulit, ſcilicet omnem neceſſariam nobis utilitatem ſuæ paſsionis ſub iſtis ſpeciebus panis & uini, dicendo, Hic panis eſt corpus meum. Hic calix nouum eſt teſtamentum in ſanguine meo, qui pro uobis fundetur. Hæc ille. Idem au- ctor in De diuinis officiis, reddens rationem, Cur ſolennis fit Miſſa in die cœnæ Domini, ait, Solennitatis, qua prædictæ diei Miſſa, triſtes inter horas exultat, ſicut medias inter nebulas Sol interdum ſubtitillat. Cauſa hæc eſt, Quòd Dominus Christus ſanctus ſanctorum, cui à Patre cum iuramento dictum eſt, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ipſe Pontifex, ipſe & hoſtia, noui nobis ſacrificij ritum inſtituit, qua nocte tradebatur, accipiens panem & calicem uini, benedicensque, ac dicens, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei. Tunc enim primùm officio ſui functus eſt ſacerdotij, finem imponens ſacerdotio ueteri, & poſt eſum agni typici, ſeipſum, qui uerus eſt agnus, Deo Patri ſuis offerens manibus, &c.

Matt. 26. lib. 10.

Lib. 5. cap. 15.

PRIMASIVS.

Hebr.5. Primaſius Vticenſis Epiſcopus, ſeu Haymo, circa illud, Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. dicit, Quare ſecũdum ordinem Melchiſedech, & non ſecundum ordinem Aaron dicatur exiſtere ſacerdos, diuerſæ cauſæ exiſtunt. Et prima quidem eſt, quia Melchiſedech ſecundum legalia mandata non fuit ſacerdos, ſed ſecundum cuiuſdam ſingularis ſacrificij dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium ſanguinem: in cuius ordine ſacerdotij CHRISTVS factus eſt ſacerdos, non temporalis, ſed æternus. nec offerens uictimas legales, ſed inſtar illius panem & uinum, carnem uidelicet & ſanguinem ſuum; unde dixit, Caro, inquiens, mea uerè eſt cibus, & ſanguis meus uerè eſt potus. Iſta quoque duo munera, panem uidelicet & uinum commiſit Eccleſiæ ſuæ in memoriam ſui offerenda. Vnde patet ſacrificium pecudum periiſſe, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potius, quod fuit ordinis Melchiſedech. Quod CHRISTVS corroborauit, & Eccleſiam tenere docuit. Ecce CHRISTVS factus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, non offerens uictimas legales, inſtar Aaronis: ſed inſtar Melchiſedech panem & uinum, carnem uidelicet & ſanguinem ſuum, ſub ſpeciebus panis & uini. Et ut declarat idem auctor, Iſta quoque duo munera, panem uidelicet & uinum commiſit Eccleſiæ ſuæ CHRISTVS, in memoriam ſui offerenda. Ipſe igitur obtulit inſtar Melchiſedech, & ut maneret ſacerdotium eius in æternum, præcepit nobis ut inſtar ipſius offeramus, dicens, Hoc facite in meam commemorationem.

NICEPHORVS Calliſtus.

Lib. 1. cap. 28. Nicephorus in hiſtoria Eccleſiaſtica ſcribit, Quum uerò rurſum CHRISTVS diſcubuiſſet, myſticum tradidiſſe ſacrificium horrendorum ſimul, & uiuificorum noſtrorum myſteriorum pane & uino ex uite expreſſo: Eaque quum per

gratiarum

gratiarum actionem, & ſanctificationem benedixiſſet, diſcipulis dediſſe, & quum uerè corpus & ſanguinem ſuum eſſe, quaſi fide ſua interpoſita confirmaſſet, accipere & participare eos illa: quippe nulla re à diuina carne ſua diſcrepantia iuſsiſſe: atque id ad eundem modum in futurum deinceps fidelibus faciendum, ad ſinceram euidentemque ſui memoriam per manus tradidiſſe. Ecce Saluator noſter cum diſcubuiſſet, tradidit myſticum ſacrificium in pane, & uino.

Ant. Monchiacenus.

Ant. Monchiacenus, doctor Sorbonicus, in ſua Propugnatione Catholica & hiſtorica religionis inſtitutionisque Domini noſtri; iſtam omnino tenet, & proſequitur ueritatem. Proponit enim Miſſæ ſacrificium à Christo Domino Ieſu eſſe inſtitutum; idque probat ſatis abundè per optimos & exceptione quacunque maiores teſtes. Inter eos teſtes adducit ipſe multos, qui expreſsè dicunt, Christvm in cœna illa ultima ſacratiſsima obtuliſſe: quos quidem ipſe etiam amplectitur, & admittit. Vnde nullo modo dubitari poteſt, quin & ipſe huic uerißimæ ſubſcripſerit ſententiæ: fuit enim atque maximè fuit, & ſatis Chriſtianè, ſatisque laborioſè, & uerè de ſacroſancto Miſſæ ſacrificio locutus. Atque hoc idem poſt fatetur, dicens. Quartò, primam Paſchæ celebritatem decimaquarta die à filiis Iſraël obſeruatam, figurabant in Hieruſalem, & monte Sion perficienda ſuo modo in noua lege per Christvm: qui in Hieruſalem primò erexit ſacrificij locum ſui corporis, quando ſuis dedit diſcipulis corpus, quos ibidem in ſacerdotes & ſacrificij Miſſæ miniſtros primò ordinauit.

tom. 2. cap. 2.

Ibidem cap. 3.

Chriſti Seruatoris, ſub ſpeciebus panis & uini in cœna oblationem, an, & quo pacto Auguſtinus agnouerit? C A P. X V I.

AVguſtinus, quid ſentit de hac ueritate? quid nam affert ad hanc quæſtionem de Miſſæ ſacrificio? Manifeſtè ſatis dixit Auguſtinus, Miſſam noſtram eſſe uerum ſacrificium, continens uerum corpus & uerum ſanguinem Saluatoris noſtri ſub ſpeciebus panis & uini. Conſtat hæc Aug. ſententia ex dictis eius allegatis ad præcedentem concluſionem, & ex multis aliis eius uerbis aut ſcripturis, quæ facilè, ſatis copioſè allegari poſſunt: utpote quòd ipſe uel plus omnibus aliis doctoribus, uel pluſquàm multi alij, de hac ueritate loquatur. Sed quid de quæſtione hac ſpeciali, An Chriſtus obtulerit in cœna? An ſicut ibi conſecrauit, ita & ibi obtulerit in pane & uino, ſiue ſub ſpeciebus panis & uini? Profectò mihi magis uidetur quòd Auguſtinus etiam tenuit huius quæſtionis partem affirmatiuam, & quòd in ea ſatis ſeſe declarauit. Dicit enim in

cap. 11. tomo. 9. ſuo Manuali, Pulcherrimè Ieſu Chriſte, rogo te per illam ſacratiſsimam effuſionem precioſi ſanguinis tui, quo redēpti ſumus, da mihi cordis contritionem, & lacrymarum fontem, præcipuè dum preces & orationes tibi offero, dum tuæ laudis tibi pſalmodiam decanto, dum myſterium noſtræ redemptionis manifeſtum miſericordiæ tuæ indicium recolo uel profero, dum ſacris altaribus licèt indignus aſsiſto, cupiens tibi offerre illud mirabile & cœleſte ſacrificium omni reuerentia & deuotione dignum, quod tu Domine Deus meus ſacerdos immaculate inſtituiſti, & offerre præcepiſti in commemorationem tuæ charitatis, mortis ſcilicet, & paſsionis, pro ſalute noſtra, pro quotidiana noſtræ fragilitatis reparatione. Hæc ille. Ecce Dominus noſter ſacerdos immaculatus inſtituit illud mirabile & cœleſte ſacrificium, quod & offerre præcepit: inſtituit autem offerendo, ſicut præcepit præcipiendo. Iam quippe illud ſacrificium erat à Domino inſtitutum, quod fuit ab ipſo Domino præceptum: ut conſtat in ipſis factis, & uer-

bis CHRISTI, conſiderando ea quæ fecit & dixit ex ordine.

Auguſtinus ipſe alibi, Ne dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus eſt humilis: ut uel ſic, ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi ueſtigia Dei. Erat autem, ut noſtis, ſacrificium Iudæorum antea, ſecundum ordinem Aaron in uictimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum enim erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Euangelium legerunt, quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto Orbe terrarum. Proponite ergo uobis ante oculos duo ſacrificia; & illud, ſecundum ordinem Aaron; & hoc, ſecundum ordinem Melchiſedech. Scriptum eſt enim, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. De quo dicitur, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech? De Domino noſtro Ieſu CHRISTO. Quis erat Melchiſedech? Rex Salem. Et tantus erat Melchiſedech, à quo benediceretur Abraham. Protulit panem & uinum, & uinum & benedixit Abraham, & dedit ei decimas Abraham. Videte, quid protulit ei, quem benedixit. Et dictum eſt ei poſtea, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dauid hoc in Spiritu dixit longè poſt Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchiſedech. De quo alio dicit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi de illo cuius noſtis ſacrificium? Sublatum eſt enim ſacrificium Aarõ, & cœpit eſſe ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Notus eſt enim Dominus noſter Ieſus CHRISTVS, in corpore & ſanguine ſuo uoluit eſſe ſalutem noſtram. Vnde autem commendauit corpus & ſanguinem ſuum? De humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Et ad finem eiuſdem ſubdit, Ferebatur CHRISTVS in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis, ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu CHRISTI, ipſa multum commendatur hominibus. Hæc ille. Ecce agens de ſacerdotio, & ſacrificio CHRISTI, ſecundum ordinem Melchiſedech, adducit mirabile factum Domini

Auguſt. Cõcio. 1. in pſal. 33 tomo. 8.

Pſal. 109.

ipſius in cœna: nihil dicens de eo quod CHRISTVS facere præcepit, & multa dicens de eo quod ipſe CHRISTVS ibi fecit.

August. Ibid. Cócio. 2. Auguſtinus iterum & clariſsimè dicit in eodem loco, In iſto autem quod dicitur, Abimelech, regnum Iudæorum ſignificabatur. Ex CHRISTI enim perſona poteſt dici, patris mei regnum, quia pater ipſius ſecundum carnem Dauid, & regnum Dauid erat in gente Iudæorum. Coràm regno ergo patris ſui mutauit uultum ſuum, & dimiſit eum, & abiit: quia erat ibi ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Mutauit ergo uultum ſuum in ſacerdotio, & dimiſit gentem Iudæorum, & uenit ad gentes. Et ferebatur in manibus ſuis. Quomodo ferebatur in manibus ſuis? Quia cum commendaret ipſum corpus ſuum, & ſanguinem ſuum, in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret, Hoc eſt corpus meum. Hæc ille. Ecce CHRISTVS ubi dixit, Hoc eſt corpus meum, & ſe portabat in manibus ſuis, id eſt, in cœna illa ultima, mutauit uultum ſuum, & ibi erat ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech.

August. Lib. 17. cap. 4. & 5. tomo. 5. Auguſtinus iterum, in De ciuitate Dei, de hac re loquitur manifeſtè; ut apud intellectum à paſsionibus liberum nulla poſsit eſſe dubitatio. Cum enim iam per multa docuiſſet ſacerdotium legale Aaronis mutandum eſſe in ſacerdotium Melchiſedech per CHRISTVM Saluatorem noſtrum, docens, CHRISTVM Miſſæ & ſacrificij noui quod habemus, Ibidem. cap. 20. eſſe auctorem, dicit ad propoſitum, Itemque illud in eodem libro, quod iam ante perſtrinximus, cum ageremus de ſterili, quæ peperit ſeptem, non niſi de CHRISTO & Eccleſia mox ut fuerit pronuntiatum, conſueuit intelligi ab Prouer. 9 eis, qui CHRISTVM ſapientiã Dei eſſe nouerunt. Sapientia ædificauit ſibi domum, & ſuffulſit columnis ſeptem, immolauit ſuas uictimas, miſcuit in cratere uinum ſuum, & parauit menſam ſuam. Miſit ſeruos ſuos conuocans cum excellenti prædicatione ad craterem, dicens, Qui eſt inſipiens, diuertat ad me. Et inopibus ſenſu, dixit, Venite, manducate de panibus meis: & bibite uinum, quod miſcui uobis. Hic certè agnoſcimus Dei ſapientiam, hoc eſt Ver-

bum Patri coæternum, in utero Virginali domum ſibi ædificaſſe corpus humanum, & huic tanquam capiti membra Eccleſiam ſubiunxiſſe, martyrum uictimas immolaſſe, menſam in uino & panibus præparaſſe. ubi apparet etiam ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, inſipientes & inopes ſenſu uocaſſe, quia ſicut dicit Apoſtolus, Infirma huius mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Quibus tamen infirmis quod ſequitur, dicit, Derelinquite inſipientiam, ut uiuatis: & quærite prudentiam, ut habeatis uitam. Participem autem fieri menſæ illius, ipſum eſt incipere habere uitam. Nam & in alio libro, qui uocatur Eccleſiaſtes, ubi ait, Non eſt bonum homini, niſi quod manducabit & bibet. quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem menſæ huius pertinet, quam ſacerdos ipſe mediator teſtamenti noui, exhibet ſecundum ordinem Melchiſedech de corpore & ſanguine ſuo? Id enim ſacrificiũ ſucceſsit omnibus illis ſacrificiis ueteris teſtamenti, quæ immolabãtur in umbra futuri. Propter quod etiam uocem illam in Pſalmo triceſimo & nono eiuſdem mediatoris per Prophetiam loquentis agnoſcimus, Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. quia pro illis omnibus ſacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Hæc ille. Ecce ſecundum hanc Auguſtini doctrinam, Saluator noſter, Verbum æternum, ſapientia Dei Patris, mediator Dei & hominum, menſam præparauit in uino & pane. ubi apparet etiam ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech. Vbi, aut quando parauit? Non dubium quin in illa ſacroſancta cœna ultima, quando ipſe fuit conuiuium & conuiua: comedens, & qui comedebatur. Ex eo autem tempore ad hanc uſque diem durauit, & durabit in æternum: prout ipſe ordinauit, & præcepit. Auguſtinus, prout ipſe refert in De doctrina Chriſtiana, uidit illam epiſtolam Cypriani, in qua fatetur Christvm obtuliſſe in cœna: & non impugnauit hoc Auguſtinus, ſolitus omnia impugnare quæ illi uidebantur impugnatione digna. Ergo iudicauit hoc eſſe uerum.

Pſal. 109.
1. Cor. 1.
Prouer. 9
Eccl. 30.
Auguſt. lib. 4. cap. 31.

Gregorivs Nyſſenus.

Gregorius Nyſſenus, frater Baſilij Magni, in oratione prima, in diem tertium collata, De ſancto feſto Paſchæ, quæ habet decimum ſextum locum in cathalogo ſuorum operum, agens de die reſurrectionis, ac de triduo paſsionis, inter alia etiam optima dicit ad propoſitum de Saluatore noſtro in cœna illa ſancta, & ultima, Nam qui omnia pro dominica poteſtate atque auctoritate adminiſtrat, non expectat uel ex proditione neceſsitatem, uel Iudæos graſſatorum in modum adorientes, uel Pilati iudicium iniquum, ut illorum ſcelus ac malitia, communis hominum ſalutis principium & cauſſa eſſet. Sed pro ineffabili arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, ſacrificij modo, ſua diſpoſitione, & adminiſtratione præoccupat impetum uiolentum, ac ſeſe oblationem ac uictimam offert pro nobis ſacerdos ſimul & agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quando hoc accidit? Quum ſuum corpus ad comedendum, & ſanguinem ſuum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim hoc perſpicuum eſt, quòd oue ueſci homo non poſsit, niſi comeſtionem mactatio præceſſerit. Qui igitur dedit diſcipulis ſuis corpus ſuum ad comedendum, apertè demonſtrat, iam perfectam & abſolutam factam eſſe immolationem. Non enim ad edendum idoneum eſſet corpus uictimæ animatum. Quum itaque de corpore ſuo ad edendum, & de ſanguine ſuo ad bibendum præberet diſcipulis, iam latenter pro poteſtate myſterium adminiſtrantis ineffabiliter & inuiſibiliter corpus immolatum erat, & anima illhic erat, ubi eam poteſtas adminiſtrantis collocauerat, cum immixta ſibi diuina uirtute in loco illo terræ cordis obuerſans. Igitur ſiquis ab eo tempore, ex quo hoſtia Deo oblata eſt à magno Pontifice, qui ſuum agnum pro communi peccato ineffabiliter, & inuiſibiliter ſacrificauit, numeret tempus in corde terræ immorationis, is à ueritate non abberabit. Veſper enim erat, quum comeſtum eſt illud ſacroſanctum corpus: nox autem, quæ Paraſceuen præceſsit, ueſperum illum excepit. Hæc ille.

Diuum Thomam arbitrari, Seruatorem noſtrum in cœna nouiſſima, corpus & ſanguinem ſuum ſub panis, & uini ſpeciebus Patri obtuliſſe; argumentis, & rationibus permultis probatur. CAP. XVII.

SAnctus Thomas quid ſenſit, aut quid ſcripſit circa hanc quæſtionem? Et ſi ſanctus Thomas prorſus nihil de iſta quæſtione ſcripſiſſet, directè, aut indirectè, immediatè uel mediatè, formaliter uel uirtualiter, explicitè uel implicitè; ego tamen, ſaluo meliori iudicio, ſemper crederem, mentem ſuam fuiſſe ad partem affirmatiuam. Hoc enim perſuaſum habeo ex ſua eruditione, lectione, mentis perſpicacia, ſanctitate, humilitate, & conſuetudine. Ex ſua eruditione, lectione, ac intelligentia: quia ex iſtis certum eſt, ipſum legiſſe & intellexiſſe manifeſta hæc ſanctorum doctorũ teſtimonia, tam multa, tam clara. Ex ſua ſanctitate, & humilitate: quia ex iſtis certum eſt, quòd ipſe in iſta quæſtione ſanctos patres conformiter loquentes ſequeretur, & cum illis iudicaret in hac re religionis Chriſtianæ grauiſsima. Ex ſua conſuetudine: quia ex ea ſcio & ſcimus omnes, ſanctum Thomam in ueritatibus, & rebus pertinentibus ad religionem, ſemper ſolicitum fuiſſe in eo, ut cum ſanctis Patribus iudicaret, & doceret. Sic ergo faceret in hac ueritate. Secundò etiam dico, ſaluo meliori iudicio, quòd ſanctus Thomas circa materiam huius quæſtionis ſcripſit ſatis, & ſecundum partem affirmatiuam tenuit, Saluatorem noſtrum in cœna obtuliſſe in pane & uino, ſeu corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & uini, ut iam ſæpe dictum eſt, & declaratum, de illo modo offerendi in cœna, de quo nunc agimus.

Credo igitur, ſanctum Thomam ita docuiſſe, & ita intelligo eius doctrinam. Primùm, quia ſanctus Thomas in ſacra Euchariſtia non diſtinguit ſacramentum & ſacrificium, tanquam duas res realiter diſtinctas: ſed eam fatetur eſſe unam rem nomine & ratione diuerſam, ut ſic. Mouet enim quæſtionem, Vtrùm conuenienter hoc ſacramentum

Part. 3. qó. 73. art. 4. pluribus nominibus nominetur? Determinando autem docet quòd ſic. Oſtenditque illud habere diſtincta nomina, ſecundum diſtinctas conſiderationes, aut rationes, aut ſignificationes. Vnde ait, Dicendum, quòd hoc ſacramentum habet triplicem ſignificationem, Vnam quidem reſpectu præteriti, inquantum ſcilicet eſt commemoratiuum Dominicæ paſsionis, quæ fuit uerum ſacrificium, ut ſupra dictum eſt; & ſecundum hoc nominatur ſacrificium, &c. Quo loco ne quis putet neceſſarium eſſe ut hoc ſacramentum ſit ſacrificium, quod ſit commemoratiuum, id eſt, repræſentatiuum rei præteritæ: ſed ut omnes intelligamus ſufficere ei ut ſit ſacrificium, illius diuini ſacrificij in cruce peracti repræſentatiuum, dicit, Dicendum quòd hoc ſacramentum dicitur ſacrificium, inquantum repræſentat ipſam paſsionem Christi. Hæc ille. Non poteſt autem eſſe dubium, quin ſecundum ſanctum Thomam ſacra Euchariſtia in cœna, repræſentabat Christi paſsionem in cruce futuram. Fatetur enim ipſe expreſsè quòd in cœna facta fuit præſignatio paſsionis Christi. De iſta ratione, quòd non eſt de eſſentia Euchariſtiæ ut ſit ſacrificium, quòd ſit commemoratiua rei præteritæ, ſed ſufficere quòd ſit repræſentatiua, inferius multa. Abſtrahit enim repræſentare à præterito, præſenti, & futuro: & de omnibus iſtis eſt, aut eſſe poteſt. Nunc ſufficit, quòd Euchariſtia Christi in cœna non minus repræſentabat paſsionem Christi tunc futuram, quàm noſtra; & magis Christi Euchariſtia quæ modo eſt, repræſentat paſsionem Christi nunc præteritam. Fides enim eſt, quæ utrobique repræſentat: & quæ eadem, repræſentat eandem rem, etiam ſi eadem res tranſeat à præterito in futurum. Eadem eſt fides noſtra, & antiquorum. Sed de hoc, inferius multa, ut iam dixi.

Ibidem ad tertiũ arg.

Pa 3. qó 83. art. 5. ad tertiũ arg.

Secundò, quia idem auctor ſanctus, poſtquam determinauit ſacram Euchariſtiam eſſe & ſacramentum & ſacrificium, habereque multa nomina propter multas rationes, aut ſignificationes: immo etiam, quod manifeſtius eſt, poſtquam determinauit hoc ſacramentum dici, ſeu nominari & eſſe ſacrificium; ſtatim nulla alia quæſtione interpoſita, mouit quæſtionem, Vtrùm inſtitutio huius ſacramenti fuerit con-

Ibidem art. 5.

rit conueniens? Reſpondet quòd ſic, quia fuit inſtitutum à CHRISTO, de quo dicitur, Bene omnia fecit. In reſponden- Matt. 7.
do autem, declarando, & probando quòd conuenienter hoc ſacramentum inſtitutum fuit in cœna, in qua ſcilicet CHRISTVS ultimò cum ſuis diſcipulis fuit conuerſatus, dicit multa, quibus explicat ſatis iſtud ſacramentum etiam tunc fuiſſe ſacrificium... Aſſerit quòd in ueteri teſtamento præcipuum ſacramentum repræſentatiuum Dominicæ paſſionis erat agnus paſchalis: & addit, quòd ei ſucceſsit in nouo teſtamento Euchariſtiæ ſacramentum, quod eſt rememoratiuum præteritæ paſsionis, ſicut & illud fuit præfiguratiuum futuræ. Continuando autem ſermonem, ex hoc quaſi per quandam conſequentiam dicit, Et ideo conueniens fuit, Ibid.
ut imminente paſsione, celebrato priori ſacramento, nouum ſacramentum inſtitueret. Ecce quòd eo modo & eodem nomine, agnum paſchalem typicum appellat ſacramentum prius, ſeu primum, aut uetus; Euchariſtiam uerò ſeu ſacramentum Euchariſtiæ, appellat ſacramentum nouum. Fuit autem agnus ille paſchalis typicus tale ſacramentum, quod ſine dubio fuit ſacrificium & uictima; etiam ex primo & in primo die, quo inſtitutus fuit. Sic & noſtra Euchariſtia. Confirmat S.Thomas iſtam ueritatem ex Leone Papa, Ibid.
dicens, Vnde Leo Papa dicit, quòd, ut umbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, &c. Ecce docet S.Tho. quòd antiqua illa obſeruantia nouo excluſa eſt ſacramento, & quòd hoſtia in hoſtiam tranſiuit: & conſtat, quòd agebat de iſto ſacramento in ſua prima inſtitutione, quæ fuit in cœna. Igitur tunc Euchariſtia fuit & ſacramentum & hoſtia, in quod & in quam tranſiuit ſacramentum & hoſtia uetus, id eſt, agnus typicus. Opponit S.Tho. contra ſe, dicens. Hoc Ibid.
ſacramentum dicitur eſſe memoriale Dominicæ paſsionis, arg. 3.
ſecundum illud, Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ.22
Sed memoria eſt præteritorum; ergo hoc ſacramentum non debuit inſtitui ante CHRISTI paſsionem. Reſpondet, Dicendum, quòd ſacramentum iſtud fuit inſtitutum in cœna, Ibid.
ut in futurum eſſet memoriale Dominicæ paſsionis, ea perfecta. Vnde expreſsè dicit, Hoc quotieſcunque feceritis.

O

de futuro loquens. Ecce de ſacramento iſto loquitur, per uerbum, Sacramentum, & non per uerbum, Sacrificium. Fatetur quòd in cœna non fuit memoriale paſsionis, quia paſsio nondum erat præterita; ſed in cœna fuit inſtitutum, ut in futurum eſſet memoriale illius, poſt paſsionem peractam. An in cœna fuit ſacramentum? An in cœna repræſentabat paſsionem futuram? Vtique. De neutro horum poteſt eſſe dubium. Fuit igitur in cœna ſacramentum Dominicæ paſsionis repræſentatiuum. Igitur fuit & ſacrificium: tum, quia per hoc Euchariſtia habet nomen ſacrificij, ut conſtat ex doctrina S. Tho. paulò ante allegata: tum, quia illud uerbum Domini, Hoc facite in meam cõmemorationem. & illud, Hoc quotieſcunq; feceritis in mei memoriã facietis, non potius intelliguntur dicta de Euchariſtia prout eſt ſacramentum, quàm de Euchariſtia prout eſt ſacrificiũ. Quia immo de eo intelliguntur, quod CHRISTVS fecit: ſiue ſolùm conſecrauit, ſiue conſecrauit & obtulit ſimul. Poſt factum enim illud mirabile, dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc inquit, ideſt, Quod ego feci. Vnde ſi ante paſsionem non potuit eſſe ſacrificium, quia non fuit memoriale: per eandem rationem, tunc non potuit eſſe ſacramentum. Et conſtat, quòd ſanctus auctor iſtam rationem formauit ſub nomine ſacramenti, non autem ſub nomine ſacrificij. De hac re uerò, ſufficiat hæc modo dixiſſe, cùm infrà uberius ſimus de ea locuturi.

Tertiò, quia ſanctus Thomas agens de illis, quæ ad ſacram Euchariſtiã pertinent ſecundum rem, quæ ipſa habet, uel quæ ipſa efficit, & ſi quæſtiones moueat de ſacramento, concludit nihilominus, & de ſacrificio. Mouit quæſtionẽ, part. 3. qõ. 74. art. 1. Vtrum materia huius ſacramenti, ſit panis & uinum? Concludit, quòd corpus CHRISTI ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis uerò ſub ſpecie uini, pro ſalute animæ, offertur, &c. Ecce uerbum, Offertur, quod explicat ſacrificium. Mouit quæſtionem, par. 3. qõ. 79. art. 7. Ibid. Vtrùm hoc ſacramentum proſit aliis, quàm ſumentibus? Reſpondet quòd hoc ſacramentum non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium: & quòd eſt ſacrificium inquantum repræſentat paſsionem CHRISTI, qua CHRISTVS obtulit ſe hoſtiam Deo: ſed eſt

ſacramentum ſeu habet rationem ſacramenti, inquantum in eo traditur inuiſibilis gratia ſub uiſibili ſpecie. Concludit autem, quòd ſumentibus quidem prodeſt & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: ſed aliis, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificij, inquantum pro ſalute eorum offertur. Mouit quæſtionem, Vtrùm ſacerdos conſecrans, teneatur ſumere hoc ſacramentum? Reſpondet quòd ſic, quia Euchariſtia non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Ibid. q. 82. art. 4.

Quartò, quia S. Thomas in officio illo mirabili, quod ad feſtum corporis CHRISTI, & in illo celebrandum, mirabiliter inſtituit ex commiſsione ſanctiſsimi Domini noſtri fælicis recordationis, Vrbani Papæ IIII. ita dicit de Saluatore noſtro, Sacerdos in æternum CHRISTVS Dominus ſecundum ordinem Melchiſedech, panem & uinum obtulit. Hæc ille. Obtulit igitur Dominus, panem & uinum, ſecundum illum ordinem. Obtulit autem in cœna, ut conſtat: & S. Thomas de hoc loquebatur, ut palàm eſt omnibus. Explicando magis idem Doctor ſanctus dicit, Poſt agnum typicum, expletis epulis, corpus Dominicum datum diſcipulis, ſic totum omnibus, quod totum ſingulis, eius fatemur manibus. Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & triſtibus ſanguinis poculum, dicens. Accipite quod trado uaſculum, omnes ex eo bibite. Hæc ille. His autem adiecit ſtatim, Sic ſacrificium iſtud inſtituit, &c. Nota uerbum, Sic ſacrificium iſtud inſtituit. Poſt enarratam enim ſacræ cœnæ ſacram hiſtoriam, non de ſacramento nomine ſacramenti, ſed de ſacramento nomine ſacrificij, poſuit inſtitutionem, dicens, Sic ſacrificium iſtud inſtituit. Nota uerbum, Sic. Quomodo, ſic? Poſt agnum illum typicum, atque expletis illis epulis, conſecrando corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & uini, & porrigendo hæc diſcipulis ſuis, ut acciperent, manducarent, & biberent. Si hæc dixiſſet S. Thomas in ſuis partibus, ut legerentur in ſcholis; nullus dubitaret S. Thomam dixiſſe, quòd CHRISTVS in cœna obtulit. Multo igitur magis debemus credere ſanctum Thomam id dixiſſe, ex quo uidemus ipſum hæc ſcripſiſſe in illo officio, quod toto ſtudio, tota mente, & toto

S. Tho. in offic corpo. Chriſti.

Antiph. j. in primis ueſp.

Id quod in hym. ipſius feſti & officij.

ſpiritu conſcribebat, ut legeretur, & decantaretur in tota Eccleſia Chriſtiana. Dicant alij quicquid uelint, mihi certè maximè probat, atque indubitatam fidem facit iſta S. Thomæ in illo officio aſſertio, ut firmiter iudicem fuiſſe hanc eius mentem, atque ſententiam catholicam ab omnibus obuiis, ut dicitur, ulnis excipiendam.

Quintò, quia ſicut S. Thomas ſatis manifeſtè dicit, uel profectò abundè innuit, Sacrificatio Euchariſtiæ conſiſtit in conſecratione. Ipſe enim ut conſtat ex dictis eius allegatis, ex quæſt. 73. art. 4. in corpore, atque ad tertium argum. & ex quæſt. 79. art. 7. eò dicit hoc ſacramentum habere rationem ſacrificij, quòd repræſentat Dominicam paſſionem. Poſtea autem fatetur ingenuè & expreſsè, in his uerbis, Quod repræſentatio Dominicæ paſsionis agitur in ipſa conſecratione huius ſacramenti; in qua non debet corpus ſine ſanguine conſecrari. Ergo ſecundum ſuam doctrinam, ſacrificatio Euchariſtiæ, conſiſtit in conſecratione. Vnde & alibi, poſt conſecrationem Euchariſtiæ, reputat hoc ſacrificium peractum. Confirmatur iſta ratio, & probatur eadem concluſio, ſecundò; quia idem Doctor ſanctus mouet quæſtionem, Vtrùm ſacerdos conſecrans, teneatur ſumere hoc ſacramentum? & reſpondet quòd ſic, propter multas rationes. Specialiter quia Euchariſtia non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium. Et addit, Quicunq; autem ſacrificium offert, debet ſacrificij fieri particeps. Porrò in eo loco docet expreſsè, quòd conſecratio Euchariſtiæ eſt ſacrificium. Verba eius ibi ſunt, Conſecratio Chriſmatis uel cuiuſcunque alterius materiæ, non eſt ſacrificium; ſicut conſecratio Euchariſtiæ. Et per hoc reſpondet ad argumentum contra ſe factum. Quia igitur in cœna CHRISTVS uerè atque propriè conſecrauit Euchariſtiam, & ibi tunc fuit uera, atque propria Euchariſtiæ conſecratio: ſequitur ſecundum S. Thomam, quòd tunc etiam fuit ibi uera, atque propria ſacrificatio. Vnde ſequitur hoc? Quia ſecundum ipſum, ſacrificatio Euchariſtiæ, conſiſtit in Euchariſtiæ conſecratione. Quia igitur ibi fuit Euchariſtiæ conſecratio, ſequitur, quòd ibi fuit Euchariſtiæ ſacrificatio.

Sextò, quia doctores catholici & in eius doctrina uerſa-

par. 3. qõ. 80. art. 12. ad tertium arg.

par. 3. qõ. 83. art. 4.

par. 3. qõ. 82. art. 4. Ibid.

Ibid. Ad primũ arg.

ti, credunt, ſanctum Thomam dixiſſe, quòd ſacrificatio conſiſtat in conſecratione ſeu confectione ſacramenti Eucha riſtiæ. Ruardus enim Tapper ita dicit in ſua explicatione articulorum uenerandæ facultatis ſacræ theologiæ generalis ſtudij Louanienſis. Dicit namque in eo opere, Sacra namque Euchariſtia primò ex CHRISTI inſtitutione ſacramentum eſt corporis, & ſanguinis CHRISTI: deinde eſt & ſacrificium, in quo ſub ſpeciebus panis & uini corpus eius, & ſanguis Patri cæleſti offeruntur: & tertiò cibus eſt & potus, quibus cor hominis Chriſtiani confirmatur. Nam ſubſtantia prior eſt eius uſu, & manducatio quæ ex altari ac menſa Domini diſpenſatur, poſterior eſt oblatione. Primùm igitur eſt hîc conſecratio & confectio ſacramenti, in qua, ſecundum beatum Thomam, conſiſtit ſacrificatio: ſecundò eſt oblatio: deinde ſacrificatæ & oblatæ carnis manducatio. Sacrificij igitur oblatio, primarius eſt ſacræ Euchariſtiæ uſus, & ideo in ordinatione Sacerdotis, oblationis fit mentio, non conſecrationis quæ fit ad oblationem, ſecundum definitionem concilij Florentini. Hæc ille. Ecce aſſerit quòd ſecundum ſanctum Thomam, Euchariſtiæ ſacrificatio conſiſtit in eiuſdem Euchariſtiæ conſecratione, ſeu confectione. Ruardus Tapper. art. 16. tomo. 2.

Septimò, quia Saluator noſter in cœna dum Euchariſtiam conſecrauit, eo ipſo fecit panem & uinum de non ſacro ſacrum, ut eſt manifeſtum, & apud omnes notiſsimum. Secundum ſanctum Thomam autem, ſacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid ſacrum. Quia igitur Dominus ibi fecit de pane & uino non ſacro, panem & uinum ſacrum, manifeſtum eſt ſecundum ſanctum Thomam, quòd ibi ſacrificauit. Confirmatur, quia ex quo Saluator noſter fecit panem, & uinum de non ſacro ſacrum, certum eſt, quòd ipſum panem & uinum dicauit Deo: & per conſequens ibi fuit eo ipſo oblatio eiuſdem panis & uini Deo facta, ob quam ille panis & illud uinum iam non poterant uerti in uſus prophanos. Oblatio igitur fuit ibi. Iſtam rationem ita ponderauit Ruardus Tapper, ut ſic diceret, Manifeſtum eſt etiam, quòd CHRISTVS in cœna non ſolùm ſacrificium ut offeratur inſtituit, ſed & ipſe ſacrificauit & ob- Secunda ſecundæ, qó. 85. art. 3. ad tertiũ arg. Ruardus Tapper. ubi ſupra

tulit corpus & ſanguinem ſuum ſub panis & uini ſpeciebus: immo fieri nequit, quòd uerterit panem & uinum in corpus & ſanguinem ſuum, niſi etiam ſacrificauerit: quamuis fieri poſsit, ut ſacrificium conſecratum non offeratur. Nam ex conſecratione Euchariſtiæ neceſſariò ſequitur ſacrificatio & ſacrificium. Sacrificare enim eſt, facere ſacrum, hoc eſt, Deo atque ad eius reuerentiam aliquid dedicare & deputare: Sicut conſecrare uirginem uel ſacerdotem, eſt eos Deo offerre & dedere. Et in Leuitico dicit ſcriptura, quòd Domino ſanctificatur, quicquid ei uouemus. Hæc ille. Fuit igitur ibi ſine dubio ſacrificatio illius panis & uini, ſacratio, dedicatio, oblatio. Ita quicquid olim tradebatur Deo, oblatio dicebatur: ſimiliter & quicquid Deo ſpecialiter ſacrabatur, aut dedicabatur.

Saltem igitur fuit ibi ſecundum ſanctum Thomam ſacratio panis & uini, ſacrificatio, dedicatio, oblatio. Sed, quæſo, qualis oblatio fuit ibi ſecundum S. Tho. & eius doctrinam? Profectò ſecundum ipſum, talis oblatio ibi fuit, qualis debuit eſſe, ut eſſet uerum atq; proprium ſacrificiũ. S. Thomas enim ita mouit qõnem, Vtrùm oblatio ſacrificij ſit ſpecialis actus uirtutis? Determinauit qõnem ad partem affirmatiuam, & reſpondendo ad quoddã argumentum ait, Dicendum, quòd ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; ſicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur; quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur. Hæc ille. Ergo ſecundum ſanctum Thomam ille panis in cœna oblatus, fuit uerum & proprium ſacrificium, quia circa illum Deo oblatum aliquid fuit factum de requiſitis ad proprium ſacrificium: Fuit enim benedictus, fractus, comeſtus. Sic nanq; legimus de Saluatore noſtro, Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas atque uenerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentẽ, benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meũ, quod pro uobis tradetur, traditur, aut frangitur. Hæc non ſunt obſcura. Ergo ſecundum doctrinam S. Thomæ, eius uerba & eius mentem, Saluator noſter in cœna nouiſsima obtulit uerum, atq; proprium ſacrificiũ.

Secunda ſecundæ. q6.85. art.3.
Ibid. ad tertiũ arg.

Idem mouet quæſtionem, Vtrum per ſacramentum tota pœna peccati remittatur? Reſpondet quòd quamuis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Ecce mouet quæſtionem de ſacramento, & concludit de oblatione. Quia re uera eadem ſacra Euchariſtia eſt ſacramentum, atque eſt oblatio, ſeu ſacrificium: nec ullum tempus aſsignari poteſt in uia ſancti Thomæ, in quo ſacra Euchariſtia non talis fuerit. par. 3. qõ. 79. art. 5.

Vt hæc mens ſancti Thomæ manifeſtius appareat, placet hîc ponere omnia uerba eius. Ait enim, Dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium, & ſacramentum. Sed rationem ſacrificij, habet inquantum offertur; rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, uel in his, pro quibus offertur. Si igitur conſideretur ut ſacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex ui ſacramenti, alio modo quaſi ex quadam concomitantia; ſicut & circa continentiam ſacramenti, dictum eſt. Ex ui quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum, per unionem ad CHRISTVM & ad membra eius: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſsionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis, & feruoris. Inquantum uerò eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit, de uidua quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna; tamen fit ſatisfacto- Idem auctor. Sacramẽtum Euchariſtiæ ſimul eſt ſacrificiũ & ſacramentum. Lucæ 22.

ria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Hæc ille.

Ecce duo dicit manifeſtè. Primum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum. Secundum, quòd ex ui ſacramenti ſeu inquantum eſt ſacramentum, directè habet uim nutritiuam per unionem ad CHRISTVM & ad membra eius: quia ut ſic, eſt cibus ſpiritalis animæ: unde habet nutrire ſpiritaliter. Inquantum uerò eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam pro peccatis ſeu pœnis peccatorum. Ex primo habemus, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum: nec dubium, quin ſemper tale ſit futurum. Vnde ſi ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum, & ſemper tale erit; ſimili modo uidetur dicendum ex eodem auctore, quòd ſemper tale fuit. Aut oſtendat aliquis, ubi aut quando hoc negauerit ſanctus Thomas de præterito, quod concedit de præſenti, & manifeſtè concederet de futuro. Ex ſecundo habemus, quòd hoc ſacramentum habet has duas uires; alteram nutritiuam, quam habet ut ſacramentum; alteram ſatisfactiuam, quam habet ut ſacrificium. A' quo tempore, hoc ſacramentum habuit has duas uires ſecundum ſanctum Thomam? Non poteſt eſſe dubium in uia ſancti Thomæ, quin à primo die, à prima hora, & à primo inſtanti, in quo fuit ſacramentum: quia hoc pertinet ad perfectionem huius ſacramenti, nec poteſt rationabiliter dici, quòd poſtea acquiſiuerit hoc ſacramentum nouas uires, quas in ſuo principio non habuit. Quando primùm fuit hoc ſacramentum, ſacramentum? Certum eſt, quòd in cœna nouiſsima: quod & ſanctus Thomas fatetur, de ſua inſtitutione agens. Ibi ergo, ſimul ſacrificium fuit, & has duas uires habuit.

Sacramẽtũ Eucharſtię ſemper erit ſacrificiũ.

Sacramẽtum hoc, ſẽper fuit ſacrificiũ.

par. 3. qõ. 73. art. 5. & q. 46. art. 9.

Optimè etiam S. Thomas dicit, non quòd hoc ſacramẽtum ſimul eſt ſacramentum & ſacrificium, ſed quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentũ: prius prædicans ſacrificium de eo, poſterius ſacramentum. Vt ſaltem ex ordine uerborum intelligamus nunquam hoc ſacramentum fuiſſe ſacramentũ, quin ſimul fuiſſet ſacrificium.

Octauò,

Octauò, quia ſanctus Thomas mouit quæſtionem, Vtrùm CHRISTVS ſumpſerit ſuum corpus & ſanguinem? & reſpondet, quòd ſic. Reſpondendo autem allegat & probat illud diui Hieronymi ad Lesbiam, quòd, Dominus Ieſus CHRISTVS ipſe conuiua, & conuiuium; ipſe comedens, & qui comeditur. Atque in reſponſione ad quoddam argumentum adducit illud uerbum Domini, Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum. & exponit illud ſicut Euſebius, de nouo myſterio noui teſtamenti, quod tradebat diſcipulis. Et ſic conſtat ſecundum ſanctum Thomam & Euſebium, quòd Saluator noſter illud myſterium appellauit paſcha, & per conſequens ſacrificium, uictimã, oblationem. Et uide ut per illam auctoritatem ita intellectam, probat ſanctus Thomas in eo loco ſpecialiter, Saluatorem noſtrum ſumpſiſſe ſacramentum, & corpus ſuum ac ſanguinem in illo: quamuis in eo articulo adducat etiam alias rationes, pro eadem ueritate.

par. 3. q6.81. art. 1. Hierony. Ibid. ad tertiũ arg. Lucæ 22.

Nonò, quia cùm ſanctus Thomas determinaret, quòd CHRISTVS fuerit conueniente tempore paſſus: oppoſuit ibi contra ſe contraq; hanc ueritatem ex eo, quòd paſsio CHRISTI figurabatur per immolationem agni Paſchalis, ut conſtat ex Apoſtolo dicente, Paſcha noſtrum immolatus eſt CHRISTVS. Sed agnus paſchalis immolabatur decimaquarta die ad ueſperam, ut dicitur Exod. 12. Ergo uidetur quod CHRISTVS tunc debuerit pati: (uidelicet propter conformitatem ad figuram) quod patet eſſe falſum; nam tunc paſcha cum ſuis diſcipulis celebrauit, ſecundum illud, Primo die azimorum quando paſcha immolabãt. Sequenti autem die paſſus eſt. Ergo, &c. Huic tamen oppoſitioni reſpondet ibi ſanctus Thomas, quòd immo CHRISTVS conuenienti tempore paſſus eſt, & quòd figuratum reſpondit figuræ ſuæ: quia licèt CHRISTVS ſit crucifixus ſenquenti die, ideſt, 15. Luna: attamen nocte qua agnus immolabatur, corporis ſanguiniſque ſui diſcipulis tradens myſteria celebranda, & à Iudæis tentus ac ligatus, ipſius immolationis, hoc eſt, paſſionis ſuæ ſacrauit exordium. Ecce ſecundum ſancti Thomæ expreſſam doctrinam, in qua ipſe omnino ſequitur Bedam ſuper Marcum, in cœna nouiſsima, & in hoc mirabili

par. 3. q6.46. art. 9. arg. 1. 1. Cor. 5. Exod. 12. Marc. 14. Ibid. ad primũ arg.

myſterio corporis & ſanguinis ſui, ſub ſpeciebus panis & uini, CHRISTVS ſacrauit exordium immolationis ſuæ. Ergo ibi fuit exordium immolationis, quod ibi tunc ſacrauit: aliàs, quomodo illud tunc ſacraſſet, ſi illud tunc non fuiſſet?

Confirmatur ex illo uerbo ſancti Thomæ, quo ipſe ibi fatetur, CHRISTVM ibi tradidiſſe diſcipulis myſteria celebranda. Sed myſteria celebranda illa erant ſacræ Euchariſtiæ, tam in ratione ſacrificij, quàm in ratione ſacramenti: ut conſtat apud omnes catholicos. Ergo ibi fuit uerum ſacrificium, ſicut ibi fuit uerum ſacramentum.

par. 3. qó. 79. art. 7. Decimò, quia cùm ſanctus Thomas determinaſſet, quòd ſacra Euchariſtia prodeſt ſumentibus, ut eſt ſacramentum, & ut eſt ſacrificium: prodeſt autem non ſumentibus ſolùm ut eſt ſacrificium, inquantum pro illis offertur: uolens probare iſtos duos modos proficiendi, dixit, Et utrunque modum proficiendi Dominus expreſsit, dicens, Qui pro uobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet aliis, effundetur in remiſsionem peccatorum. Ecce ut probet iſtos duos modos proficiendi in ſacra Euchariſtia noſtra, adducit illa eadem uerba, quæ Dominus dixit Apoſtolis in cœna, dans eis ſacram Euchariſtiam ſuam. Igitur ſicut noſtra Euchariſtia habet iſtos duos modos proficiendi, ut ſacramentum, & ut ſacrificium: ita illa CHRISTI, eoſdem modos proficiendi habuit. Ergo ſicut noſtra eſt ſacramentum & ſacrificium, ſic & ſua fuit ſacramentum & ſacrificium. Aliàs quomodo probat ſanctus Thomas noſtram Euchariſtiam prodeſſe aliis ut ſacrificium, per uerba quæ CHRISTVS dixit Apoſtolis, dans illis ſuam? Sacrificium igitur fuit in ultima cœna.

Aliorum etiam Theologorum minimè diſcrepantes ſententiæ referuntur, atque perpenduntur. CAP. XVIII.

Gabriel Biel. lect. 85. litera F. ALij doctores Scholaſtici ſunt etiam in eadem ſententia, ut magis ex dictis eorum apparet. Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, dicit multa de hoc diuino ſacrificio mira, & in nonnullis uidetur ſentire, quòd & Dominus

ipſe

ipſe etiam obtulerit. Fatetur, quòd ex duabus cauſis Euchariſtiæ conſecratio, & ſumptio, ſacrificium dicitur & oblatio. Vnde cum in cœna, Euchariſtiæ conſecratio & ſumptio fuerit; ſequitur quòd & tunc Euchariſtiæ ſacrificium & oblatio fuit. Allegat etiam diuum Bernardum in Sermone de ſacramento Altaris, in quo certum eſt Diuum Bernardum docuiſſe quòd Saluator noſter obtulit in cœna; ut conſtat ex uerbis eius ſupra poſitis. allegat, inquam, diuum Bernardum in eo ſermone, & non reprobat, nec ullo modo relinquit. Fatetur quòd Euchariſtia ſacroſancta, principaliter inſtituta eſt in ſacrificium & in ſacramentum ſeu cibum: & diſtinguit cum Auguſtino de ſacrificio interno, & ſacrificio externo: atque explicat effectus multos admodum huius diuini ſacrificij, de quibus poſtea nobis ſermo habendus eſt non paruus. Nec ſolùm dicit Euchariſtiam inſtitutam eſſe in ſacrificium & in ſacramentum ſeu cibum; ſed ſecundum ordinem literæ computando, prius explicat ſacrificium, poſtea ſacramentum, deinde cibum. Dicit enim in forma, Pro quo rememorandum, quòd ſacroſancta Euchariſtia principaliter inſtituta eſt in ſacrificiũ, & in ſacramentum, ſeu cibum. In quibus uerbis primo loco ponit Euchariſtiam ſacrificium, & ſecundo loco ponit Euchariſtiam ſacramentum. Et cum in cœna fuerit Euchariſtia ſacramentum, ſequitur quòd in cœna fuit Euchariſtia ſacrificium. Patet ſequela ſecundum ordinem literæ iuxta naturam prioris & poſterioris. Idem auctor in explicatione Canonis circa illud uerbum, Gratias agens, dicit multa, inter quæ ponit uerba ſequentia, Et dicit, inquit, Innocentius, quòd ex hac gratiarum actione, hoc ſacramentum, ſacrificium laudis appellatur; quia ſcilicet cum laudibus & gratiarum actione CHRISTVS ipſum inſtituit. Hæc ille. Iſtis & multis aliis fatetur idem auctor, quòd ſacra Euchariſtia, etiam in ſua prima inſtitutione, fuit ſacrificium: ex qua re comperta, iam non poteſt eſſe dubium, CHRISTVM in cœna obtuliſſe. Idem auctor Gabriel ſuper Canonem, multis modis oſtendit, quòd licèt agnus typicus immolaretur luna 14. & Dominus paſſus ſit luna 15. ueritas tamen reſpondit figuræ. Vnus modus illorum eſt ſecundum doctrinam Bedæ,

Ibidem litera D.
Ibidem Auguſt. De ciuit. Dei. lib. 10. c.4. & 5.
Ibidem lect. 36. litera B.
lect. 34. litera H.

quia ea nocte qua agnus immolabatur, & carnis ſanguinisque ſui diſcipulis ſacramenta celebranda tradidit, ſuæ immolationis ſacrauit exordium.

CAIETANVS.

Caietanus circa iſtam materiam dicit multa, & in diuerſis locis: ex quibus bene cōſideratis, in eam ſententiam profectò uenire uidetur, qua dicat Saluatorem noſtrum obtuliſſe in cœna. Primùm enim aſſerit & probat quòd Euchariſtiæ ſacramentum, ſit ſacrificium, & in Miſſa offerri ſit inſtitutum à CHRISTO, & per Apoſtolos uſitatum. Deinde alibi dicit, declarat, & probat, ex inſtitutione CHRISTI, Euchariſtiam immolari: eo uidelicet tractatu, in quo agit de Miſſæ ſacrificio, & ritu aduerſus Lutheranos, ad Clementem Pontificem Maximum. Ibi nanque agens de factis, & uerbis Saluatoris noſtri in cœna nouiſsima, dicit manifeſtè, Et aduerte prudens lector, facta in cœna Dominica, ut perpendas quàm quadret inſtitutio inſtitutioni, & factum facto, & immolatio immolationi. Cœna ſiquidem agni paſchalis inſtituta in memoriam eductionis de Aegypto, in facto conſiſtebat immolationis: ita quòd ipſa cœna erat immolatio paſchalis agni. Similiter nanque Dominus Ieſus completo ſacrificio Paſchalis agni, inſtituit nouum noſtrum Paſcha ſeipſum, ut immolatur, dicendo, Hoc eſt corpus meum quod pro uobis datur ac frangitur. Hoc facite in mei commemorationem. Ac ſi uerbo dixiſſet, quòd ſubrogationis facto dicebat, quēadmodum hactenus in memoriam exitus de Aegypto feciſtis paſcha, ita deinceps hoc facite in meæ immolationis memoriam. Vt ipſa ſubrogatione noui Paſchatis pro ueteri loqueretur, ac diceret, Paſcha illud feciſtis immolando communi cœna, & hoc facite immolando communi menſa in mei commemorationem. Ita quod ex ipſa ſubrogatione noui Paſchatis ueteri, ſignificatur, quòd dicendo, Hoc facite in mei memoriam. intelligitur de facere immolatitio modo. Nam & immolatitio modo fecerant uetus Paſcha. Hæc ille. Ecce fatetur expreſsè quòd Saluator noſter completo ſacrificio Paſchalis

In his opuſc. tom. 2. tract. 2. qui eſt de Euchari. cap. 9. Ibidem tomo. 3. tract. 10. cap. 3.

agni, inſtituit nouum noſtrum Paſcha ſeipſum, ut immolatur, dicendo, Hoc eſt corpus meum, &c. Et addit manifeſtè, quòd nouum Paſcha ibi inſtitutum eſt, & ſubrogatum loco ueteris Paſchæ, agni typici: ut completo ſacrificio agni ueteris, Dominus tranſierit ad ſacrificium agni noui.

Accedit his ex eodem Caietano, quòd ipſe docet alibi, loquens & agens ex propoſito de illis uerbis Domini, Hoc facite in meam commemorationem. Docet enim in uerbis clariſsimis, quòd illa uerba Domini habent triplicem uim. Sunt enim, inquit, inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia, ut patet, Sunt & collatiua poteſtatis ſacerdotalis ad conſecrandam Euchariſtiam: cõmuniter enim fatemur, per hæc uerba Apoſtolos eſſe ordinatos in ſacerdotes, Sunt & præceptiua, non ipſius operis, ſed ordinis ad ſuam commemorationem: quod eſt, præcipere ordinem operis in ſua memoria. Ecce tria quæ ponit, explicando uim ſeu uirtutem, aut uigorem horum uerborum diuinorum: primum quòd ſunt inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia; ſecundum quòd collatiua poteſtatis ſacerdotalis; tertium quòd ſunt præceptiua ordinis, &c. circa primum horum mihi maximè uidetur notandum, quòd auctor ille inſignis ſapienter, aduertenter, & alta conſideratione, non dixit hæc uerba eſſe iſtitutoria Euchariſtiæ: ſed dixit hæc uerba eſſe inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia. Vidit enim quòd eo tempore, quo Dominus iſta uerba dixit, iam quidem conſecrauerat, iam panem in manibus acceperat, iam benedixerat, iam fregerat, iam diſcipulis ſuis dederat, & tandem iam dixerat, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum: unde utique iam confecerat, & iam Euchariſtia ſacra, erat. Ideo illa uerba non fuerunt inſtitutoria Euchariſtiæ, quia Saluator iam conſecrauerat Euchariſtiam, non per illa uerba, ſed per alia præcedentia. Fuerunt tamen illa uerba, Hoc facite in meam commemorationem, inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia: quia niſi Dominus hæc uerba dixiſſet, nunquam amplius fuiſſet celebratio Euchariſtiæ in tota Eccleſia Chriſtiana, nec nos talem poteſtatem celebrandi haberemus. Iſta igitur uerba poteſtatem celebrandi contulerunt, & ce-

Part. 3. q6 80. art. 12.

lebrationem Euchariſtiæ in Eccleſia inſtituerunt: ſed ipſam Euchariſtiam non inſtituerunt, quia Euchariſtia iam per alia uerba erat inſtituta, per quæ & nos modò conſecramus. Iam igitur tunc erat Euchariſtia, iam erat ſacramentum Euchariſtiæ, iam erat Euchariſtiæ ſacrificium: quia iam erat Euchariſtia, & iam habebat, quicquid ex ſua prima inſtitutione habet. Quamobrem dum Caietanus docet & probat, ex inſtitutione CHRISTI Euchariſtiam immolari, aut ex inſtitutione CHRISTI Euchariſtiam ſacrificium eſſe: eo ipſo confitetur Saluatorem noſtrum immolaſſe in cœna, ſacrificaſſe, obtuliſſe. Et quia ſecundum iſtam conſiderationem, atque grauiſsimam rationem inferius dicuntur multa, modò hæc pauca de illa dixiſſe, ſufficiat. Ex illa enim ego credo firmiſsimè, omnes illos doctores dicere, Saluatorem noſtrum in cœna obtuliſſe, quotquot dicunt ipſum in cœna Euchariſtiæ ſacrificium inſtituiſſe: quia uerba illa, Hoc facite in meam commemorationem. fuerunt collatiua poteſtatis faciendi quod CHRISTVS iam fecerat, & inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia per Apoſtolos & eius in ſacerdotio ſuccceſſores, quæ Euchariſtia à CHRISTO iam conſecrata erat, ut dictum eſt, & oſtenſum. Immo nec illa uerba fuerunt dicta ad celebrationem Euchariſtiæ ſimpliciter, quaſi per ea inſtitueretur Euchariſtiam primò celebrari: quia iam CHRISTVS ipſe, Euchariſtiam per ſeipſum ſine miniſterio alicuius alterius celebrauerat. Sed potius fuerunt dicta, ad continuationem ipſius celebrationis iam factæ: ut, quod CHRISTVS per ſe fecit, deinde Apoſtoli cum ipſo continuarent.

Sent. lib. 4. diſt. 12. Petrus etiam Longobardus haud obſcurè, ſed uerbis expreſsis idem exiſtimauit. Prius enim docuit, & probauit quòd id quod gerit ſacerdos, propriè dicatur ſacrificium uel immolatio, & quòd CHRISTVS quotidiè immoletur, ut de iſtis omnibus iam uidimus eius ſententiam, & uerba. Poſterius autem agens de Epiſcopis, & Presbyteris, atque de eorum gradibus officiiſque, dicit ad propoſitum, Hoc autem officio uſus eſt CHRISTVS, cum ſeipſum in ara crucis obtulit, idem ſacerdos & hoſtia: & quando poſt cœnam panem & uinum in corpus ſuum & ſanguinem commutauit. Ibid. lib 4. diſt. 24.

Hæc ille. Ecce Saluator noſter bis uſus fuit hoc officio Preſbyteri, Sacerdotis, Epiſcopi, ſeu Pontificis, ut eſſet ſacerdos & hoſtia: in Cruce, & in cœna, ſeu poſt cœnam. De ſacerdotibus enim, presbyteris, ſeu Epiſcopis agebat Magiſter ſententiarum tunc, atque de eorum officio, ſeu ordine.

Beda ſuper Lucam circa illud, Et prima die azimorũ, &c. dicit, Quartadecima Luna, quando abiecto fermẽto agnus occidebatur ad ueſperum. quod exponens Apoſtolus, ait. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt CHRISTVS. Quamuis enim in ſequenti die, quintadecima Luna, ſit crucifixus: hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & diſcipulis ſuis corpus ſanguinemq́ue ſuum dedit, & à Iudæis tentus & ligatus, ipſius immolationis, id eſt, ſuæ paſsionis exordium ſacrauit. Hæc ille. Hic manifeſtè teſtatur & docet, quòd Saluator noſter in cœna, ſub ſpeciebus panis & uini ſacrauit exordium ſuæ immolationis. Tunc ergo fuit exordium immolationis CHRISTI, quod exordiũ ipſe CHRISTVS tunc ſacrauit. Quod enim non eſt, non ſacratur. Exordium autem immolationis certè iam eſt immolatio, iam pertinet ad illam. Sic pertinet exordium lineæ ad lineam, ſuperficiei ad ſuperficiem, corporis ad corpus, temporis ad tempus, domus ad domum, uocis ad uocem, orationis ad orationem, & ſimilia. Beda. Marci 14.

Auctor ſeu cõpilator Gloſſæ ordinariæ, ſine dubio tenuit iſtam ueritatem: quia ſuper Marcum, refert iſta uerba Bedæ, & tranſit cum illis. Vnde non ſolùm refert, ſed & admittit: & cum illis declarat textum ſacrum, quem declarandum ſuſceperat. Gloſ. ord. Mar. 14.

Ioan. à Turre cremata, in Summa de Eccleſia, dixit ad iſtam ueritatem eandem, CHRISTVS in primis uerus ſacerdos fuit, ſecundum illud, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui pridie quòd pateretur accipiens panem in manibus ſuis, ipſumq́ue diuinitatis ſuæ poteſtate in corpus ſuum conuertens, diſcipulis ſuis tradidit, dicens, Accipite, & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt corpus meum. Vbi re uera, unus & idem fuit & cibans, & cibus: & munerans, & munus: offerens, & oblatus: ut ait Hieron. & habetur in cap. Nec Moſes, De conſecra. diſt. 2. Ioan. à Turre cremata. Lib. 1. cap. 39. Pſal. 109. Matth. 26

De conſecra. diſtinct. 2. cap. Nec Moſes. Et antiquorum uerſus eſt, *Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena, Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus*. Vbi idem fuit ſacerdos, & ſacrificium. Extra De Sum. Trin. & fide catho.

Io. Ecki. tomo. 4. Hom. 27. Ioan. Eckius, uir profectò ualde doctus, & ualde religioſus in ſuis Homiliis de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, aduerſus Lutherum & alios ſimiles, ita dixit. Principiò itaq; ſi diligenter contemplemur cœnam Dominicam & quid antea poſt eam factum ſit, uidebimus, CHRISTVM ſeſe tripliciter obtuliſſe, Primùm typicè in agno Paſchali ex ritu legis: erat enim ille typus ſuæ oblationis tam in cœna, quàm in cruce conſummatæ; atque ſic typicè CHRISTVS oblatus eſt in omnibus ueteris teſtamenti ſacrificiis. Manducauit autem & CHRISTVS utique agnum Paſchalem cum diſcipulis ſuis, atque ex more Iudaico antea obtulit, ſicut per Moſen fuerat præceptum: & hoc modo finem impoſuit ſacrificio ſimul & ſacerdotio: ut quemadmodum agnus ille Paſchalis primum fuerat in lege Moſaica ſacrificium, ita eſſet & poſtremum. Deinde obtulit ſe Dominus per modum ſacramenti, quando hoc uenerabile inſtituit ſacramentum, quod ille utique in ſua benedictione obtulit: ut ſicut uetus ſacrificium pariter & ſacerdotium in hac ultima cœna finem acceperunt, ita eodem ille rurſus tempore ſacrificium no-
Lucæ 22. uum, nouumque inſtitueret ſacerdotium, dicens. Hoc fa-
Hebr. 10. cite in meam commemorationem. Eodem reſpexit & Pau. quum ait, Aufert primum, ut ſequens ſtatuat. Quod ſi ſacerdotium inſtituit nouum, nouum quoque oportet ſacrificium ordinari: quoniam tria hæc paribus paſſibus ingrediuntur, ueluti ſe mutuò comitantia, lex, ſacrificium, &
Hebr. 7. ſacerdotium: ſicut in lege dicit Apoſt. Tranſlato ſacerdotio, oportuit & tranſlationem legis fieri. Tertiò ut uictima, ſe obtulit Dominus Ieſus in ara crucis ad redemptionẽ
Eſa. 53. uniuerſi mundi: iuxta prophetiam Eſaiæ, Oblatus eſt, quoniam ipſe uoluit. Hæc ille. Ecce fatetur quòd Saluator noſter, ſe obtulit in cœna, per modum ſacramenti: ideſt, modo incruento, & ſub ſpeciebus ſacramentalibus panis ac uini. Nec ſolùm ille doctor aſſerit iſtam ueritatem in eo loco, ſed & illam probat abundè per diuinas ſcripturas & ſanctos doctores, deinde in ſequentibus.

Prænotata concluſio ſecunda ad Articulum primum, de oblatione à Seruatore noſtro ſuiipſius, ſub ſpeciebus panis & uini, facta; citra dubium, ex re facta, & præcepto eiuſdem Seruatoris confirmatur, ueraque eſſe demonſtratur. De modo quo CHRISTVS *in ſacramento Euchariſtiæ exiſtit.* CAP. XIX.

CONfirmatur iſta ueritas catholica & declaratur ex facto & præcepto Saluatoris noſtri. Ipſe enim panem ſanctis ac uenerabilibus manibus ſuis accipiens, benedicens, frangens, dansque diſcipulis ſuis, & dicens, Hoc eſt corpus meũ: uerè immolauit ſemetipſum in ipſa cœna modo incruento, antequàm ſe immolaret in cruce modo cruento. Primùm enim, quòd Saluator noſter in cœna ſe immolauit, & ſemetipſum uerè ſacrificauit, ponens corpus ſuum ſub ſpecie panis, &c. oſtenditur ex nomine & propria ratione ſacrificij, aut immolationis. Sacrificiũ nanq; licet uariis modis accipi poſsit, & accipiatur communiter: quia aliquando largius ſumitur, & nonnunquam ſtrictius, ut eſt notum: tamen ut dicit Aug. in De Ciuitate Dei, Verum ſacrificium eſt, omne opus, quod agitur, ut charitate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo ueraciter boni eſſe poſſumus. Ex quo, & ſecundum rei proprietatem S. Thomas ita definit, Sacrificium propriè dicitur aliquid factum in honorem propriè Deo debitum ad eum placandum. Sicut & S. Thomas alibi docet, quòd ſacrificium eſt oblatio facta Deo, circa quam aliquid fit, ut quòd occidatur, manducetur, bibatur, aut benedicatur. Ita enim omnes Doctores catholici accipiunt illud nomen, ſacrificium, ut per illud intelligant quod modò eſt explicatum. Hanc etiam ob cauſam, dum Saluator noſter tradidit ſemetipſum in cruce pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis, ut notauit Apoſtolus, nos conſtanti animo, & in fallibili fide credimus & dicimus, illud factum fuiſſe uerum ac proprium ſacrificium & illud, ſe tradere, fuiſſe ſe ſacrificare. Quia profectò id fecit Saluator in honorem Dei, & ad Deum placandum no-

Chriſtus immolauit ſeipſum ĩ cœna.

Auguſt. lib. 10. tom. 5.

S. Tho. par. 3. qõ. 48. art. 3.

Sacrificiũ quid eſt propriè.

Ephe. 5.

bis. Ex his autem iam liquet ſatis illud factum Domini, dum corpus ſuum proprium ſub ſpecie panis poſuit ſacramentaliter in cœna, ſumendum à fidelibus, fuiſſe uerum ſacrificium. Fecit nanque Saluator noſter illud mirabile factum, & in honorem Dei, & ut Deum nobis placaret. Ergo illud factum fuit uerum ſacrificium, iuxta definitionem ſeu deſcriptionem ſacrificij. Quòd uerò id fecerit Dominus in Dei honorem, & ut Deum placaret nobis, ita notum eſt, ut quidem non indigeat probatione. Probatur tamen, quo ad utranque partem ex ſancto Dei Euangelio. CHRISTVS enim tanquam homo, ideſt, ratione humanitatis, minor eſt Patre, ſicut ipſe ait, Quia Pater maior me eſt. Vnde & ſecundum humanitatem quidem eſt creatura: non quaſi CHRISTVS ſit creatura, ſed quia humanitas CHRISTI eſt creatura, conſtans ex anima rationali, & corpore humano. Hoc modo CHRISTVS erat ſubditus Patri, eique debebat reuerentiam, obedientiam, & honorem; ſecundum humanitatem, idque ſemper implebat, ſicut dicit, Ego non quæro gloriam meam, ſed honorifico Patrem meũ. Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Ego ex Deo proceſsi. Voluntatem eius qui miſit me, facio ſemper. Sicut miſit me Pater uiuens, & ego uiuo propter Patrem. Auguſtinus, Ad ipſum refero uitam meam. Et alia multa, quibus conſtat Saluatorem noſtrum ſemper in Patrem, & eius honorem retuliſſe omnia ut ipſum Patrem clarificaret apud homines. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et ſimilia. Similiter etiam quia Saluator eſt, & Saluator erat, unde & uocatus eſt IESVS, quia Saluaturus erat populum ſuum à peccatis eorum: quia etiam ad hoc uenerat ut quæreret, & ſaluum faceret quod perierat, totum genus humanum. Quia inſuper propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: profectò omnia ſua, actiones, paſsiones, & opera, iuxta ſuum officium Saluatoris optimi, in Deum referebat, ut illum nobis placaret, ut nos ſaluaret, ut mundum Deo reconciliaret, ut faceret utraque unum, interficiens inimicitias in ſemetipſo. nec aliud poteſt dici aut cogitari cum ueritate, aut pietate. Ergo abſque dubio debemus aſſerere, Saluatorem noſtrum in omnibus ſuis

Secunda ſecundæ. qõ.85.

Ioan.

Ioan. 6.

Matt. 18. Lucæ. 15. 19.

ſuis operationibus hæc duo intendiſſe, Dei Patris ſui honorem, ac ipſius erga nos placationem: ob quod omnia eius opera erant quædam uera ſacrificia, ſecundum definitionẽ ueri ſacrificij paulò ante adductam, & ab omnibus probatam. Meruit quidem CHRISTVS in primo inſtanti ſuæ conceptionis, nec ulterius habuit iuxta animæ meritum, quo potuiſſet proficere, ut bene notauit Auguſt. & poſt eum ſanctus Thomas: & quia nihil prohibet idem eſſe alicuius ex diuerſis cauſis, ſecundum hoc CHRISTVS gloriam immortalitatis, quam meruit in primo inſtanti ſuæ conceptionis, potuit etiam poſterioribus actibus & paſsionibus mereri, non quidem ut eſſet ſibi magis debita, ſed ut ſibi ex pluribus cauſis deberetur. Ita profectò CHRISTVS à principio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem æternam; ſed ex parte noſtra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur conſequi effectum præcedentium meritorum. Vnde ad remouendum illa impedimenta, oportuit CHRISTVM pati; & oportet ut nos Deo reconciliemur, ut remiſsionem peccatorum conſequamur. Sic Saluator noſter per ſuam paſſionem omnibus membris ſuis meruit ſalutem, qui à principio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem æternam. quibus profectò addendum eſt, quòd idem fecerit ipſe toto tempore interlabente, orando, docendo, ieiunando, aut bona alia faciendo, ſeu incommoda patiendo. Nunquid ſemper per modum ſacrificij? Nihil uideo, unde negem: & multa uideo, unde affirmem. Vt ſummus Pontifex principalis noſter, in omnibus diebus & toto tempore carnis ſuæ, id eſt, ſuæ paſsibilitatis, exerceret ſuum officium offerẽdi, & nunquam ceſſaret ab actu. Quicquid autem ſit de aliis ſuis actibus, actionibus, paſsionibus, operibus, aut factis præcedentibus iſtud, nullo modo uidetur dubitandum, quin ipſe hoc magnum, ac mirabile factum fecerit per modum ſacrificij: in honorem Dei, & ut Deum nobis placaret. Fuit enim factum mirabile & inauditum, ut proprium ſuum corpus ſub ſpeciebus panis, & proprium ſuum ſanguinem ſub ſpeciebus uini, poſuerit: ſemper indefeſſo ſtudio ac labore Dei honorem, eiuſque erga nos placationem quærens.

Ad eandem ueritatem eſt, per modum confirmationis

Chriſtus in primo inſtanti ſuę cõceptionis meruit.

Auguſt. ſup Exo.

S. Tho. par. 3. q6.34. art. 3.

Et tert. ſenten. diſt. 13. q.1.art.2. & diſt. 14 art. 3.q.6 & diſt. 18. art. 3. & 5

S. Tho. par. 3. q6.48. art. 1.

Modus quo Chriſtus eſt in ſacramento, eſt immolatitius.

irrefragabilis, modus ipſe, quo Saluator noſter ſeſe poſuit in ſanctiſsimo ſacramento: quia ſine dubio, modus, ille fuit & eſt immolatitius. Quare fuit immolatitius? Primùm, quia ipſe CHRISTVS, prout erat in ſua ſpecie & modo naturali eſſendi, uidebat, audiebat, olfaciebat, guſtabat, tangebat, ut conſtat: ſed idem ipſe prout eſt in ſacramento, nihil horum habet, ſecundum Scotum: quia ſecundum ipſum, prout ibi, non uidet, non audit, non olfacit, non guſtat, non tangit. Ergo eſt ibi modo immolatitio & ſacrifico, quia prout eſt ibi, caret iſtis actionibus uitalibus. Vnde probatur hoc? Quia CHRISTVS eſt in ſacramento ſacramentaliter, totus in toto ſacramento, & totus in qualibet parte ſacramenti, etiam minima ſenſibili: nec eſt ibi modo extenſo, ſed eſt ibi modo inextenſo: nec eſt ibi ſua ſubſtantia ad modum ſuæ quantitatis, ſed eſt ibi ſua quantitas ad modum ſubſtantiæ. Hinc fit notum per conſequens & demonſtratiuè, quòd Saluator noſter prout eſt in ſacramento, non poteſt ibi exercere aliquam operationem uitalem illarum multarum, ad quas exercendas homo debet uti organo corporali, ut tali: ſicut prout eſt ibi, non poteſt comedere, bibere, loqui, aut ambulare. Ergo ille modus quo CHRISTVS eſt in ſacramento, eſt utique modus immolatitius: quia quantum ad hoc, eſt quodammodo, modus mortificatus: id eſt, quantum ad iſtas actiones uitales. Non quòd ibi ſit mortuus, dum ipſe aliàs uiuit: ſed quia prout eſt ibi, iſtas operationes uitales exercere non poteſt. Poteſt tamen exercere ibi & exercet purè ſpiritales, ad quas nõ indigemus nec utimur organo corporali, ut intelligere, uelle, mente orare, & ſimilia: quas etiam exercet anima ſeparata, aut angelus. Vnde prout eſt ibi, eſt uerè beatus. Quando igitur CHRISTVS ſe in ſacramento poſuit, ſeipſum quodammodo uerè immolauit: quodam, inquam, modo, id eſt, incruento: quia in ſacramento non moriebatur, ſed profectò prout ibi erat, prædictis actionibus uitalibus carebat. Viuebat ibi quidem, quia & ibi anima informabat corpus: ſed anima per corpus illas prædictas actiones uitales non exercebat, propter aſsignatam cauſam. Deinde ſecundò fuit ille modus immolatitius, quia Saluator noſter

ſeſe poſuit in ſacramento, non utcunque, ſed comedendũ: unde dixit, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Si enim CHRISTVS in ſacramento mori potuiſſet, ipſa comeſtio aut manducatio eſſet cauſa mortis ſufficiens. Et ſic, qui ſe poſuit in ſacramento manducandum, ſatis iudicauit eo facto, quòd ſic faciens, ſeipſum immolauit, ac ſacrificauit. Non determinamus hîc, An manducatio, ſeu ſumptio ſacramenti in actu, ſit de integritate, uel eſſentia ſacrificij, nec'ne: quia de hac quæſtione futurus eſt ſermo inferius, dum probauerimus reſponſionem datam ad articulum duodecimum: aut etiam dum probauerimus reſponſionem datam ad articulum tertium. Determinamus autẽ hîc, quòd dum Saluator noſter poſuit ſeipſum ſub ſpecie panis, modo comeſtibili aut ſumpſibili per ſumptionem panis, modus ipſe eſt immolatitius: quia eſt non ſolùm ut ſic immoletur, ſed eſt etiam ut ſic poſsit ſumi, accipi, comedi, ac manducari. Ad idem eſt quaſi tertiò, quòd ille modus eſſendi quo CHRISTVS eſt in ſacramento ſacramentaliter, non eſt modus eſſendi, aut exiſtendi naturalis ſuo corpori, ſed eſt modus exiſtendi ei ſuper naturalis: quia corpus eius ſanctiſsimum habet quantitatem ex natura rei, qua in ſuo modo exiſtendi naturali eſt extenſum, & eſt in loco non ſacramentaliter, ſed circunſcriptiuè, ut totum reſpondeat toti loco, & pars parti. Idcirco dum in ſacramento ponitur ſacramentaliter, ubi non ſic ſe habet, quin potius totũ eſt in toto ſacramento, & totum eſt in qualibet parte ſacramenti quantumuis minima ſenſibili: quodammodo à ſuo modo exiſtendi naturali extrahitur, & alienum modum eſſendi ſibi non naturalem aſciſcit, prout ibi. Ergo ille modus quo ibi eſt, eſt ſibi abſque dubio immolatitius.

Matth. 26. Mar. 14. Lucæ 22.

Quæ dixi de actionibus cognitiuis CHRISTI de facto, prout eſt in ſacramento, poſui ſecundum doctrinam Scoti, qui circa huiuſcemodi rem duas ponit concluſiones, Prior eſt, Nulla ſenſatio poteſt primò ineſſe CHRISTO ut in Euchariſtia. Poſterior eſt, Omnis operatio ſpiritualis, puta intellectus & uoluntatis, poteſt primò ineſſe CHRISTO ut in Euchariſtia. Priorem probat, quia organum ſenſus non eſt in corpore CHRISTI ut in Euchariſtia modo quantitatiuo,

Scotus lib. 4. diſt. 9. qõ. 5.

qui tamen requiritur ad hoc ut immutetur ab obiecto. Ad hoc enim ut fiat uiſio corporalis, oportet talem eſſe approximationem organi & obiecti, ut poſsit fundari pyramis, cuius baſis ſit in obiecto, & conus in oculo. Hæc requirunt quòd utrunque, & obiectum & oculus, habeat modum quantitatiuum, ut ſit in loco circunſcriptiuè. Poſteriorē probat, quia anima CHRISTI, quia beata, intelligit ut angelus; quantum ad hoc, quòd non dependet intelligendo, à ſenſibus aut ſenſibilibus. Sicut ergo angelus alicubi exiſtens, poteſt intuitiuè intelligere obiectum ſibi proportionatum, ſibi præſens; ita & anima CHRISTI in Euchariſtia. Poteſt ergo intuitiuè uidere intellectu omnia ad Euchariſtiam, proportionatam diſtantiam habentia, ſeipſam, ſpecies ſacramentales, animam ſacerdotis, & quæcunque intelligibilia debitam præſentiam habentia. Et hoc non ſolùm de intellectione beata, ſed etiam de intellectione in proprio genere intelligendo. Guilelmus Ockam non plenè aſſentit illi primæ concluſioni Scoti, ſed talem ponit concluſionem ſequentem, Suppoſitis his, quæ fidei ſunt, non poteſt ſufficienter probari quòd CHRISTVS in ſacramento non poſsit corporali oculo obiecta uiſibilia uidere & uideri. Probat hanc concluſionem, tum quia non minùs poteſt principium habere actionem ſuam naturalem, quando ſe toto, eſt præſens alicui toti paſſo, ſeu obiecto, quàm dum per unam partem eſt præſens uni parti paſsi, & per aliam partem eſt præſens alteri parti paſsi. Eſt autem corpus CHRISTI, & omnia eius accidentia corporalia, ſe toto præſens toti hoſtiæ & cuilibet eius parti: ideo eodem modo poteſt eſſe principium actiuum & paſsiuum reſpectu uiſionis, ſicut ſi una pars eius coaſſiſteret parti hoſtiæ, & alia alteri. Nam ſi albedo in pariete tota coaſsiſteret toti parieti, & tota cuilibet parietis parti, nihil minus uideretur tunc, quàm nunc: Tum, quia poſito actiuo ſufficienti & paſsiuo, poteſt ſequi actio. Nec propoſitio hæc neganda eſt, niſi propter rationem, quæ hîc non apparet: uel propter auctoritatem ſcripturæ, quæ ſimiliter in propoſito non apparet: uel propter experientiam, quæ hîc non concludit, quia Deus ſuſpendit actionem cauſarum naturalium ne agant, ut patet ex regula præmiſſa. Sed ocu-

Ockam. Refert Gabriel Biel ſup Canonē Miſſæ. lect. 45.

lus, includendo potentiam in corpore CHRISTI, eſt ſufficiẽs agens cum obiecto, & ſufficiens paſſum receptiuum uiſionis; Ergo poteſt poni uiſio. Et ſi dicitur quòd tam organum quàm obiectum ſint circunſcriptiuè in loco; Reſpondetur quòd hoc non eſt probatum. Et ſi allegatur auctor perſpectiuæ de pyramide radioſa, dicitur quòd auctor perſpectiuæ loquitur purè naturaliter, omnibus habentibus ſe ordine naturali, nullo concurrente miraculo, & de his quæ ipſe expertus eſt. Nunquam enim uidit colorem niſi extenſum, in talibus uiſio fit per modum pyramidis, &c. ad bonum intellectum: id eſt, requiritur talis approximatio, & ſitus obiecti & organi, quòd ſi traherentur lineæ imaginariæ includentes obiectum ab obiecto ad oculum, haberent figuram pyramidis, cuius baſis eſſet in re uiſa, & conus in oculo; quod uerum eſt, quando obiectum uiſum, eſt maius oculo. Sed Deus poteſt facere colorem non extenſum, & tunc uideretur non per talem figuram. Denique etiam hæc figura poteſt hìc ſaluari, quia lineæ pyramidis terminantur in puncto indiuiſibili imaginario cõtingente in oculo: ideo non requirunt extenſionem oculi. Similiter quantum ad uiſionem paſsiuam corporis CHRISTI: licèt non ſit in loco circunſcriptiuè, eſt tamen in loco diffinitiuè: qui locus eſt extenſus, & poteſt fundare baſim pyramidis: ut ſi lineæ traherentur ab extremitatibus hoſtiæ continentis corpus CHRISTI præciſè ad oculum ſacerdotis, haberent figuram pyramidis. Et hoc ſufficit ad hoc quod uideatur. Saltem, oppoſitum probari non poteſt. Ita illi doctores docuerunt. Gabriel Biel refert iſtas opiniones ſuper Canonem Miſſæ, apud quem hæc omnia uideri poſſunt: pariter & quæ pertinent ad aliam quæſtionem, de reliquis corporalibus actionibus: An uidelicet corpus CHRISTI prout eſt in ſacramento, poſſet calefacere hoſtiam, ſi Deus eius actionem non ſuſpenderet. Ad iſtam enim & Scotus diceret, quòd nullam corporalem operationem poteſt habere corpus CHRISTI in Euchariſtia, primò ut ibi: quia actio corporalis requirit extenſionem & modum quantitatiuũ agentis & paſsi. Ockam autem diceret oppoſitum, aſſerendo corpus CHRISTI ſub hoſtia poſſe calefacere hoſtiam, ſi Deus eius actio-

Gabriel ubi ſupra

nem non ſuſpenderet: negat enim quòd requiritur modus exiſtendi quantitatiuus in agente.

Scotus ubi ſupra

Quicquid ſit de iſtis opinionibus, de quibus modò non diſputamus, probè dicit Scotus ſuſtinendo ſuam ſententiam, non ad imperfectionem CHRISTI eſſe quòd ſit in Euchariſtia iſto modo, ſed ad multitudinem perfectionum. Sententia autem Ockam qua ſentit probabile eſſe, quòd CHRISTVS in ſacramento poſsit corporali oculo obiecta uiſibilia uidere & uideri, multis, & grauiſsimis difficultatibus obſtruitur, maximè quia uidetur loqui de potentia naturali, ut eius rationes oſtendunt: aut fortiter inſinuant hanc eſſe eius mentem. Et quidem in ea parte, qua aſſerit, CHRISTVM in ſacramento poſſe corporali oculo uideri, non diſtinguens de quo oculo corporali dicat, an uidelicet de ſuo proprio tantùm, an etiam de alio, immo magis ſignificans quòd intelligat de quocunq;, nullo modo recipitur ab ſchola Chriſtiana doctorum ſcholaſticorum. Sanctus Thomas enim conſtanter ait, A' nullo autem oculo corporali corpus CHRISTI poteſt uideri, prout eſt in hoc ſacramento; & ut ſatis declarat, ita aſſerit intelligendo tam de oculo corporali non glorioſo, quàm de oculo corporali glorioſo. Excipit tamen ipſum proprium CHRISTI oculum, de quo fatetur, quòd oculus corporalis CHRISTI uidet ſeipſum ſub ſacramento exiſtentem, non tamen poteſt uidere ipſum modum eſſendi quo eſt ſub ſacramento, quia hoc pertinet ad ſolum intellectum. Durandus autem concordat cum ſancto Thoma, ſed largius: quia loquens de oculo corporali, dicit expreſsè, quòd corpus CHRISTI in hoc ſacramento non uidetur oculo, nec ſuo, nec alieno. Probat ſanctus Thomas quòd à nullo oculo corporali corpus CHRISTI poteſt uideri, prout eſt in hoc ſacramento. Primùm, quia corpus uiſibile per ſua accidentia immutat medium. Accidentia autem corporis CHRISTI ſunt in hoc ſacramento mediante ſubſtantia, ita ſcilicet quòd accidētia corporis CHRISTI non habent immediatam habitudinem neque ad hoc ſacramentum, neque ad corpora quæ ipſum circunſtant. Et ideo non poſſunt immutare medium, ut ſic ab aliquo corporali oculo uideri poſsit. Secundò, quia corpus CHRISTI

S.Tho. par. 3. qó. 76. art. 7.

Ibidem ad ſecundum arg.

Durãdus lib. 4. diſt. 10. qó 4. ubi ſupra

eſt in hoc ſacramento per modum ſubſtantiæ. Subſtantia autem inquantum huiuſmodi, non eſt uiſibilis oculo corporali: neque ſubiacet alicui ſenſui, ſed nec etiam imaginationi; ſed ſoli intellectui, cuius obiectum eſt quod quid eſt, ut dicitur in De anima. Probat Durandus ſuam ſententiam eò, quia nihil poteſt uideri ab oculo corporali, niſi ſit quantum, & coloratum, & ſic oculo repræſentatum: uiſibilia enim per ſe, ſine quibus nihil aliud uideri poteſt, ſunt communia & propria: Communia, ut quantitas: propria, ut color, uel lux. Sed corpus Christi in hoc ſacramento, aut non eſt ibi quoad quantitatem & colorem, ut dicit una opinio: aut ſi ſit ibi quoad quantitatem & colorem, non eſt ibi per modum quantitatis & coloris, ut dicit alia opinio; Ergo corpus Christi in hoc ſacramento non poteſt ab oculo corporali uideri. Hæc ille. Ecce communis doctrina doctorum Theologorum repugnat illi doctrinæ Ockam, aſſerentibus omnibus contra ipſum, quòd corpus Christi, prout eſt in ſacramento, non uidetur, nec uideri poteſt naturaliter ab aliquo corporali oculo, & maximè ab oculo corporali non glorioſo. Omnium illorum doctorum illa una ratio eſt præcipua, quia corpora non poſſunt immutare medium ad ſui uiſionem, niſi ſint quanta & colorata aut lucida, ac per modum quanti & colorati, aut lucidi exiſtant. quali modo non exiſtit Christi corpus in ſacramento, pro ut eſt ibi. In iſta enim doctrina conueniunt omnes, S. Thomas, Scotus, Durandus, & alij, præter illum unum Ockam: & ſufficit iſta doctrina communis, ut omnes fateamur, non poſſe uideri corpus Christi in ſacramento ab oculo corporali, ut dictum eſt. Sed quid de illa doctrina, qua dicitur etiam communiter, non poſſe uiſum immutari ab aliquo uiſibili, niſi mediante organo ſuo corporeo, & per modum corporis aut quanti exiſtente, in quo recipiatur uel ſpecies uiſibilis, uel ipſa uiſio? Omnes enim qui ponunt ſpecies uiſibiles multiplicari debere à uiſibili ad uiſum, ut fiat uiſio; dicunt ipſas ſpecies eſſe utique corporales, licèt eas appellent ſpiritales quodam modo, ideſt, minus materiales, quàm ſint illæ res extra, quarum ſunt ipſæ ſpecies. Sic autem cum ſint corporales, quantæ, atque extenſæ, non ſunt aptæ ex

Lib. 3. ubi ſupra

natura rei ſubiectari niſi in corporeo ſubiecto, quanto, atque extenſo, exiſtente per modum quanti, atque extenſi. Nanque cum ex natura rei ſint quantæ, certum eſt quòd non ſunt aptæ ex natura rei reduci in non quantum: reducitur autem in non quantum, omne quantum, quod recipitur in non quanto, aut inquanto exiſtente per modum non quanti. Quia omne receptum eſt in recipiente ad modum recipientis, naturaliter loquendo: non ſolùm quantum ad figuram rotundi, quadrati, quadranguli, ut aqua in uaſe: ſed etiam quantum ad iſtum modum de quo agimus quanti, aut non quanti: excepta anima rationali, quæ eſt in corpore quanto, non tamen fit ideo quanta, ſiue extenſa. Eadem eſt igitur ratio, ut corpus Christi in ſacramento non poſſit naturaliter uidere: quæ eſt, ut corpus Christi in ſacramento non poſſit naturaliter uideri. Quandoquidem ſicut, quia corpus Christi eſt in ſacramento per modum non quanti, & ideo non poteſt ſpecies uiſibiles diffundere, ut uideatur: ſic, quia corpus Christi eſt in ſacramento per modum non quanti, ideo non poteſt ſpecies uiſibiles ſuſcipere, ut uideat. Aut oſtendat aliquis, quomodo corpus exiſtens non quantum, aut per modum non quanti, dum non poſſit ea ratione ſpecies uiſibiles à ſe diffundere, aut multiplicare per medium; poſſit tamen ſimul ſpecies uiſibiles ab alio corpore diffuſas aut multiplicatas ſuſcipere in ſe, & illis informari, ac fieri in actu primo uidendi. Quidem non uidetur quòd minus requirat corpus, modum qantitatiuum, ut ſpecies uiſibiles diffundat: quàm requirat modum quantitatiuum, ut ſpecies uiſibiles ſuſcipiat. Vt ergo nunc magis apparet, doctrina communis uidetur ſtare à partem Scoti: ſi ad omnia reſpicimus, quæ reſpicere debemus. Si conſideramus naturas rerum, & illas conſulimus: ſicut illas conſiderauerunt & conſuluerunt patres doctiſsimi, qui fuerunt ante nos.

Ergo ſi aduertimus factum Christi, dum in cœna conſecrauit, uerba eius, & modum ac finem, quo ſanctiſsimum corpus ſuum in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramento poſuit: manifeſtum erit, quòd id fecerit modo immolatitio: & quòd non ſolùm conſecrauit; ſed conſecrando immolauit, & immo-

& immolando conſecrauit; ut ex dictis S. Thomæ ſupra poſitis conſtat, aut facilè conſtare poteſt. Et quicquid ſit de illa ſententia Scoti paulò ante poſita; uerum eſt tamen, quòd obtulit in cœna CHRISTVS. Nec illam opinionem recenſuimus, ut tanquam ſententiam euidentem habeamus, aut commendemus: ſed eò magis, ut per illam grauitatem rei oſtenderemus. Siue enim illa uera ſit, ſiue falſa; Scotus nihilominus ea cum grauitate, conſiderauit modum exiſtendi Saluatoris noſtri in ſacramento. Nos autem communiter exempla ponimus non ut uera ſint; ſed ut per illa ueritatem declaremus. Neque his uerbis opinionem Scoti reprobamus. Immo nobis pergratum eſſet, ut omnes cum attentione & ponderatione, eam audirent, aut legerent; auditamque aut lectam intelligerent, & examinarent, non enim eſt contemnenda.

Duo à Seruatore noſtro in cœna, oblata fuiſſe ſacrificia, quoſdam exiſtimaſſe: horum ſententiam haudquaquam eſſe improbandam. Eorum, qui primæ ad primum Articulum concluſioni concinunt, cathalogus apponitur. CAP. XX.

NOs igitur conſideratis omnibus, longè magis probamus ſeńtentiam eorum, qui dicunt Saluatorem noſtrum in cœna illa nouiſsima & ſacratiſsima, obtuliſſe duo ſacrificia, quã ſententiã illorum, qui aiunt, ipſum ibi non obtuliſſe. Quæ duo ſacrificia? Alterum panis & uini: Alterum ſui corporis & ſanguinis ſub panis & uini ſpeciebus. Dicit ne hoc aliquis doctor Catholicus? Ita quidem. Quis ille eſt, qui rem iſtam nouam aſſerere auſus fuit? Ruardus Tapper, Theologus mea ſententia ualde peritus. Ipe enim in eo opere cuius ſuperius meminimus, dicit, Si ergo CHRISTVS iuxta Melchiſedech ordinem ſacerdos fuit, oportuit eum & ſimile ſacrificium offerre, quemadmodum obtulit Melchiſedech. iuxta argumentationem, quam ex ſcripturis facit ſanctus Martyr Cyprianus: quod cum in pane ſimul & uino fuiſſe compertum ſit, oportuit & CHRISTVM in pane ſimul & uino ſacrificaſſe, in corpus & ſangui- Ruardus Tapper. art. 16. tom. 2.

R

nem ſuum ea transſmutando. Vt in ſacra Euchariſtia ſacrificia ſint, non ſolùm corpus & ſanguis Christi, ſed & panis & uinum. Hæc ille ibi, aliquantulum poſt principium ipſius articuli, in quo de his rebus agit. Circa modum autem quo hæc probat; poſſunt conſiderari uerba eius, quæ poſteà in eodem profert articulo. Dicit enim multis interpoſitis, Nec tantùm in ſacra Euchariſtia, uera eſt oblatio, ſed & uerum ſacrificium propriè dictum: quod fit, quando id quod offertur intrinſecus afficitur aliqua qualitate, uel noua diſpoſitione. Nam in ſacra Euchariſtia non ſolùm panis & uinum tanquam uerum ſacrificium tranſeunt in corpus & ſanguinem Christi: ſed & Christvs accipit ibi nouum eſſe ſacramentale, quod in cœlis non habet: & fit, ſecundum paraphraſim ſermonis beati Ambr. quod prius erat panis & uinum, corpus & ſanguis Domini. Hæc ille. Hoc igitur fecit ille doctor, ut manifeſtè confiteretur, ibi fuiſſe ſacrificia. Tantum abeſt ut negaret ibi fuiſſe ſacrificium. Magis igitur placet eius ſententia, propter rationes ſuas: quæ poſſunt etiam ſatis confirmari in nobis, ſi in memoriam reducamus ea, quæ S. Thomas notauit, ex quibus oblatio dicitur & eſt ſacrificium; ut iam paulò ante nos explicauimus ex dictis eius. Sacrificia enim propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit; ſicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur; quòd panis frangitur, & comeditur, & benedicitur. Oblatio autem ſimpliciter & directè dicitur, cùm Deo aliquid offertur, etiam ſi circa ipſum nihil fiat: ſicut dicuntur offerri denarij uel panes in altari, circa quos nihil fit. Vnde omne ſacrificium eſt oblatio, ſed non è conuerſo: quia non omnis oblatio eſt ſacrificium. Primitiæ enim oblationes ſunt, quia Deo offeruntur, & Deo offerebantur olim: non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circa eas fiebat. Ita nanque de iſtis omnibus docuit S. Thomas, diuinis ſcripturis edoctus: in quibus facile eſt conſpicere omnia, tam de ſacrificiis, quàm de oblationibus ſimpliciter. De pane autem illo, quem Dominus conſecrauit, conſtat in primis quòd fuit oblatio. Fuit enim Deo ſacratus, aut Deo dedicatus, quia de profano ſeu non ſacro fuit ſacer factus: fuit etiam Deo ſpecialiter dedi-

Secunda ſecundæ. qō. 85. art. 3. ad tertiū arg.

Deut. 29.

ubi ſtatim antea

catus, ut conſtat ex rebus factis & uerbis dictis circa ipſum: ideo non poteſt eſſe dubium, quin fuerit Deo ſpecialiter oblatus; & ſi non in altari aliquo materiali, tamen in Chriſti ſacratiſsimis manibus omni alio altari præſtantioribus. Oblatus igitur fuit ille panis Deo ſine dubio; quia Deo ſacratus, dicatus, datus, ſacer factus: in quo, aut in quibus conſiſtit ratio oblationis, ut conſtat ex diuinis ſcripturis. Fuit autem non ſecus benedictus, fuit & comeſtus: ergo eadem ratione fuit ſacrificatus. Quandoquidem illi oblato aduenit benedictio, aduenit comeſtio: immò & ad hoc fuit oblatus ac benedictus, ut comederetur. Fuit igitur ibi ſacrificium panis, qui oblatus fuit, & circa quem tot facta ſunt. Eadem ratione fuit & ſacrificium uini. De corpore autem & ſanguine Domini, conſtat non minus quòd fuit ſacrificium, quia ſub ſpeciebus panis & uini poſita fuerunt etiam cum magna mutatione ſui modi eſſendi, pro ut erant ibi, atque corpus, ut comederetur, ſanguis ut biberetur. Inſuper quia cum eſſet ſacrificium rerum ſiue ſpecierum con tinentium, pariter fuit ſacrificium rerum contentarum. Erant enim corpus & ſanguis Christi, ubi ſubſtantiæ panis & uini eſſent, ſi adeſſent.

Omnes igitur patres, qui tenuerunt primam concluſionem ſupra poſitam ad iſtum primum articulum, dicẽtes Miſſam eſſe ſacrificium, tenuerunt iſtam ſecundam concluſionem ad iſtum eundem articulum, dicentes quòd Saluator noſter obtulit ſeipſum in ſacrificium Patri ſuo in ultima cœna ſub ſpeciebus panis & uini. Omnes, inquam, patres, non ſimpliciter loquendo, ſed omnes illos intelligendo, qui de hac re locuti fuere: ita uidelicet ut nullus eorum diceret oppoſitũ huius ueritatis, & multi, aut plures eorum, aut forte omnes tenuiſſent atque ſatis expreſsiſſent iſtam ueritatem; quantum ſat erat, & prout ſeſe offerebat oportunitas loquendi de illa. Sunt autem iſti multi admodum, ut licet uidere in Cathalogo ſequenti, repetendo nomina eorum ex præcedentibus dictis eorum ad iſtam concluſionem ſecundam huius articuli primi.

CATHALOGVS Doctorum.

1 Clemens Martyr.
2 Ireneus Martyr.
3 Cyprianus Martyr.
4 Euſebius Cæſarien.
5 Ioannes Chryſoſt.
6 Leo Papa.
7 Photius.
8 Oecumenius.
9 Hieronymus.
10 Bernardus.
11 Theophilactus.
12 Rupertus Abbas.
13 Petrus Abbas Cluniacē.
14 Epiphanius.
15 Ambroſius.
16 Concilium prouinciale Senonen.ſeu patres qui in eo fuerunt.
17 Tertullianus.
18 Origenes,
19 Ioan. Driedonius.
20 Ruardus Tapper.
21 Ioan. Roffenſis Martyr.
22 Alfonſus à Caſtro.
23 Stanislaus Hoſius Epiſc. Varmien.
24 Iſidorus.
25 Rabanus.
26 Primaſius, ſeu Haymo Epiſc. Vticenſis.
27 Nicephorus in hiſtoria Eccleſiaſtica.
28 Ant. Monchiacenus, doctor Sorbonicus.
29 Auguſtinus.
30 Gregorius Nyſſenus frater Baſilij Magni.
31 Sanctus Thomas.
32 Gabriel Biel.
33 Caietanus.
34 Alexand. de Ales.
45 Magiſter ſententiarum.
46 Beda.
47 Gloſ. ordin.
48 Ioan. à Turre cremata.
49 Ioan. Eckius.

Profectò omnes prænominati Doctores ita tenent, ut conſtat ex eorum dictis ſuperius adductis. Saltem ut ego in illis poſſum intelligere, & ut mihi ſatis eſt. Et quidem fides illorum, tot atque tantorum uirorum, qui hoc luce clarius aſſerunt, ſnfficit ut iſta ueritas determinetur, & iam ſciamus quæ nobis donata ſunt à Deo, nec ſint in nobis ſchiſmata.

Oecumenij dictum de ſanguinolentæ Seruatoris noſtri hoſtiæ oblatione, enumeratis patribus neutiquam aduerſari; quin auctorem hunc incruentæ hoſtiæ oblationem aſſeruiſſe uideri. Librum Apoſtolicarum inſtitutionum, qui Clementis Martyris titulo circunfertur, non eſſe ſubdititium. CAP. XXI.

QVid de Oecumenio? Cur ipſe numeratur inter hos patres dicentes CHRISTVM obtuliſſe in cœna incruentè, cùm ipſe dicat, ubi ſupra, quòd CHRISTVS non obtulerit carentem ſanguine hoſtiam? Reſpondemus, nos etiam Oecumenium adnumeraſſe aliis patribus in ea ueritate; quia firmiter credimus ipſum ita cum illis ſenſiſſe atque docuiſſe: ad quod mouemur duabus rationibus ſeu cauſis potiſsimè: Prior eſt, quia ipſe in eodem loco fatetur, quòd Saluator noſter in myſtica cœna modum nobis ſacerdotibus ſuis tradidit huius ſacrificij incruenti, quod modo offerimus in Eccleſiâ ſua: Tradidit autem nobis ille modum, non quidem uerbis; quia quo ad celebrationem nihil aliud nobis dixit, niſi, Hoc facite in meam commemorationem. totum negotium referens ad ſuum factum: ſed tradidit nobis modum, rebus, & factis, & uerbis conſecratoriis: in quibus & quibus conſecrauit & obtulit: poſt quæ omnia, dans nobis poteſtatem illud idem faciendi, quod ipſe fecerat, idque præcipiens dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde in ſuo facto dedit nobis modum ſacrificandi. & in ſuo iſto uerbo dedit nobis eius rei poteſtatem, atque præceptum. Obtulit ergo ipſe. Si autem non obtulit, non tradidit nobis modum ſacrificandi. Tradidit uerò nobis modum ſacrificandi ſecundum eundem Oecumenium; ergo obtulit. Altera ratio ſeu cauſa eſt, quia Oecumenius in eodem loco citat Photium doctorem eo antiquiorem, qui Photius manifeſtè dicit, Quia CHRISTVS ſine ſanguine hoſtiam obtulit. deinde poſtmodùm ſuũ ipſius etiam corpus. propterea ergo aptè dictum eſt, CHRISTVM eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Oecumenius autem ita referens Photij ſententiam in eodem

loco, non impugnat illam neque abiicit, ſed pertranſit, qua re argumentum prebet manifeſtum, ſe eodem modo intelligere, ſentire, & docere. Quare igitur dixit, quòd Christvs non obtulerit carentẽ ſanguine hoſtiam? Quia loquebatur ex propoſito circa epiſtolam illam Apoſtoli ad Hebræos, in qua Apoſtolus loquebatur de paſsione & morte Christi, atque non de incruento eius ſacrificio in cœna, ſed de cruento eius ſacrificio in cruce. Quamobrem neceſſe fuit, ut Oecumenius, tanquã uerus Apoſtolij interpres, diceret, quòd Christvs non obtulerit carentem ſanguine hoſtiam: alioquin quomodo ageret interpretem uerum illius loci, quem explanabat, ſiue illius epiſtolæ quam explicandam ſuſceperat? Immò ibi multũ fecit, & ut uir prudens, atque fideli memoria præditus, in eo uidelicet, quòd poſtquam dixit Christvm obtuliſſe hoſtiam ſanguineam & cruentam, ideſt, ut declarat, ſuum ipſius corpus, in cruce pro ſalute & conſummatione ſanctificatorum, ad multorum exhaurienda peccata: ſtatim uertit ſermonem ad cœnam ultimam in qua ipſe Dominus obtulit incruento modo, & nobis modum tradidit ſacrificandi.

Si autem aliquis malè, falſæque contenderit de Oecumenio, aſſerens quòd ille potius eius ſententiæ fuerit, qua diceret Christvm nunquam obtuliſſe hoſtiam carentem ſanguine: Reſpondemus multipliciter, Primùm, Nos meliorem facimus conditionem Oecumenij, quia illum ita intelligimus, ut credamus illum docuiſſe cum doctoribus ſanctis: & ideo in explicatione illius ſumus magis audiendi, quàm ſit alius qui oppoſitum dicat, & Oecumenium doctoribus ſanctis contrarium faciat. Secundò dicimus quòd Saluator noſter in cœna etiam obtulit hoſtiam non carentem ſanguine: quia obtulit corpus ſuum uiuum, quod utique habebat ſanguinem. Obtulit tamen illud modo non ſanguineo, nec cruento, ſed incruento. Obtulit etiam in cœna panem, ſed & ibi túnc ſub pane, uel ſub ſpecie panis, corpus ſuum uiuum. habet autem corpus ſuum uiuum, utique ſanguinem. Tertiò ſi aliquis multum inſtet ex Oecumenio, dicimus, Quis eſt Oecumenius? Vnde, aut quando uenit? Quid nobis, & illi? Quis ille fuit, ut quis audeat illum opponere

tantæ patrum cateruæ, aut eius dictis, tot teſtium ſanctorum luminibus obſtruere moliatur? Non nouimus illum. Adhuc eum inter ſanctos relatum non uidimus, nec eius apud Deum intercesſionem, quemadmodum Clementis, Irenei, Cypriani, Chryſoſtomi & aliorum, quos memorauimus, in rogationibus imploramus.

Dicam etiam de Oecumenio nunc, quod olim dixit Auguſt. de Io. Chryſoſt. Archiepiſcopo Conſtantinop. contra Iulianum Pelagianū. Quæſtio erat de baptiſmo paruulorū. Dicebat Aug. debere paruulos baptizari, ut filij fierent regni: & ad iſtam ueram doctrinā adducebat Romanum Innocentium, Carthaginenſem Cyprianum, Capadocem Baſilium, Gregorium Nazianzenum: Gallum Hilarium, Mediolanēſem Ambroſium. Dicebat Iulianus Pelagianus quòd non debebant paruuli baptizari, ut filij regni fierent. & ad ſuam ſententiam fulciendā adducebat quædam diui Ioannis Chryſoſtomi uerba, quæ ipſe Iulianus malè intelligebat. Reſpondebat Auguſtinus Iuliano, dicens, Ita'ne iſta uerba ſancti Ioannis Epiſcopi audes tanquam contraria tot, taliumque ſententiis collegarum eius opponere; eumque ab illorum concordisſima ſocietate ſeiungere, & eis aduerſarium conſtituere? Abſit; abſit hoc malum de tanto uiro credere, aut dicere. Abſit inquam, ut Conſtantinopolitanus Ioannes de baptiſmate paruulorum, eorumque paterni chirographi liberatione per CHRISTUM facta, tot ac tantis coëpiſcopis ſuis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Capadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Hæc ille. Simili modo & ego dicam illi, qui contra hos patres nominatos mihi in oppoſitum obiecerit dictum Oecumenij. Dicam enim illi ita ex Oecumenio, obiicienti, Ita'ne iſta uerba Oecumenij audes tanquam contraria tot, taliumque ſententiis collegarum eius opponere: eumque ab illorum concordisſima ſocietate ſeiungere, & eis aduerſarium conſtituere? Abſit; abſit hoc malum de tanto uiro credere, aut dicere. Abſit, inquam, ut Oecumenius de oblatione CHRISTI in ultima cœna per ipſum facta, tot ac tantis Epiſcopis & ſanctis patribus, Martyribus & Confeſſoribus, maxime-

Auguſt.

Lib. 1. cap. 3. tomo. 7.

que Romanis Clementi & Leoni, Ireneo Lugdunenſi, Cypriano Carthaginenſi, Ioanni Conſtantinopolitano, Hieronymo Stridonenſi, Auguſtino Hipponenſi, Bernardo Clarauallenſi, Thomæ Aquinati, Ambroſio reſiſtat Mediolanenſi.

Dicerem etiam Illuſtriſsimi domini & reuerendiſsimi patres, quòd nihil habemus, unde timeamus aut timere debeamus quominus hanc determinemus ſanciamusque ueritatem. Nihil, inquam, omnino, cùm tot, talesque illius habeamus teſtes. Olim Iulianus Pelagianus, mitius loqués, quàm iſti hæretici noſtri temporis loquantur, petebat Concilium patrum fieri, ad ſedandas exturbandasque controuerſias. Auguſtinus autem è contra non admittebat eius petitionem, quæ aliquibus fortaſsis poterat uideri iuſta.
Lib. 1. & 2. tom. 7. Sed contra ipſum Iulianum Pelagianum allegabat Innocentium, Hieronymum, Ireneum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Baſilium, Ambroſium, & Ioannem Conſtantinopolitanum. Ad petitionem autem illius
lib. 2. ad finem. reſpondendo dicit, Iſti Epiſcopi ſunt docti, graues, ſancti, ueritatis accerrimi defenſores aduerſus garrulas uanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bono iudici tribuiſti, non potes inuenire quod ſpernas. Si epiſcopalis Synodus ex toto Orbe congregaretur, mirum ſi tales poſſent illhic facilè ſedere tot, quia nec iſti uno tempore fuerunt. Sed fideles & multos, excellentiores paucos diſpenſatores ſuos Deus per diuerſas ætates, temporum locorumque diſtantias, ſicut ei placet atque expedire iudicat, ipſe diſpenſat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus, ab Oriente & Occidente congregatos uides, non in locum quo nauigare cogantur homines; ſed in librum, qui nauigare poſsit ad homines. Hæc ille. Ita ego dicerem, ò patres ſanctiſsimi, in præſentia hîc nobiſcum habemus illos patres ſanctiſsimos & grauiſsimos, quos ante memoraui; non mortali carne obſeptos, ſed in ſuis libris: antiquos, grauiſsimos, ſanctiſsimos, eruditiſsimos, quos terra habuit, & cœlum habet. Idem nobis in ſuis libris dicunt, quod nobis hîc uiuentes dixiſſent: eadem debet eſſe fides noſtra & religio, quæ fuit illorum. Vna fides, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium. Idé igitur ſentiamus.

Audiui

Audiui ego neſcio quem; qui ut auctoritatem Clementis Martyris declinaret, dicebat, illum librum Apoſtolicarum inſtitutionum ſuperius allegatum, non eſſe uerum, ſed fictum, quaſi mentiretur ille qui eam Epitomen traduxit. Nos autem hîc coràm omnibus è contra conſtanter dicimus, illum librum non eſſe fictum, aut ſubdititium, ſed uerum: aliumque illi ſimilem reuerendæ uetuſtatis repertum fuiſſe in Sicilia literis Græcis ut apparet quaſi ante quadringentos annos ſcriptum. Extatque liber hic etiam hodie, non ſolùm Romæ, & Venetiis, ſed etiam inter hos Tridentinos ſaltus, atque Tridenti. Qui eius uidendi deſiderio tenetur, adeat Reuerendiſsimum Coëpiſcopum noſtrum, dominum Ilerdenſem, uita & eruditione præclarum; ipſe oſtendet, eſtque oſtenſurus cùm ſuam protulerit ſententiam. Porrò de auctoritate huius libri iam nonnulla diximus ſupra, & de eodem conſtat apud Epiphanium & apud Athanaſium, qui grauiſs. patres de illo haud obſcuram mentionem faciunt.

Aſſertur probatio prima tertiæ ad primum Articulum concluſionis, quæ habet quòd Saluator noſter obtulit ſe in cœna modo prædicto, non ſolùm per modum hoſtiæ pacificæ, aut holocauſti, ſed etiam per modum hoſtiæ pro peccato, in ſacrificium propitiatorium. CAP. XXII.

HAec noſtra concluſio primùm probatur ex eo quòd ſacroſancta Euchariſtia ex inſtitutione CHRISTI in cœna, ſucceſsit nobis obſeruanda in nouo Teſtamento, loco omnium ſacrificiorum externorũ, ſeu ſenſibilium quæ fuerunt antea: antea, inquam, ſiue ante legem Moſis, uel extra illam durante illa, ſiue ſub ipſa Moſis lege. Conſtat iſta ſucceſsio, ſeu ſubrogatio ſacræ Euchariſtiæ loco omnium ſacrificiorum in nouo teſtamento, tum ex ipſa rerum experientia antiquiſsima, qua certum eſt Eccleſiam Chriſtianam nunquam fuiſſe uſam alio ſacrificio ad altare Domini, præter iſtud unum ſacratiſsimum: Tum ex communi conſenſu & confeſsione omnium ſanctorum Pa-

trum aut Catholicorum, qui de hac re diſſeruerunt. Ita enim ipſi docuerunt, ſpecialiter Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Alexander quintus, & alij. Fuiſſe autem in ueteri teſtamento uaria genera ſacrificiorum, ueluti, holocauſtorum, hoſtiæ pacificæ, hoſtiæ pro peccato, iugis ſacrificij, &c. non poteſt eſſe dubium alicui: quia certè de hoc habemus diuinam ſcripturam, non in uno loco tantùm, ſed in pluribus, & manifeſtis.

In ueteri lege fuerũt multa & uaria ſacrificia. Hebr. 10. Apoſtolus enim Paulus ad Hebræos, agens de ſacrificiis ueteris legis quaſi in genere, oſtendensque eorum inſufficientiam, ſimul & abrogationem eorum per CHRISTVM Dominum noſtrum, dicit inter alia, Impoſsibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Pſal. 39. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce uenio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus uoluntatem tuam. Specialiori autem quodam modo habemus de illis ſacrificiis ueteris legis in Leuitico, ubi ſpecies ſacrificiorum explicantur omnes, & ritus omnes qui obſeruari debebant in offerendo: utpote, quòd alius ritus erat obſeruandus in alia uel alia ſpecie horum ſacrificiorum. De uariis ritibus ſeruandis in offerendo, nunc non loquimur, poſſunt uidere qui uoluerint. De uariis autem ſacrificiis ibi conſtat, quia erãt ſacrificia multa & uaria, ut holocauſtum, hoſtia pacifica, hoſtia pro peccato, iuge ſacrificium, &c. De holocauſto. De holocauſto, habetur Leuitici, primo. De hoſtia pacifica. De hoſtia pacifica, habetur Leuitici, tertio. De hoſtia pro pctõ. De hoſtia pro peccato, habetur Leuitici, quarto. De iugi ſacrificio. De iugi ſacrificio: habetur Leuitici, ſexto. Et quantum pertinet ad hoſtiam pro peccato, tribus modis de illa loquebatur lex uetus: quia primùm de ea quæ fiebat pro peccato facto per ignorantiam. Leuit. 4. Secundò de ea quæ fiebat pro peccato facto ex paſsione uel negligentia. Leuit. 4. in princ. Tertiò de ea quæ fiebat pro peccato facto per malitiam. Leuit. 5. in fine. Holocauſtum fiebat ex mera deuotione, totaliter incendebatur ad honorem diuinum, & per illud ſignificabatur ad honorem diuinum, & per illud ſignificabatur quòd anima offerentis uniebatur Deo perfectè per amorem, aut debebat totaliter reſolui ſeu

referri ad diuinum honorem, ſecundum quod ſcriptũ erat, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Hoſtia pacifica fiebat pro beneficij impetratione: iuxta quam intentionem, ſi illud beneficiũ iam erat obtentum, tale ſacrificium habebat rationem gratiarum actionis: ſi autem erat obtinendum, habebat rationem poſtulationis. Vocabatur autem hoſtia pacifica ſecundum aliquos, quia cũ Deus exhibet beneficium homini, uidetur ei pacificatus: ſimiliter & homo recipiens beneficium poſtulatum pacificatur in animo, quia completur ſuum deſiderium. Diuidebatur hoſtia pacifica in tres partes, quarum una incendebatur ad honorem diuinum, alia ſignata, ut armus dexter, & pectuſculum, & lingua cum genis, cedebat in uſum ſacerdotis: cæteræ uerò carnes, erant offerentium. Vnde hoſtia pacifica non poterat fieri ex auibus, quia aues in ſacrificiis non diuidebantur. Hoſtia uerò pro peccato, fiebat pro peccati remiſsione. Cur autem ſacrificia in ueteri lege fuerũt multa? Eius rei doctores aſsignãt rationes, Prima eſt, quia fuerunt inſtituta ad reuocandum Iudæos ab idololatria, ad quam proni erant: & ideo rationabiliter fuerunt multitudine ſacrificiorum onerati, ut eis non uacaret idolis immolare. Propter quam rationem, id eſt, ut ab idololatria abſtraherentur, fuerunt eis impoſita ſacrificia alia à ſacrificiis ido lorum, & frequenter contraria. Secunda eſt, quia fuerunt inſtituta, ut Iudæi in cultu unius Dei exercerentur, & per tale frequens exercitium habitus in eis generaretur, quo ad Dei cultum delectab liter adducerentur. Tertia eſt, quia ſacrificia ueteris legis fuerunt figura unius ueri ſacrificij nouæ legis, uidelicet CHRISTI in ara crucis immolati: illud autem quod eſt perfectum, per unum uel pauca imperfecta non poteſt ſufficienter repræſentari. Ideo ſicut perfectio diuina unica exiſtens, in perfectionibus creaturarum uariè, & multipliciter repræſentatur: ſic decens fuit, ut ſacrificium noſtrum perfectiſsimum, per multa & uaria ſacrificia in ueteri lege figuraretur: quia illa erant imperfecta, ut dicit Apoſtolus, Nihil ad perfectum adduxit lex.

Deut. 6.

Gen. 15.

Quare in ueteri lege fuerũt multa & uaria ſacrificia.

Hebr. 7.

Cùm igitur Saluator noſter in cœna illa nouiſsima & ſacratiſsima conſecrauerit, confecerit, & obtulerit diuinã no-

ſtram Euchariſtiam, & ita illam inſtituerit in ſua propria perſona, ut conſtat ex ſecunda concluſione præcedente: pariter cum ipſa diuina Euchariſtia ex ſua inſtitutione ſucceſſerit & ſubrogata nobis fuerit in teſtamẽto nouo, loco omnium ſacrificiorum quæ erant olim in teſtamento ueteri: ſit euidenter conſequens, Saluatorem noſtrum in cœna obtuliſſe non ſolùm per modum holocauſti, nec ſolùm per modum hoſtiæ pacificæ, ſed etiam & per modum hoſtiæ pro peccato. Aut Euchariſtia non ſucceſsit nobis ex ſua inſtitutione in loco omnium illorum ſacrificiorum, nec hoc habet modò. Quare ſic? Quia quicquid Euchariſtia noſtra habet excellentiæ, dignitatis, meriti, aut ualoris, ex ſua inſtitutione habet, & in illa habuit.

August. Auguſtinus in De ciuitate Dei confitetur & docet manifeſtè iſtam ſucceſsionem ac ſurrogationem ſacræ Euchariſtiæ in locũ omnium ſacrificiorum quæ antea fuerunt: qui cum prius dixiſſet Saluatorem noſtrum menſam in uino & panibus præparaſſe, ubi apparet etiam ſacerdotium Melchiſedech, dixit expreſsè, Id enim ſacrificium ſucceſsit omnibus illis ſacrificiis ueteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam uocem illam in Pſal. 39. eiuſdem mediatoris per Prophetiam loquentis agnoſcimus, Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. Quia pro illis omnibus ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Hæc ille.

Lib. 17. cap. 20.

Pſal. 39.

Gabriel Biel. lect. 85. Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ ita docet omnia alia ſacrificia præcedentia, unum ſacrificium Saluatoris noſtri in Cruce ſignificaſſe, præfiguraſſe, omnia per illud unum abrogata fuiſſe, & nobis Chriſtianis unum ſacrificium altaris in pane & uino ab ipſo Christo fuiſſe inſtitutum, quod loco omnium haberemus ſenſibile: non ſolùm memoriale ſeu repræſentatiuum magni illis unici & præfectiſsimi ſacrificij ſemel in cruce oblati, ſed idipſum & ſemper idipſum. Idem auctor adducit multa ex diuo Bernardo in ſermone de ſacramento altaris, & poſt illa multa dicit ad propoſitum. Ecce quale nobis prouidit Dominus ſacrificium, omnia ſacrificia alia excellens, habens in ſe quæ in nullo alio ſacrificio ſimul inueniuntur.

Ibid. litera F. Ibid. litera G.

Albertus in De Sacramento Altaris dicit, Eſt enim antiquitate ueneratum, auctoritate diuina ſancitum, iuramento confirmatum, & ſua perfectione perpetuatum; in ſe ſanctiſsimum, & omnium ſanctificatiuum. Veneratum antiquitate, quia ab eo qui uerus ſacerdos erat Dei ſummi ſine patre, & ſine matre, ſine genealogia, aſsimilatus Filio Dei, ut dicitur ad Hebræos, ante omnem ſacrificiorum inſtitutionem præſignatur. Auctoritate Dei ſancitum, quia ab ipſo Deo Patre collatum eſt huiuſmodi ſacrificij ſacerdotium, ut habetur ad Hebræos. CHRISTVS non ſemetipſum clarificauit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Iuramento autem confirmatum, ſicut dicitur in Pſalm. Iurauit Dominus & non pænitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum. Sua autem perfectione eſt perpetuum, quia per perfectionem huius ſacrificij, omnia ueteris legis cum lege & ſacerdotio ſunt abolita, ut iſtud in perpetuum ſtatuatur obſeruandum. Vnde ad Hebræos. HIC autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, unde & ſaluare in perpetuum poteſt: accedẽs per ſeipſum ad Deum, ſemper uiuens ad interpellandum pro nobis. Et de abolitione ueteris legis, ut illud unici ſacrificij ſtatuatur ſacerdotium, dicitur. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, (populus enim ſub ipſo legem accepit,) quid adhuc neceſſarium fuit ſecũdum ordinem Melchiſedech aliũ ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat. Et ſequitur, Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem, Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Habet & præ omnibus ſacrificiis ſanctitatem, & ſanctificationis operationem: quia eſt in omnibus ſignificatum; quia omnibus aliis refutatis uoluntati diuinæ eſt acceptiſsimum: quia ualore excelentiſsimum & quia pro omnibus hominibus redimendis ipſum ſolum eſt oblatum; tot in ſe continens gratias, quot in omnibus aliis poterant ſignificari.

Albertus lib. 2. Hebr. 7. Hebr. 5. Pſal. 109. Hebr. 7. Hebr. 7.

Ita doctores communiter aptant gratias ſacrificij in cruce peracti ad iſtud diuinum ſacrificium Euchariſtiæ: quia

re uera, una & eadem eſt hoſtia, unum ſacrificium, unaque oblatio quantum ad rem oblatam, qui eſt ipſemet Saluator

Gabriel ubi ſupra

noſter. Secundum iſtam conſiderationem Gabriel Biel ubi ſupra, agens de effectu & fructu huius ſacrificij, introducit fructus ſacrificij in cruce peracti, & refert Ioannem Gerſonem ſic dicentem ſuper Matthæum, Sacrificium ſicut & uerbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. Hoſtiam unam, unicam, mundam, plenam bonis, plenam effectibus omnibus illis, pro quibus hoſtia legalis ſolebat offerri. Si deletionem peccatorum petis; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Si gratiarum actionem, gratias agit CHRISTVS Patri. Si malorum euitationem; ſanat ipſe nos, & liberat: quia uerè languores noſtros ipſe tulit. Si bonorum conſecutionem celerem, interrogatus Latro docebit, qui tempore huius ſacrificij ueſpertini audire meruit cum iuramento, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Et ſequitur, In ſacrificio corporis & ſanguinis ſui, noua fecit omnia: Paſchalem agnum, manna deſerti, panem cœli, tauros, uitulos immolationis, hircum emiſſarium, paſſerem, turtures, & columbas, uinum & libamina, ſal in omni ſacrificio, caudam cum capite, neque mel, neque fermentum. Denique quotidianum bis ſacrificium, cum matutino ueſpertinum; Quicquid in his figuraliter ſignificatur & myſticè: per hoc unum ſacrificium impletum eſt, & nobis per ipſum confertur in ueritate. Quibus addit Gabriel, Quamuis autem ſemel oblatus eſt CHRISTVS in aperta carnis effigie, offertur nihilominus quotidie in altari uelatus in panis uiniique ſpecie. Hæc ille. Simili modo refert multa Gabriel in eodem loco, quæ omitto breuitatis cauſa: & quia cuique in promptu eſt ea apud ipſum perſpicere.

Ioan. Gerſon.

Grego. Nyſſenus ubi ſupra

Gregorius Nyſſenus in oratione ſuperius allegata dicit, Nam qui omnia pro Dominica poteſtate atque auctoritate adminiſtrat, non expectat uel ex proditione neceſsitatem, uel Iudæos graſſatorum in modum adorientes, uel Pilati iudicium iniquum, ut illorum ſcelus ac malitia, communis hominum ſalutis principium & cauſſa eſſet. Sed pro ineffabili, arcanoque, & qui ab hominibus cerni nequit, ſacrificij modo, ſua diſpoſitione & adminiſtratione præoccupat

impetum uiolentum, ac ſeſe oblationem ac uictimam offert pro nobis ſacerdos ſimul & agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hæc & multa alia ille dixit, quorũ magnam partem ſuperius poſuimus. Ecce igitur confitetur magnus ille uir, quòd Saluator noſter in cœna ſemetipſum obtulit pro nobis ſub ſpeciebus panis & uini, quaſi præoccupans impetum uiolentum Iudæorum, atque iniquum Pilati iudicium: ne illorum ſcelus & malitia, eſſent communis ſalutis hominum principium & cauſa. Ergo illud ſacrificium fuit propitiatorium.

Ruardus Tapper iuxta huius tertiæ noſtræ concluſionis ueritatem, inquit, offerri igitur poteſt ſacra Euchariſtia in omnem uſum & finem, ad quem ſacrificia offerri poſſunt, & ad quem legis ſacrificia diuinitus ſunt inſtituta. Succeſſit enim in locum omnium ueterum ſacrificiorum. Nam docet beatus Auguſtinus ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech quod CHRISTVS exhibuit hîc de corpore, & ſanguine ſuo, ſucceſsiſſe omnibus ſacrificijs ueteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam uocem illam eiuſdem mediatoris per Prophetiam loquentis, Sacrificium, inquit, & oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi. quia pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus miniſtratur. Perfectiſsimum nanque eſſe conueniebat ſacrificium, quod ſecundum ordinem Melchiſedech in lege ſua noua CHRISTVS inſtitueret. Beatiſsimus Leo, Vt umbræ, inquit, cederent corpori, antiqua obſeruatio, nouo tollitur ſacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, tanto meliorem quanto agnus immaculatus, CHRISTVS uidelicet, præſtat ſanguine agni paſchalis: & legalis feſtiuitas dum mutatur, impletur. Eſt igitur ſacra Euchariſtia holocauſtum, ſacrificium pacificum, & propitiatorium ſiue pro peccatis. Et omnium horum uſum habet, ueritatem, & uirtutem: immo in immenſum excedentem, ut etiam docet Gabriel in Canonem Miſſæ, poſt Ioannem Gerſonem. Hæc ille. Qui in iſtis ſuis ſcriptis, & concluſionem iſtam noſtram ponit, & illam teſtibus ſacris probat, adducens Auguſtinum, Leonem, Gabrielem, & Ioannem Gerſonem.

Ruardus Tapper. tomo.2. art.16.

Pſal.39.

Leo Papa Serm.6. de Paſchate.

Gabriel Gerſon.

Alexand. Epiſtola ad omnes orthod.

Alexander quintus à Beato Petro Pontifex, ſcribit, quòd crimina atque peccata oblatis his Domino ſacrificiis delentur, quodque talibus hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim, inquit, in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Christi; nec ulla oblatio, hac potior eſt. Eadem ſcribit Iulius primus. Et beatus Cyprianus dicit ſacram Euchariſtiam eſſe holocauſtum ad purgandum iniquitates. Idem quoque habet Ambroſius, idem & Chryſoſtomus.

Iulius I. Epiſt. ad Epiſcopos per Ægyptũ. Cyprian. Ambr. lib. I. officiorum. cap. 48.

Quicquid autem ſacra Euchariſtia habet talium bonorum, ex ſua inſtitutione habet: ideſt, quicquid habet efficaciter: quia quoad talia bona, totam ſuam efficaciam habet ex inſtitutione Christi. Vnde & totam habuit & tantam, quando primùm inſtituta fuit. Sancti patres etiam ſacrificium Christi in cœna, & ſacrificium Christi in cruce, non diſtinguũt per non propitiatorium, & propitiatorium: ſed per incruentum, & cruentum. Cognouerunt enim illud fuiſſe propitiatorium etiam ſuo modo, de quo infra.

Adducitur ad eandem concluſionem ſecunda probatio, ex eo quòd res figuræ reſpondeat. CAP. XXIII.

SEcundò probatur eadem cõcluſio ex eo quòd res propriæ figuræ reſpondeat, ſignatum ſigno, & imago, rei cuius eſt imago. Vt plenè concipiamus huius probationis ſeu rationis ſecundæ efficaciam, aut in concludendo energiam, operæpreciũ eſt in memoriam reducere, id, quod apud nos catholicos eſt, & apud omnes etiam debet eſſe notiſsimum; hoc eſt, Quòd dum loquimur de Euchariſtiæ ſacramento, & de Euchariſtiæ ſacrificio, non de duobus rebus realiter diſtinctis loquimur: ſed de una & eadem re, plures habente rationes, ſignificationes, acceptiones, ac nomina: & quæ ſecundum aliquam ſuam rationem, aut ſignificationem eſt ſacramentum, ſecundum aliam uerò eſt ſacrificium. Talis enim eſt noſtra ſacra Euchariſtia, quæ ſicut multas habet ſignificationes ſeu rationes, ſic multa habet nomina: atque eadem dicitur ſacrificiũ,

S.Tho. par. 3. q6.73. art. 4.

in quantum

in quantum repræſentat ipſam paſsionem Christi eademque dicitur ſacramentum, inquantum in ea traditur inuiſibilis gratia ſub uiſibili ſpecie. In hac enim ueritate nulla eſt controuerſia, ſed in ea maxima conueniunt omnes catholici tractatores, quemadmodum & in multis alijs. Et quidem repræſentatio qua Euchariſtia repræſentat paſsionem, ſi per ſe accipiatur, non eſt ſacrificium: ſed Euchariſtia, eſt ſacrificium ſecundum ipſam repræſentationem: unde ipſa repræſentatio non eſt ſacrificium, ſed eſt ratio qua Euchariſtia eſt ſacrificium. Quaſi, ſicut albedo non eſt album, ſed eſt ratio abſoluta qua album eſt album. Aut ſicut paternitas non eſt pater nec relatiuum, ſed eſt ratio reſpectiua, qua homo (uerbi gratia) eſt pater, eſt relatiuum, & refertur ad filium. Ita igitur hoc nomen, ſacrificium Euchariſtiæ, non nominat nec dicit illam ſolam repræſentationem; ſed potius nominat & dicit Euchariſtiam, cum illa repræſentatione. Ideoq; ſacrificium Euchariſtiæ, eſt ipſa Euchariſtia repræſentans paſsionem Christi. Igitur Euchariſtiæ ſacrificium, & Euchariſtiæ ſacramentum non differunt ſecundum rem: ſed ſolùm differunt ſecundum rationem, & ſecundum nomen. Ex iſta autem ueritate ſequitur alia non minus nota; ea eſt, quòd omnia quæ conſiderantur in ſacramento Euchariſtiæ, ſeu in ipſa Euchariſtia ſecundum rem, debent conſiderari in Euchariſtiæ ſacrificio ſecundum rem. Non enim eſt ibi res diuerſa, ut conſtat ex dictis. Videamus ergo quæ ſunt in ſacra Euchariſtia ſecundum rem ipſam. *Part. ead. qō. 79. art. 7.*

Conſideramus autem in Euchariſtia ſecundum rem, tria. Primum eſt, ipſæ ſpecies ſacramentales, panis & uini. Secundum eſt, res contenta ſub illis: ideſt, uerus & totus Christus. Tertium eſt, effectus eius. Omnia hæc habet ſacra noſtra Euchariſtia, & hoc, tam pro ut eſt ſacrificium, quàm pro ut eſt ſacramentum. ſacrificium, inquam, ſenſibile, & uiſibile, continens hoſtiam ſalutarem & nobis inuiſibilem, Christum: qui tradidit & tradit ſemetipſum Deo patri ſuo hoſtiam & oblationem pro nobis, in odorem ſuauitatis. Propter iſta tria conſiderata in Euchariſtia, ut eſt ſacramentum, dicit S. Thomas & eſt ueriſsimum, atque ab omnibus conceſſum, nec ullo modo dubitandum, quòd, Quantum *Quæ ſunt in Euchariſtia ſecundũ rē. Species panis, & uini. Chriſtus totus. Effectus. S. Tho. par. 3. qō. 73. art. 6.*

ad id quod eſt ſacramentum tantùm, (id eſt, ſpecies panis & uini) potiſsima figura fuit huius ſacramenti oblatio Melchiſedech; qui obtulit panem & uinum. Quantum autem ad ipſum Christvm paſſum, qui continetur in hoc ſacramento, figuræ eius fuerunt omnia ſacrificia ueteris teſtamenti; præcipuè ſacrificium expiationis, quod erat ſolenniſsimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua eius figura Manna, quod habebat in ſe omnis ſaporis ſuauitatē, ut dicitur Sapientiæ 16. Sicut & gratia huius ſacramenti, quantum ad omnia reficit mentem. Hæc ille. Igitur ex eadem ratione, propter iſta tria conſiderata in Euchariſtia, prout eſt ſacrificium, debemus concedere, quòd quantum ad ſpecies Euchariſtiæ, figura huius ſacrificij fuit oblatio Melchiſedech, qui obtulit in pane & uino: quantum ad ipſum Christvm in illis contentum, figuræ huius ſacrificij fuerūt omnia ſacrificia ueteris teſtamenti, & potiſsimè ſacrificium expiationis: quantum autem ad effectum, figura præcipua huius ſacrificij fuit Manna, propter dictam rationem. Eoſdem enim effectus habet Euchariſtia ut ſacrificiū, quos habet ut ſacramentum, licèt aliquo modo differenter: ſicut hoc inferius declarabitur magis, & probabitur.

Omnia igitur ſacrificia quæ olim fuerunt uel ſub lege, uel ante legem, pertinentia ad cultum ueri Dei, figuræ fuerunt Euchariſtiæ ſacramenti: & per conſequens omnia illa ſacrificia præcedentia, propter eandem rationem ſtatim dictam, & explicatam, fuerunt figuræ Euchariſtiæ ſacrificij. Vtrobique enim eſt non ſolùm ſimilis, ſed eadem ratio, ut conſtat ex dictis. Niſi maior ſit forte ratio, quòd ſacrificia præcedentia ſignificarent potius Euchariſtiæ ſacrificium: ſicut forte maior eſt ratio, quòd ſacramenta præcedentia ſignificarent potius Euchariſtiæ ſacramentum. Vt præcedentia ſacrificia adumbrarent hoc ſacrificium, & præcedentia ſacramenta adumbrarent hoc ſacramentum: ſaltem magis directè, ſaltem magis formaliter. Sed de hoc, non tantum eſt curandum. Id ſufficit, quòd ſatis concluditur, omnia ſacrificia ueteris legis, fuiſſe figuras Euchariſtiæ ſacrificij, ſicut omnia illa fuerunt figuræ Euchariſtiæ ſacramenti.

Ex iſta enim ueritate concludimus, per reſpondentiam

figurati ad figuram; aut rei ad umbram: quòd poſtquam in ueteri teſtamento fuerunt ſacrificia holocauſti, ſacrificia hoſtiæ pacificæ, & ſacrificia hoſtiæ pro peccato: & poſtquàm illa omnia figurabant hoc unum noſtrum ſacrificium Euchariſtiæ, eiuſque erant figuræ, & umbræ: debuit hoc noſtrum ſacrificium Euchariſtiæ ex ſua inſtitutione reſpondère ſacrificiis præteritis hoſtiæ pro peccato, ſicut ex ſua inſtitutione reſpondet ſacrificiis præteritis holocauſti, & hoſtiæ pacificæ. Reſpondere enim debet figuratum, figuris ſuis omnibus, & hoc pertinet ad ſuam perfectionem: ut quæ in ſuis figuris erant diſperſa, diuiſa, & multiplicata, in ipſo figurato ſint collecta, ſimul, & unita. Exemplum huius poſitum eſt iam ſuperius, quando de uno ſacrificio CHRISTI in cruce, quod omnia ſacrificia præcedentia figurabant, fuit ſermo.

Præſens hæc noſtra ratio, non eſt omnino eadem cum præcedente: quia illa procedebat ex ſucceſsione & ſubrogatione huius noſtri ſacrificij, in locum omnium præcedentium: iſta uerò procedit ex reſpondentia figurati ad figuram, aut certè rei ipſius ad umbram.

Statuitur probatio tertia ex agno Paſchali typico. CAP. XXIIII.

TErtiò probatur eadem tertia concluſio huius primi articuli, eodem medio: id eſt, ex eadem reſpondentia: ſed particularius, quia uidelicet præcipuè & in particulari ex Paſchali agno typico. Fuit enim Paſchalis ille agnus præcipua figura huius diuini ſacrificij: & in locũ eius, hoc noſtrum ſacroſanctum ſacrificium ſubrogatum eſt: ut eius inſtitutione conſtat. Non dubitauit S. Thomas concedere, agnum Paſchalem fuiſſe præcipuam figuram ſacramenti Euchariſtiæ: eo uidelicet quòd illud figurabat quantum ad illa tria iam dicta, quantum ad ſpecies ſacramentales, quantum ad rem contentam, quæ eſt CHRISTVS, & quantum ad effectum. Verba eius ſunt, Sed agnus Paſchalis quãtum ad hæc tria, præfigurabat hoc ſacramentum. Quantum enim ad primum, quia manducabatur cum panibus azimis, ſecundum illud Exodi, Edent carnes & azimos pa- S. Tho. par. 3. q6. 73. art. 6. Exod. 12.

nes. Quantum uerò ad ſecundum, quia immolabatur ab omni multitudine filiorũ Iſraël decimaquarta Luna: quod fuit figura paſsionis CHRISTI, qui propter innocentiam dicitur agnus. Quantum uerò ad effectum, quia per ſanguinem agni Paſchalis, protecti ſunt filij Iſraël à deuaſtante Angelo, & educti de Aegyptiaca ſeruitute. Et quantum ad hoc ponitur præcipua figura huius ſacramenti, agnus Paſchalis: quia ſecundum omnia, ipſum repræſentat. Hæc ille. Vt autem iam ſatis monſtratum fuit, eadem ratione ille idem agnus Paſchalis præcipua figura fuit huius diuini ſacrificij Euchariſtiæ: in quo ſunt etiam eadem tria, quæ in Euchariſtiæ ſacramento. Niſi quòd maior ratio eſt, aut uidetur eſſe, ut ille agnus typicus figurauerit Euchariſtiam ſecundum rationem ſacrificij, quàm ſecundum rationem ſacramenti. Erat nanque ille agnus typicus, uictima, & uerè immolabatur. De utroque enim habemus ſcripturas diuinas manifeſtas. Ita nanque ſcriptum eſt, Decima die menſis huius tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas, &c. Infra, Et ſeruabitis eum uſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitq; eum uniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad ueſperam. Infra, Ite tollentes animal per familias ueſtras, & immolate Phaſe. Infra. Et cum dixerint uobis filij ueſtri, Quæ eſt iſta religio? dicetis eis, Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſraël in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans. Ecce ille agnus typicus erat uictima, & immolabatur: habebat ritum ſpecialem, atque erat quædam ſpecialis religio Phaſe, ut in eodem capite conſtat de iſtis omnibus, immolatione, uictima, ritu, religione. Maior igitur uidetur eſſe ratio, ut ille agnus, Euchariſtiam ſacratiſsimam ſecundum rationem ſacrificij, quàm ſecundum rationem ſacramenti præfiguraret. Præcipua itaque figura huius ſacrificij fuit ille agnus: ita Saluator noſter declarauit eo facto ſuo & uerbo, quo Euchariſtiam in locum illius agni typici ſubrogauit nobis; & ita ſemper omnes Catholici doctores intellexerunt.

Exod. 12. — Ibid. — Ibid. — Ibid.

Reſpondet igitur iſtud noſtrum ſacrificium nouum, illi ſacrificio ueteri etiam in effectu: ut conſtat ex dictis, & cõ-

muni omnium patrum explicatione, & ſententia. Per ſanguinem agni paſchalis typici, protecti ſunt filij Iſraël à deuaſtante Angelo, & educti de Aegyptiaca ſeruitute: per noſtram autem Euchariſtiam, ſeu per ſanguinem noui agni, qui in ea immolabatur, protecti ſumus à principe huius mundi & tenebrarum harum, atque educti de ſeruitute peccati, redempti, & liberati, qua libertate CHRISTVS nos liberauit. Iſte uerò effectus liberationis à peccato, ſine dubio magis pertinet ad ſacrificium hoſtiæ pro peccato, quàm ad ſacrificium holocauſti, uel ad ſacrificium hoſtiæ pacificæ. An in illa prima immolatione Euchariſtiæ fuimus redempti, aut omnino à peccato liberati? Non hoc dicimus. Sed hoc tantùm hic aſſerimus, quòd per ſanguinem illius agni, qui tunc in ea immolabatur, à peccato redempti & liberati ſumus: atque quòd ſacræ Euchariſtiæ illius primæ immolatio, ex quo in ea continebatur iſte agnus uerus, qui iam tūc incipiebat immolari propitiatoriè pro nobis, & agno typico reſpondebat, debuit eſſe & uerè erat immolatio propitiatoria.

Confirmatur iſta ratio, (& forte operabitur iſta confirmatiò, maiorem præcedentis rationis & totius materiæ declarationem.) ex propria ſignificatione, ſeu repræſentatione Euchariſtiæ in illo ſacrificio cœnæ. Oſtenſum fuit in concluſione præcedente & ad illam, quòd Saluator noſter obtulit ſeipſum in cœna ſub ſpeciebus panis & uini: & quòd ita uerè ſacrificauit. Vnde de hoc iam non agimus, ſed genus aut ſpeciem illius ſacrificij declaramus, & declarationem ipſam probamus. Dicimus ergo illud ſacrificium fuiſſe etiā propitiatorium, ad modum ſacrificij hoſtiæ pro peccato: & iſtam concluſionem ex ipſius ſacrificij propria ſignificatione, tanquam ex quarto medio ita oſtendimus, Sacrificiū CHRISTI in cœna, uerè ac propriè ſignificabat ſacrificium ipſius CHRISTI iamiam futuri in cruce: Sed ſacrificium CHRISTI in cruce futurum erat tunc, & uerè fuit propitiatorium: Ergo maior ratio eſt uel ſaltem æqualis ut illud ſacrificium dicatur habuiſſe ſacrificij propitiatorij rationem, ex quo tunc uerè dicitur habuiſſe ſacrificij propitiatorij ſignificationem. His addendo, quòd illud ſacrificium cœnæ non

ſolum ſacrificium crucis ſignificabat: quinimmò & eandem hoſtiam uerè, propriè, atque realiter continebat. Ideoque propter ueram ſignificationem & realem continentiam ſacrificij propitiatorij & eiuſdem hoſtiæ, dicendum eſt abſq; dubio, fuiſſe propitiatorium. Eadem prorſus deductione oſtenditur, ſacrificium CHRISTI in cœna habuiſſe rationem cunctorum ſacrificiorum, quorum habuit rationem ſacrificium CHRISTI in cruce: quia uidelicet ſacrificium cœnæ repræſentabat ſacrificium crucis, & realiter continebat eandem hoſtiam: atque utrobique erat idem ſacerdos, eadem hoſtia, idem offerens, eadem oblatio, idem oblatus; quia ipſe uoluit. Fuit igitur ſacrificium cœnæ holocauſtum, fuit hoſtia pacifica, fuit hoſtia pro peccato, fuit iuge ſacrificiũ: quia omnia iſta ſacrificia fuit ſacrificium crucis, & in loco omnium iſtorum ſacrificium cœnæ nobis à CHRISTO Saluatore noſtro præſtitum eſt.

Iſta ratio mihi ita uidetur demonſtratio, prout ſubiecta materia patitur demonſtrationem, ut firmiter exiſtimem, neminem illam negare poſſe, niſi qui prius negauerit ſacrificium cœnæ ſacrificium crucis repræſentaſſe, aut illius hoſtiam realiter continuiſſe. Cum enim iſta duo ponimus, Alterum quòd ſacrificium cœnæ, ſacrificium crucis repræſentabat. Alterum quòd ſacrificium cœnæ, eandem hoſtiam ſacrificij crucis realiter continebat: iam non eſt, quo aliquis poſsit prædictam noſtram concluſionem negare, aut dubiam habere. Maximè addendo illis duobus quaſi tertium, quòd utrobique erat Pontifex Magnus, idem Sacerdos ſummus, CHRISTVS Dominus. Alia ſacrificia præcedentia præfigurabant quidem ſacrificium crucis, ut certum eſt, & notiſsimum: ſed nullum ſacrificiorum præcedentium ſe habuit ad ſacrificium crucis, ſicut ſe ad illud habuit cœnæ. Deficiebant nanq; alia præcedentia in multis: tum, quia non ita expreſsè illud ſignificabant, ſub uerbis Dei expreſſis in tali forma: tum, quia non ita de propinquo, ſed à longę, & ualde à remotis: ad hæc, quia non continebant realiter eandem hoſtiam: rurſus, quia non habebant eundem offerentem propinquum, immediatum immediatione uirtutis & ſuppoſiti. In multis ergo deficiebant illa alia præ-

cedentia. Nec ſacrificium cœnæ dicitur præcedens ſacrificium crucis aut præcedens paſsionem, ſicut alia: quia ut S. Thomas optimè notauit, & infrà ponitur latè, Paſsio Christi quibuſdam quaſi gradibus peracta eſt. & in tertio gradu incipiendo à primo, ponitur præſignatio mortis in cœna. Quo conſtat, illud iam inter quaſi gradus paſsionis computari: ut primus fuerit traditio Christi à Deo, Iuda, & Iudæis: ſecundus fuerit, Christi uenditio ſacerdotibus, Scribis, & Phariſæis: tertius fuerit præſignatio paſsionis Christi facta in cœna, quartus fuerit ipſa paſsio Christi deinde ſecuta. S.Tho. par. 3. q6.83. art. 5. ad tertiũ arg.

Struitur probatio quarta ex ſignificatione, comprahenſione, & ſacerdote ſacrificij in cœna nouiſsima. CAP. XXV.

AVt negabit aliquis ſacrificium cœnæ ſignificaſſe tunc ſacrificium crucis? Aut negabit aliquis ſacrificium cœnæ continuiſſe eandem hoſtiam realiter, quam ſacrificium crucis poſtea continuit? An negabit aliquis ſacrificiũ cœnæ habuiſſe eundem numero ſacerdotem offerentem immediatum, quem ſacrificium crucis habuit? Abſit. Abſit, inquam, talis negatio, à mentibus, cordibus, ac uerbis Chriſtianis. Quòd ſi illud ſignificat aut præſignabat, ut dicit S. Thomas, eandem hoſtiam continebat, eundem ſacerdotem offerentem immediatum habebat, ut re uera, ita eſt, & nullus Chriſtianus negare poteſt, confiteamur ingenuè ſacrificium cœnæ fuiſſe ſimiliter propitiatorium: maximè cum non habeamus alias, unde hoc rationabiliter negare ualeamus. Credamus eandem intentionem, ubi credimus eundem offerentem, eandem hoſtiam, & ferme idem tempus: ut ſic per conſequens intelligamus, utrobique fuiſſe ſacrificium propitiatorium.

Concluſionis eiuſdem probatio quinta, ex uerbis Seruatoris noſtri. CAP. XXVI.

Lucæ 22. QVintò probatur eadem concluſio tertia huius articuli primi, ex illo uerbo Domini, Hoc facite in meam commemorationem. Tota enim poteſtas quam nos ſacerdotes, inferiores, medij, aut ſupremi, habemus ſuper corpus CHRISTI uerum, per illud uerbum regulatur, Hoc facite in meam commemorationem. Etiam & illud uerbum nõ niſi per factum CHRISTI intelligitur, quod per illud uerbum oſtenditur & refertur. Nullum enim aliud uerbum diuinum in tota ſcriptura diuina habemus, quo nobis poteſtas ſuper corpus CHRISTI uerum tribuatur; licèt alia habeamus, ex quibus ſuper corpus CHRISTI myſticum noſtram poteſtatem nobis à Deo datam intelligamus. Poſſumus igitur facere ex corpore CHRISTI uero uel circa illud, quicquid CHRISTVS ibi in cœna fecit: quia ipſe, ſuum factum oſtendens, dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Et noſtram hanc poteſtatem in iſto uerbo traditam & per iſtud uerbum regulatam nec ad aliud trahere, nec ad aliud extendere poſſumus, quàm ad ea quæ CHRISTVS in cœna geſsit. Ergo ſi ille tunc in corpore ſuo nihil aliud fecit, niſi quod illud ſub ſpeciebus panis & uini conſecrauit, aut illud per modum hoſtiæ pacificæ, uel holocauſti obtulit: ſequitur euidenter quòd nos nihil aliud circa corpus CHRISTI uerum poſſumus facere, nec illud per modum hoſtiæ pro peccato poſſumus offerre. Offerimus autem nos corpus CHRISTI uerum in noſtris quotidianis ſacrificijs etiã per modum hoſtiæ pro peccato, & in remiſsionem peccatorum, ut gratiam obtineamus, & nobis noſtra peccata condonentur, ut omnibus eſt notum, & infrà magis declaratur: Igitur Saluator noſter in cœna etiam obtulit hoc modo.

Video quòd, & ſi Saluator noſter in cœna non obtuliſſet corpus ſuum per modum hoſtiæ pro peccato, ſed tantùm per modum hoſtiæ pacificæ, aut tantùm per modum holocauſti, aut etiam tantùm per modum utriuſque ſimul; nos tamen

poſſemus

poſſemus quodam modo offerre, etiam per modum hoſtiæ pro peccato. Ita enim dixit bonus ille uir, catholicus & doctus, Ruardus Tapper, quem ſuperius laudauimus auctorem. Præſertim quia de hac re, nulla conſtat prohibitio nobis facta. Quid enim prohibet, ut filium, quem ſub ſpeciebus panis & uini in manibus habemus, Patri ſuo æterno pro peccatis noſtris offeramus, aut offerre ualeamus? Maximè, quia legimus, Puer datus eſt nobis & filius natus eſt nobis. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Verùm ſi ita eſſet, & talis noſtra oblatio apud Deum pro peccatis noſtris condonandis meritum haberet: id non eſſet ex CHRISTI inſtitutione, ſed tantùm ex noſtra libera oblatione, & ex Dei optimi acceptatione. Quandoquidem ex CHRISTI inſtitutione nos nihil aliud poſſumus facere, niſi quod CHRISTVS in cœna fecit, & ſuo uerbo demonſtrauit, & declarauit, atque præcepit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Offerre pro peccato, eſt res differentiſsima, ſaltem eſt modus offerendi differentiſsimus ex natura rei, ab eo qui eſt offerre in holocauſtum, uel in hoſtiam pacificam: unde diſtinctum olim habebat ritum & diſtinctam definitionem aut deſcriptionem, ut conſtat ex Leuitico, ubi de omnibus his ſacrificiis & ſuis ritibus in offerendo obſeruandis, eſt ſermo copioſus & clarus. Quo ergo iure nos id mutare poſſumus, ut & ſi CHRISTVS in cœna non obtulerit corpus ſuum tanquam hoſtiam pro peccato; nos modò illum ritum mutantes, corpus eius ſacratiſsimum pro peccato offeramus? Aut ſi hoc facimus, uelimus nolimus, confiteri tenemur, hanc talem oblationem non ex CHRISTI inſtitutione, ſed ex noſtra eſſe uoluntate, aut libera oblatione; & per conſequens ut iam diximus, non haberet meritum ex inſtitutione CHRISTI, ſed aliunde. Inſtitutio enim CHRISTI eſt, ut faciamus quod ipſe fecit. Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Nos autem contendimus & firmiter credimus, quòd noſtra oblatio corporis CHRISTI pro peccato, habet meritum ex ipſa CHRISTI inſtitutione, ex qua etiam habet efficaciam: efficaciam, inquam, talem, qualem non haberet,

Ruardus tom. 2. art. 16.

Eſaiæ.

Rom. 8.

Leuit. 1. 2.3.4.5.

niſi à CHRISTO inſtituta fuiſſet. Quàobrem inſuper ad efficaciam ipſius oblationis nobis ueniendum eſt. Videbimus enim, quòd illam CHRISTI inſtitutioni debemus tribuere, ex qua & in ſuis meritis, ipſa oblatio efficaciter ualet. Communis & tota doctorum catholicorum Schola docet, ſacram Euchariſtiam tam ut ſacrificium quàm ut ſacramentum, & tam ut ſacramentum quàm ut ſacrificium, habere efficaciam in ſuo effectu ex opere operato, ſiue ex ui ſacramenti aut ſacrificij, ex inſtitutione CHRISTI & in eius meritis: de

Scotus quoli. 20. qua re Scotus primùm in ſuis quolibeticis quæſtionibus, &
Gabriel Lect. poſt ipſum Gabriel Biel ſuper Cænonem, ſpecialiter tradunt multa. Ita & ſanctus Thomas ante iſtos doctores ſcribens,
S.Tho. par. 3. qó. 73. art. 4. prius dixit ſacram Euchariſtiam eſſe ſacramentum & ſacrificium: poſtea egit de eius inſtitutione, & deinde ſuo loco tractauit de eius effectu: ut intelligamus omnes, ſicut eſt rei
Ibi. art. 5. ueritas, efficaciam huius ſacramenti & ſacrificij in efficien-
Ibi. qó. 79 do ſiue in ſuo effectu pendêre, eſſeq; à CHRISTI inſtitutione, & à ſuis meritis. Si ergo iſtud diuinum ſacrificium ex ſua inſtitutione non eſſet ſacrificium propitiatorium, aut pro peccatis: & ſi à nobis pro peccatis offeratur, iam non haberet efficaciam in illo effectu pro peccatis à CHRISTI inſtitutione, ſed ſolum à noſtra uoluntaria oblatione. Nos autem non ita dicimus, nec etiam Eccleſia Dei, quæ docet, & ſemper docuit, iſtud ſacroſanctum ſacrificium ex inſtitutione CHRISTI habere effectum contra peccata. Ob quod canit
Ambr. cum diuo Ambroſio, Offertur quotidie pro uiuis & mortuis, ut omnibus proſit, quod pro ſalute omnium eſt inſtitutum. Quemadmodum & Sanctus Thomas ex ſancto Ambroſio adduxit in officio corporis CHRISTI, de iſto ſancto ſacrificio. Ad inſtitutionem itaque uenire debemus, & in ea efficaciam quærere.

Vbi poſſumus, quærere huius ſacrificij inſtitutionem? In factis & uerbis CHRISTI, quibus ipſe hoc ſacrificium primus conſecrauit, confecit, obtulit. Ibi enim primùm, hoc ſacrificium inſtitutum eſt: dum Cœnantibus eis (CHRISTO
Matth. 26 cum duodecim) Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fre-
Mar. 14. git: deditq; diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite.
Lucæ. 22 Hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur, traditur,

aut frangitur. Iſta nãque facta & uerba Saluatoris fuerunt conſecratiua, confectiuaq; Euchariſtiæ, tam ut eſt ſacramentum, quàm ut eſt ſacrificium: unde fuerunt ſimul conſecratiua & oblatiua, atque pariter confectiua & inſtitutiua, tum ſacramenti, tum ſacrificij huiuſmodi. Verba autem illa quæ poſtea ſequuntur, Apoſtolis dicta, Hoc facite in meam commemorationem. per conſequens non fuerunt Euchariſtiæ inſtitutoria, quia illa iam erat, ſed utique fuerunt & inſtitutoria cælebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia, & collatiua poteſtatis ſacerdotalis qua Apoſtoli id poſſent facere quod CHRISTVS fecit, conſecrando atq; offerendo, aliiſq; de conſecrato atque oblato tradendo: & præceptiua ordinis in tali opere. Hoc eſt, quod ſuperius diximus, Caietanum annotaſſe: ſicut ipſe notauit, & optimè: non conſiderando iſta uerba, Hoc facite in meam commemorationem. tanquàm inſtitutoria Euchariſtiæ ſimpliciter: ſed profectò tan quàm inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia; id eſt, ut nos poſſemus celebrationem Euchariſtiæ in Eccleſia continuare, quam CHRISTVS ipſe primus initiauit, & fecit completè in ſua perſona ſemel, ſine miniſtro alio.

Caietanus. par. 3. qõ. 80. art. 12.

CHRISTVS igitur non inſtituit primùm Euchariſtiam ſolis uerbis doctrinalibus aut præceptiuis, aut neceſsitatem inducentibus; ut dicens, Facite hoc, uel hoc, iſto modo, uel iſto, & cætera. ut inſtituit baptiſmum, Sed potius ſacram Euchariſtiam, quia ipſa erat digniſsima, ipſe inſtituit, eam per ſeipſum prius efficiendo, conſecrando, offerendo, ſumendo, & aliis communicando, Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Poſtea uerò, ut ea res ſacratiſsima maneret & perpetuaretur continuò in ſua ſancta Eccleſia, tanquàm memoriale perenne ſuæ ſacratiſsimæ paſſionis, ſacramentum & ſacrificium cunctorum aliorum maximum, atque noſtrum ſolatium ſingulare: oſtendens factum ſuum quod ſtatim fecerat, dixit Apoſtolis, Hoc facite in meam commemorationem. Ideo igitur tota noſtra poteſtas ſacerdotalis, quantum reſpicit corpus CHRISTI uerum, debet regulari per hoc uerbum illius, Hoc facite in meam commemorationem. Verbum autem iſtud accipi, declarari, atque intelligi debet ſecundum factum CHRISTI,

quod factum, iſtudmet uerbum demonſtrat, per illud pronomen, Hoc. Refertur enim illud uerbum, ad factum, ut eſt notiſsimum. Tota, inquam, noſtra poteſtas ſacerdotalis huiuſmodi debet regulari per hoc uerbum, ut ſit efficax, ut efficaciam habeat in ſua actione, in ſuo actu offerendi. Etenim ſi Chriſtus in cœna non obtulit propitiatoriè, & nos offerimus propitiatoriè: iam facimus aliquid, quod CHRISTVS non fecit, trahendo oblationem & hoſtiam ſuam ad aliud genus ſacrificij. Si autem ita facimus, iam hoc non facimus in uirtute illius uerbi, Hoc facite in meam commemorationem. quia illud uerbum ſolùm dat nobis poteſtatem faciendi, quod fecit CHRISTVS in cœna. Si uero aliũde hoc facimus, de diuina uidelicet bonitate ac benignitate confiſi, credentes quòd boni conſulet: iam non habemus unde tali noſtro facto aut miniſterio, efficaciam ex opere operato, ſiue ex ui ſacramenti aut ſacrificij promittamus. Hæc enim talis efficacia, in ipſa CHRISTI inſtitutione fundatur: ueluti dum facimus quod fecit ipſe, ut ex dictis & per ſe conſtat. Alia uerba Saluatoris noſtri declarantur per ſeipſa, aut per alia uerba eius, aut per expoſitiones ſanctorum, & cætera. Verbum autem iſtud maximè declaratur per factum Domini, quod oſtendit, & ad quod refertur.

Sit itaque certiſsimum apud omnes animos Chriſtianos, noſtram poteſtatem ſacerdotalem huiuſmodi datã eſſe, declarari, & regulari per hoc uerbum, Hoc facite in meam commemorationem. Sit certiſsimum apud eos, hoc uerbum referri ad factum Saluatoris, quod demonſtrat. Sit certiſsimum tertiò apud eoſdem, ſacrificium propitiatorium, eſſe alterius generis uel ſaltem alterius ſpeciei ab aliis ſacrificiis, quæ tantùm ſunt uel holocauſtum, uel hoſtia pacifica: quia ſacrificium propitiatorium, eſt hoſtia pro peccato, ut ſupponimus tanquam notum. Ex iſtis tribus, quæ profectò, quantum ego capio, apud omnes debent eſſe certiſsima, nedum certa: concluditur ineuitabiliter alterum horum duorum, id eſt, uel quòd CHRISTVS in cœna obtulit propitiatoriè: uel quòd aliàs, nos offerentes propitiatoriè, non habemus efficaciam in ipſo opere ex CHRISTI inſtitutione. A' toto genere, potentia non excedit ſuum obiectum, nec

exceditur ab illo. Noſtra potentia offerendi regularis & efficax terminatur ad factum Christi in cœna, tanquam ad ſuum obiectum proprium & adæquatum: propter illud uerbum Domini. Hoc facite in meam commemorationem. Ex quo habemus quòd tota noſtra talis poteſtas ordinaria, regularis, & efficax terminatur ad Christi factum in eo uerbo oſtenſum. Igitur non poteſt illud factum excedere: quia aliàs, iam ſuum obiectum excederet: quod fieri nequit. Ita intelligere debemus noſtram poteſtatem circa corpus Christi, non ut abſolutam ad quemcumque effectum uel actum, quem nos uoluerimus: ſed ut limitatam atque determinatam ad id quod Chriſtus fecit tunc, ſiue illud ſit unum, ſiue multiplex: id eſt, ſiue ſit unum ſimpliciter, ſiue ſint plura. Et ingenuè fateor, ego non uideo quomodo ex illo uerbo Saluatoris noſtri nos poſsimus plus facere de corpore ſuo uero, quàm ipſe fecit in cœna. Faceremus autem plus de ſuo corpore, quàm ipſe in cœna fecit de illo, ſi ipſe ſolùm obtulit ſeipſum tanquam holocauſtum, uel hoſtiam pacificam: & nos offerimus ipſum tanquam holocauſtum, & hoſtiam pacificam, & hoſtiam pro peccato.

Practica igitur ſanctæ matris Eccleſiæ declarat ſatis iſtam ueritatem, quia ipſa ab antiquiſsimis temporibus utitur, fruitur, & gaudet hoc diuino ſacrificio tanquam holocauſto, tanquam hoſtia pacifica, & tanquam hoſtia pro peccato: non tamen putans ſe plus facere in hoc, quàm Christvs in cœna fecerit. Extant præclara teſtimonia huius noſtræ aſſertionis. Nam recognoſcens ibi eſſe holocauſtum, Clemens Papa ſtatuit, quòd tanta holocauſta in altari offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Recognoſcens ibi eſſe hoſtiam pacificam, dicit Eccleſia in Canone Miſſæ, Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, uel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis. Recognoſcens ibi eſſe hoſtiam pro peccato, dicit etiam in Canone ſacro, Pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, &c. Vnde offert pro uiuis, & pro defunctis, ut notum eſt. Non tamen putat Eccleſia ſe plus facere in hoc, quàm Christvs in cœna fecit, nec

De conſecra. diſtinct. 2.

aliò tendere, nec aliud ſacrificium offerre, nec alio modo: ſed potius intendit ſe ſe CHRISTO in omnibus conformare, ut ſanctiſsima ſponſa ſanctiſsimo ſponſo, ut amica amico, ut diſcipula magiſtro, ut ſerua domino. De materia huius quintæ probationis hæc modo dicta ſint. Sed quia & eſt & grauis & latiſsima, de illa uel ex illa in ſequenti probatione dicentur non nulla: quæ etiam non minus adnotare; atque obſeruare oportet. Ad alia igitur iam pergamus.

Eadem concluſio ſextò probatur ex ritu, factis & uerbis quibus offerimus: ad hæc, quia ſacrificium in perſona CHRISTI *conficimus, & Seruator noſter nunc offerens, haudquaquam mutat intentionem qua olim obtulit.* CAP. XXVII.

SExtò probatur eadem concluſio ex ritu, factis, & uerbis, quibus CHRISTVS in cœna obtulit, & nos modò offerimus. Nos quantum ad eſſentialia Miſſæ ſpectat, offerimus eodem ritu, eiſdem factis, eiſdẽ uerbis, quibus ipſe CHRISTVS in cœna obtulit, ut conſtat omnibus: Ergo ibi & hìc eſt idem ſacrificium, & idem genus offerendi. Igitur ſi nos offerimus propitiatoriè, & CHRISTVS obtulit propitiatoriè. Antecedens eſt notum ex illis in quibus CHRISTVS obtulit, & ex illis in quibus quoad eſſentiam nos modò offerimus. De conſequentia uerò minimè poteſt eſſe dubium, apud ſapientes. Quomodo non erit idem ſacrificium & idem genus offerendi, ubi ſunt eadem geſta, eadem uerba, eadẽ hoſtia, æædem cæremoniæ?

Confirmatur, quia nos conſecramus & offerimus, non ſolùm faciendo ac dicendo, quæ CHRISTVS fecit & dixit; ſed etiam loquendo in ſua perſona, non in noſtra. Antecedentia enim & ſubſequentia dicimus in perſona noſtra, eſſentialia uerò conſecrationis & oblationis dicimus non in noſtra, ſed in ſua. Principalia nanque & ad quæ magis attendimus, ſunt, ex quo ſacerdotes dicimus aut incipimus dicere in Miſſa, Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac uenerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gra-

tias agens benedixit, fregit deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum. Similiter & de ſanguine, ut habetur in Miſſali, Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas, ac uenerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens benedixit, deditque diſcipulis ſuis, dicens, Accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, &c. Iſta ſunt eſſentialia, & omnia alia quæ in Miſſa ponuntur aut uidentur facere ad oblationem, certè ad hoc tempus referuntur; quia non poſſunt omnia eodem tempore proferri, ideo ſucceſsiuè dicuntur. Iſta enim pars canonis Miſſæ eſt principalis, in qua præmiſsis orationibus ad Patrem clementiſsimum pro appoſitorum munerum benedictione, ſanctorum commemoratione, pro benedictionis impetratione, addita deprecatione pro oblationis acceptione, procedimus ſacerdotes ad ſacrificij perfectionem, ſcilicet materiæ idoneæ & ſanctificatæ conſecrationem, qua panis uinique ſubſtantiæ in uerum corpus CHRISTI & ſanguinem ſubſtantialiter conuertuntur. Sed inter iſta, ea magis & propriè eſſentialia ſunt, uidelicet, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. Vnde alia uerba refert ſacerdos, ſicut ea narrat Euangeliſta: iſta autem uerba ſacerdos nec refert, nec profert in perſona ſua, ſed dicit in perſona CHRISTI, tanquam ipſe CHRISTVS in ipſo & per ipſum loquatur. Et tunc fit conſecratio, atque eſſentialis oblatio. Ideo dicit Paſcaſius in quodam tractatu de Sacramento, Sic & hoc ſacramentum non meritis, non uerbis humanis, id eſt, in perſona hominis prolatis, ſed proculdubio diuinis efficitur & conſecratur mandatis. Idcirco æſtimandum non eſt, quòd alteris uerbis, quòd ullis meritis, quòd poteſtate alicuius iſta fiant, ſed uerbo utique Creatoris. Et poſt modicum, Propterea ueniendum eſt ad uerba CHRISTI, & credendum quòd eiſdem uerbis id conficiatur. Reliqua omnia quæ ſacerdos dicit, aut clerus canit, nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones ſunt, aut certè obſecrationes, fidelium poſtulationes, & petitiones. Verba autem CHRISTI ſicut diuina ſunt, ita & efficacia, ut hoc ſcilicet proueniat, quod iubet. Ad

Gabriel ſup Can. Lect. 34. S. Tho. partic. 3. quæſt. 78. art. 1.

Paſcaſius.

Ambroſi. habetur. De cõſec. diſt. 2. De cõſec. diſt. 2. c. Re Vã. prope finem. Idẽ cap. In calice. Auguſt. De cõſec. diſt. 2. c. Vtrum ſub figura Gabriel lect. 38. Magiſter. Lib. 4. Diſt. 8.

idẽ eſt manifeſtè quòd teſtatur Ambroſius in libro De Sacramentis, dicens, Panis eſt in altari, Conſecratio autem quibus uerbis, & cuius ſermonibus eſt? Domini Ieſu. Et ſequitur, Vbi autem ſacrificium conficitur, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed utitur ſermonibus Christi. Idem Ambroſius in eodem libro. idem etiam & libro, 3. de ſacramentis. Auguſtinus etiam, Credendum eſt, inquit, quòd in uerbis Christi ſacramenta conficiantur. Cuius enim potentia creantur prius, eius utique uerbo ad melius procreantur. Reliqua omnia quæ ſacerdos dicit, aut clerus chori canit, nihil aliud quàm laudes aut gratiarum actiones ſunt: aut certè obſecrationes & fidelium petitiones. Vnde & ſacerdos dicit prius, Euangeliſtæ uerba aſſumens, Qui pridie quàm pateretur. In hoc ergo creatur illud corpus. Hæc Auguſtinus. Gabriel etiam ſuper canonem Miſſæ, dicit agens de hoc ſacramento & ſacrificio, atque de illius confectione, Hoc autem ſacramentum tanquam res permanens non conſiſtit in uſu, licet ordinetur ad uſum: ideo eius forma non debet exprimere aliquem actum, ſed exiſtentiam rei permanentis. Nec debent proferri in perſona miniſtri, ſed ex perſona ipſius Christi loquentis; ut detur intelligi, quod miniſter in perfectione huius ſacramenti nihil agit, niſi quòd profert uerba Christi. Ad idem eſt doctrina Magiſtri ſententiarum, & totius ſcholæ Chriſtianæ ſimul. Cum proferuntur hæc uerba, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. conuerſio fit panis & uini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Christi. Reliqua ad laudem Dei dicuntur. Itaque ſine dubio in iſtis uerbis fit conſecratio, & in iſtis uerbis fit eſſentialis oblatio. Hæc autẽ uerba nos ſacerdotis proferimus non in perſona noſtra, ſed in perſona Christi.

Cum igitur nos ſacerdotes offeramus eſſentialiter eiſdem factis, uerbis, & ritu, quibus Christvs: ĩmo & in perſona Christi loquẽtes: ſequitur quòd nos eſſentialiter, & ſecundum inſtitutionem ſuam; eodem modo offerimus, quo ipſe obtulit in cœna ſolus; & nunc per nos offert.

Poteſt confirmari ſecundò iſta probatio ex ſtatim dictis, explicatius: cõſiderãdo quòd Christvs eſt qui modò principaliter offert, & credendo de illo quòd nunc offert eodem

modo

modo, quo obtulit in cœna. Nihil enim eſt quo neceſſariò cogamur dicere, Chriſtum mutare intentionem, & ſola intentione mutata iã nunc alio modo offerre: quinimmo ſunt multa, quibus credere debeamus, Chriſtum Dominum eãdem nunc intentionem habere, & eadem intentione per nos modò offerre idem ſacrificium. Stante autem eadem intentione Chriſti modò offerentis, cùm ipſe modò offerat eandem hoſtiam, ſeipſum, & eodem ritu quo in cœna: ſi ipſe in cœna non obtulit propitiatoriè, nec modo offert propitiatoriè. Si autem ipſe non offert propitiatoriè, quomodo nos offerimus propitiatoriè? Quomodo extendimus intentionem noſtram ſuper intentionem ſuam; ut ipſam eandem hoſtiam ſeipſum, quam ipſe per nos ſecundum ſuam intentionem propriam offert non propitiatoriè, nos offeramus propitiatoriè. Vnde nobis hæc facultas? Si quiſpiam dixerit, quòd CHRISTVS dedit nobis iſtam facultatem ſuper ſuum corpus uerum, ut illud offerentes poſsimus intentionem noſtram ſuper intentionem ſuam extendere, & facere hoc ſacrificium propitiatorium, eo tempore quo ipſe principaliter offert & non facit ipſum ſacrificium propitiatorium, quantum eſt ex parte ſua: qui ita dixerit, ipſe uideat quàm uerè dicat, aut quanta cum ratione loquatur. Nos enim iam mõſtrauimus non habere nos ſacerdotes poteſtatem faciendi circa corpus CHRISTI uerum aut de illo; niſi quod circa illud aut de illo fecit CHRISTVS in cœna illa nouiſsima, de qua iam multa diximus. Obtulit igitur CHRISTVS in cœna, offert ipſe modò in nobis offerentibus, & nos offerimus in perſona ipſius. Offert autem in nobis non à caſu, nec à fortuna; ſed à propoſito: ut agens liberum, ſciens, uolens, & aliquid intendens. Ad intentionem illius reſpicamus, & illam comparemus cum intentione quam in cœna habuit, ibi offerens.

Ad maiorem elucidationem huius rei fortaſsis faciet non parum, ſi ita conſideremus negocium hoc diuinum, ut res ſe habet. Alia ſacramenta celebramus nos ſacerdotes & conficimus, quidem ut miniſtri CHRISTI, qui in omnibus huiuſmodi eſt principale agens: ſed uerba quibus conficimus, proferimus in perſona noſtra; & ita dicimus alia ſa-

cramenta conficientes, Ego te baptizo, Ego te abſoluo. Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis. Vel dicimus uerba miniſtri imperantis, ut in ſacramento ordinis, Accipe, ſeu, Accipite poteſtatem. Vel miniſtri deprecantis, ſicut in ſacramento extremæ unctionis, Per iſtam unctionem & ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi, &c. Hoc autem ſacramentum & ſacrificium altiſsimum, præſtantiſsimum, & præ cæteris magis ſanctũ, utpote quod continet totum CHRISTVM fontem & originem totius ſanctitatis, uirtutis & gratiæ, celebramus atque conficimus, quidem etiam ut miniſtri CHRISTI: ſed longè alio modo nos habentes. Quandoquidem ipſa uerba conſecrationis, quibus hoc ſacramentum & ſacrificium conficimus, non in perſona noſtra, ſed in perſona CHRISTI proferimus. Vnde illud uerbum, Corpus meum. prout dicitur in conſecratione, non ipſius ſacerdotis, ſed CHRISTI corpus ſignificat.

Gabriel. lect. 38. litera G. De his bene Gabriel Biel ſuper canonem Miſſæ. ubi explicat quomodo ſacerdos profert uerba conſecrationis non in perſona ſui, ſed CHRISTI. Non hoc dicimus, quaſi negemus, ſacerdotem offerentem hoc diuinum ſacrificium poſſe eius fructum & uirtutem alicui uel aliquibus ſpecialiter applicare: quia immo poteſt, ut conſtat ex ſuo officio ſacerdotali, & ex gradu quem habet in Eccleſia Dei. Licet enim ſacerdos miniſter ſit Eccleſiæ & organum, per quod Deus preces Eccleſiæ admittit, & gratiarum dona his pro quibus Eccleſia per ſacerdotem orat, influit: quia tamen Deo dedicatus eſt, ſanctificatus, & conſecratus, ac diuino cultui ſpecialiter mancipatus, ſupremumque gradum in Eccleſiaſtica politia tenet circa corpus CHRISTI uerum ratione ordinis ſacerdotalis: ideo ultra hoc, quòd eius eſt ſacrificium offerre, etiam ipſius eſt uirtutem ſacrificij & oblationis determinare, ſeu applicare, ut illis uel illis indigentibus, præmium reddendum pro huiuſmodi Eccleſiæ ſacrificio conferatur. De his Guil. in tract. de Sacramentis, Scotus in ſuis quolibetalibus quæſtionibus. Et poſt hos Gabriel Biel latiſsimè ſuper canonem Miſſæ. Non igitur ideo hoc dicimus. Dicimus tamen hoc, ut oſtendamus primùm, quàm differenter ſe habeat ſacerdos in celebrando ſeu conficiendo hoc

Guil. in parte de ſacramento ordinis. Scotus quoli. 20. Gabriel. lect. 26.

ſacrificium, & in applicando eius uirtutem. Deinde dicimus hoc, ut oſtendamus ſecundò, quòd licèt ſacerdos ut miniſter Eccleſiæ & Christi, poſsit uirtutem huius ſacrificij applicare; non tamen poteſt huic ſacrificio uirtutem præſtare, nec poteſt illud ab alio genere ſacrificiorũ in quo fuit inſtitutum ad aliud, cum ſua debita & ordinata efficacia trahere. Quia hoc ſacrificium non ex ſacerdotis applicatione, ſed ex Christi inſtitutione habet efficaciam. Immo applicatio huius ſacrificij, quam cum efficacia facit ſacerdos, oſtendit manifeſtè, hoc ſacrificium ex ſua inſtitutione tale eſſe & tale tunc fuiſſe, quale ſacerdotes poſtea poſſemus applicare efficaciter etiam ad particulares perſonas in remiſsione ſuorum peccatorum & pro aliis ſuis neceſſitatibus, abſque eo quòd ipſum ſacrificium à ſua primæua aut primitiua inſtitutione ad aliud genus ſacrifici; diſtrahamus. Fuit igitur tunc propitiatorium, quale nunc eſt, dum aliquibus in remiſsionem peccatorum applicatur.

Aſſertur eiuſdem concluſionis probatio ſeptima, ex comparatione collationeq; Miſſæ Seruatoris ad noſtram. CAP. XXVIII.

Septimò probatur eadem concluſio tertia, per comparationem illius primæ Miſſæ Christi ad Miſſam noſtram, atque per comparationem Miſſæ noſtræ ad illam primam Miſſam ſuam. Horret enim meus animus (ita etiam exiſtimo uſuuenire reliquis omnibus Chriſtianis animis) putare, Miſſam noſtram habere modò maiorem effectum contra peccatum, quàm olim habuerit Miſſa Christi, quæ fuit prima atq; exemplar omnium aliarum, quæ poſtea fuerunt, modò ſunt, aut in futurum erunt, uſq; ad conſummationem ſæculi. Haberet autem, ſi noſtra Miſſa propitiatoria eſt, & Miſſa Christi propitiatoria non fuit: quia dum tale ſacrificium propitiatoriè offertur, certè contra peccatum habet effectum, & urget: quem non haberet, ſi nõ propitiatoriè offerretur. Non poſſum autem tale quid cogitare, tanto magis nec credere. Statuamus igitur noſtram Miſſam non eſſe magis perfectam in genere ſacrificij,

quàm fuerit Miſſa CHRISTI: ſicut nec eſt magis perfecta, in genere ſacramenti. Hoc certè uerum eſt, & dignum atque dignisſimum, quòd apud omnes Chriſtianos ſtatuatur pro certo. Nunc ſic deduco argumentum, Noſtra Miſſa eſt ſacrificium holocauſti, & eſt ſacrificium hoſtiæ pacificæ, & eſt ſacrificium hoſtiæ pro peccato: Ergo Miſſa CHRISTI fuit ſimiliter tale ſacrificium, quod omnia iſta genera ſacrificiorum continebat. Vnde ualet iſta conſequentia? Ex ſuppoſitione immediatè præcedente, & notiſsima. Quia uidelicet Miſſa noſtra non eſt magis perfecta in genere ſacrificij. Eſſet autem magis perfecta, ſi plura ſacrificia contineret, ſi plurium ſacrificiorum uoces ſuppleret, ſi plurium ſacrificiorum effectus haberet.

Nunquid illa hoſtia in Miſſa CHRISTI, non erat offeribilis pro peccato, aut propitiatoria? Abſit. Erat enim offeribilis, quia in noſtra Miſſa offertur: & quod offertur, ſine dubio eſt offeribile. Nunquid illa hoſtia tunc quidem erat propitiatoriè offeribilis, ſed CHRISTVS tunc eam propitiatoriè offerre non potuit? Abſit. Tā potens enim erat CHRISTVS tunc, quàm nunc. quando & poteſt, & propitiatoriè per nos offert. Quid ergo? Nunquid & ipſe illud protulit, ſed illud facere noluit? Abſit. Blaſphemia eſt cōtra CHRISTVM, dicere quòd ipſe potuit facere Miſſam ſuam in genere ſacrificij ita perfectam, ſicut eſt noſtra Miſſa: ſed quòd noluit. Potuit igitur, & uoluit. Ergo fecit. Quia illa uolitio non debuit eſſe inefficax, ſed efficax.

Chriſtus in cœna uoluit offerre & obtulit propitiatoriè

Voluit ergo, & fecit. Quare noluit offerre tunc in cœna pro nobis propitiatoriè? Aut quomodo probatur modò ſpecialiter ipſa uolitio, ſeu ipſum factum? Primùm, quia ſacerdos propitiator. Secundò, quia Sacerdos redemptor. Tertiò, quia ſacerdos propitiatio. Erat ſacerdos ſicut de illo prædictum fuerat, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Erat autem propitiator, ſicut legimus, Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. Erat redemptor, ſicut ſcriptum eſt, Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius. Domine, adiutor meus, & redemptor meus.

Chriſtus eſt ſacerdos propitiator.

Chriſtus eſt ſacerdos redēptor.

Pſal. 109.
Rom. 3.
1. Tim. 2.
Ephe. 1.
Pſal. 18.
1. Ioā. 2.

Erat propitiatio, ſicut legimus, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. De ſacerdote autem qui re uera, erat propitiator, redemptor, & propitiatio, quis ſapiens, quis pius, quis humanus, quis Chriſtianus poteſt iudicare, quòd cum eſſet in actu offerendi & poſſet offerre propitiatoriè, noluit offerre propitiatoriè? Probo igitur quod uoluit: quia erat noſter ſacerdos, noſter propitiator, noſter redemptor, noſtra propitiatio, & quia erat in actu offerendi: ſapientiſsimus etiam & memoratiſsimus, cui nihil poterat uenire in obliuionem. Perfectiſsimus redemptor, & perfectiſsimus propitiator, quidem omnes actus habuit redemptiuos & propitiatiuos, redemptionis & propitiationis: nec aliquod tempus fuit uitæ ſuæ inter nos, in quo non ageret redemptorem & propitiatorem. Sed mittamus tantillum hæc nomina concreta, propitiator, redemptor; quibus Saluator noſter propriiſsimè atque uериſsimè nominatur. Veniamus ad ea nomina abſtracta, propitiatio, redemptio, quibus etiam uеriſsimè ac propriiſsimè appellatur. Qui factus eſt nobis ſapientia & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc enim nomina in abſtracto, emphaſim quandam habent: & magis clarè oſtendunt, Saluatorem noſtrum eſſe & ſemper fuiſſe redemptorem & propitiatorem, modo perfectiſsimo. Vt ſicut calor ſeu caliditas non habet actum, niſi calefaciendi: ſic propitiatio non habeat nec dicatur habere actum, niſi propitiandi; nec redemptio, niſi redimendi. Iſto enim modo conſiderando oportet nos dicere omnes actus redemptoris ac redemptionis, redemptorios & omnes actus propitiatoris ac propitiationis, propitiatorios: ut & ſi in illis reperiamus alias rationes, reperiamus etiam iſtas, redimendi, & propitiandi. Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus? Nunquid obliuiſcetur redimere redemptor? aut obliuiſcetur propitiare propitiator? aut obliuiſcentur redemptio & propitiatio facere opera ſua? Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, Ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coràm oculis meis ſēper.

Perfectiſſimus propitiator, omnes actus habuit propitiatorios.

1. Cor. 1.
1. Ioã. 2.

Pſal. 76.

Eſa. 49.

Concluſionis eiuſdem probatio octaua ex dictis Diui Thomæ iuxta diuinas ſcripturas. *CAP. XXIX.*

OCtauò probatur eadem concluſio ſpecialiter ex dictis S. Thomæ, quis iuxta ueritatem diuinarum ſcripturarum & ſanctorum doctorũ fatetur, quòd, hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum: non tantùm in uno loco, ſed in multis; quorum locorum iam
par. 3. ſuperius magnam partem memorauimus. Specialiter au-
q6. 79. tem hoc dicit, ubi quærit, Vtrùm per hoc ſacramentum to-
art. 5. ta pœna peccati remittatur? Ibi enim fatetur hoc; nõ quaſi hoc ſit aduentitium ſacramento huic aliunde, ſed tanquam hoc habeat ex ſua primæua inſtitutione: ut nunquam fuerit ſacramentum, quin fuerit ſacrificium. In cœna autem fuit ſacramentum, ergo in cœna fuit ſacrificium. Sed quale ſacrificium? Tale quidem, quod uim ſatis factiuam habet. Habere autem uim ſatisfactiuam pro illis pro quibus offertur, pertinet ad ſacrificium propitiatorium. Igitur hoc ſacrificium eſt propitiatoriũ, ab ipſa ſua inſtitutione. Verba S. Thomæ reſpondentis ad prædictam quæſtionem ſunt, Dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum. Sed rationem ſacrificij habet inquantum offertur: rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autẽ ſacrificij in eo, qui offert, uel in his pro quibus offertur. Si igitur conſideretur ut ſacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex ui ſacramenti. alio modo quaſi ex quadam concomitantia, ſicut & circa continentiam ſacramenti dictum eſt. Ex ui quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad CHRISTVM & ad membra eius: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas ſit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionem nõ ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt, quòd ex conſequenti per quãdam concomitantiam ad prin-

cipalem effectum, homo conſequitur remiſsionem pœnæ: non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis, & feruoris. Inquantum uerò eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit, de uidua, quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna; tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Hæc ille. Ecce ſacra Euchariſtia ex ſua inſtitutione eſt ſacramentum, & ſimul eſt ſacrificium: & eſt tale ſacrificium, quod habet uim ſatisfactiuam pro pœna, diſtinctam ab illa ſatisfactione, quam habet ut ſacramentum. Ergo ex ſua inſtitutione eſt ſacrificium propitiatorium. Fuit autem inſtituta in cœna, Igitur in cœna fuit tale ſacrificium. Lucæ 21.

Confirmatur. Quia Miſſa CHRISTI non debuit eſſe minus utilis communicantibus in illa, quàm noſtra. Sed noſtra Euchariſtia prodeſt ſumentibus, tum per modum ſacramenti, tum per modum ſacrificij: ut fatetur & docet ſanctus Thomas, ubi ſupra. Igitur Euchariſtia CHRISTI, erat ſacrificium in cœna, & non minus utilis ſumentibus, quam noſtra Euchariſtia. Si dixerit quiſpiam noſtram Euchariſtiam prodeſſe ſumentibus per modum ſacrificij, quia offertur pro illis, ut dicit ibi S. Thomas, & conſtat ex canone Miſſæ; reſpondeo, non ſecus Saluatorem in cœna offerentem, obtuliſſe pro communicaturis, & pro multis aliis, ut infra dicetur. S.Tho. Ibid. art. 7.

Aſſertur nona probatio prænotatæ concluſionis; pro quibus CHRISTVS *obtulerit declaratur, eiusq; oratio in cœna, apponitur.* C. XXX

NOnò probatur eadem concluſio, ex illis quibus in noſtro ſacramento Euchariſtiæ CHRISTVS dicitur immolari, & uerè immolatur: quia ex iſtis fit notum omnibus, quòd & in ſacramento cœnæ iam CHRISTVS immolabatur. Sanctus Thomas dicit de iſtis, Duplici ratione ce- Proba. 9

S.Tho. par. 3. q6.83. art. 1. lebratio huius ſacramenti dicitur immolatio Christi: Primò quidem: quia ſicut dicit Auguſtinus ad Simplicium, Solent imagines, earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt: ſicut cùm intuentes tabulam aut parietem pictum, dicimus, Ille Cicero eſt, & ille Salluſtius. Celebratio autem huius ſacramenti (ſicut ſupra dictum eſt) imago quædam eſt repræſentatiua paſsionis Christi, quæ eſt uera eius immolatio. Et ideo celebratio huius Ambr. ſacramenti, dicitur Christi immolatio. Vnde Ambroſius dicit ſuper epiſtolam ad Hebræos, In Christo ſemel oblata eſt hoſtia, ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos, non'ne per ſingulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius. Alio modo quantum ad effectum paſsionis Christi: quia ſcilicet per hoc ſacramentum participes efficimur fructus dominicæ paſsionis. Vnde in quadam Dominicali oratione ſecreta dicitur, Quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur. Hæc ille. Ecce propter duas rationes dicitur Christus immolari, & immolatur in noſtro ſacramento, in quo realiter continetur. Prima eſt, quia celebratio huius ſacramenti, eſt imago repræſentatiua paſsionis Christi. Secunda eſt, quia per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicæ paſsionis. Quid igitur dicendum nobis eſt? nunquid alterum horum defuit Sacramento Christi in cœna? Non uideo quòd ſic, uideo autem quòd non. Etenim & celebratio illius ſacramenti à Christo, imago quædam erat Dominicæ paſsionis: cùm in illa conſecraretur corpus ut ſeparatum à ſanguine, atque ſanguis ut ſepatus à corpore, quantum erat ex ui conſecrationis: & per illud ſacramentum non minus quàm per noſtrum efficiebantur homines participes fructus Dominicæ paſsionis, quæ iam tunc habebat meritum & fructum: non ſolùm in diuina acceptatione, ut præuiſa; ſed etiam in diuina acceptatione, ut exhibita. Iam enim Christus incipiebat pati, iam traditus erat à Patre, iam uenditus erat à Iuda. Iam erat in art. 5. ad tertiũ arg. tertio quaſi gradu paſsionis, ut bene notat S. Thomas in eodem loco, paulò poſt. Et ibi ergo immolabatur, ſicut modò immolatur in noſtro ſacramento: utrobique enim reperiuntur

riuntur hæ rationes, propter quas CHRISTVS in noſtro ſacramento dicitur immolari, ut eſt ſatis, ſuperq; manifeſtũ.

Fuit ibi CHRISTI immolatio, & ſacrificium. Cuius generis, aut cuius uirtutis, cuius effectus, cuius ualoris, cuius utilitatis? Dicat alius, qui uoluerit. Ego iam affatim ac ſæpe dixi: eoque ſum animo præditus, ut credam & audeam dicere, illud ſacrificium fuiſſe tunc à CHRISTO perfectiſsimè celebratum, & perfectiſsimè per ſuam diuinam celebrationem inſtitutum: nec ei aliquam uirtutem tunc defuiſſe omnium ſacramentorum aut ſacrificiorum præcedentium, holocauſtorum, hoſtiarum pacificarum, hoſtiarum pro peccato, iugis ſacrificij, ſacrificij matutini, ſacrificij ueſpertini; aut quorumcunque aliorum, quæ alijs nominibus nominari ualeant.

Iſtis rationibus, ne dicam demonſtrationibus, & multis aliis quæ formari poſſent, ſed omittuntur breuitatis cauſa; firmiter credo & nullo modo dubito, Saluatorem noſtrum in cœna ſub ſpeciebus panis & uini obtuliſſe propitiatoriè ſemetipſum: idque tunc feciſſe ſub ſpeciebus alienis de ſe ipſo, quod iam tunc de ſe ipſo incipiebat facere in propria ſpecie. Iſtam etiam credo fuiſſe mentem omnium illorum doctorum, quos diximus ſuperius aſſeruiſſe, quòd Saluator noſter in cœna obtulit: conſequens enim eſt cum omni pietate ac firmitate credendum, quòd dum propitiator obtulit, propitiatoriè obtulerit. Neque ipſi patres iſtam ſequelam ignorauerunt, neque illam negauerunt.

Si autem quæſierit quiſpiam, pro quibus obtulit Dominus in cœna hoc ſacrificium mirabile? Alia quæſtio erit illa, de qua modò non agimus, & de qua non ita reperimus ſcriptum apud patres. Poſſumus autem reſpondere multipliciter, Primùm, quòd obtulit pro illis, quibus ſeipſum tunc præbiturus erat. Secundò, quòd obtulit pro tota Eccleſia ſua quæ tunc erat in mundo. Tertiò, quod etiam obtulit pro illis qui per Apoſtolos erant credituri. Quartò, quòd quantum ad efficaciam, etiam obtulit pro electis omnibus, & quantum ad ſufficientiam pro toto mundo. Dicendum enim uidetur de illo CHRISTI ſacrificio quantum ad materiam huius quæſtionis pertinet, quòd communiter dicimus

Chriſtus, pro quibus obtulerit in cœna.

de omnibus aliis quæ ipſe Dominus pro nobis faciebat, aut bona operando, aut aduerſa & pœnas ſuſtinendo, orando, ieiunando, peregrinando, bona faciendo, aut mala patiendo. Mala, inquam, pœnæ, non culpæ: quia peccatum non
Ioã. 1. fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius. Agnus Dei, qui
Ioã. 14. tollit peccata mundi: & in quo princeps mundi huius nunquam habuit quidquam. Habemus magnam Domini orationem quam ad Patrem habuit in ipſa cœna, ſiue in eadem nocte, ſtatim poſt cœnam in eadem domo: non erit abs re, ſi per illam Domini orationem, regulemus illam Domini oblationem. Vt dicamus Saluatorem noſtrum ibi obtuliſſe pro illis, pro quibus certò & clarè legimus, eum in eo loco, & in eo tempore oraſſe.

Verba & Oratio Saluatoris noſtri in cœna, uel ſtatim poſt cœnam.

Ioã. 17. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerunt uerè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia, tua ſunt, & tua, mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te uenio. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos. Cum eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut ſcriptura impleatur. Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in ueritate. Sermo tuus, ueritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico meipſum; ut ſint & ipſi ſanctificati in ueritate. Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in

me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis & tu in me, ut ſint conſummati in unum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum, uideant claritatem meam quam dediſti mihi, qui dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

Hæc circa primum articulum de concluſionibus quibus reſponſum affertur ad ipſum, atque de probationibus earum, ſufficiat dixiſſe. In qua re, quia ut uideo, longiorem inſumpſi ſermonem, nitar pro uirili, ut in ſequentibus breuis ſim. Quamuis, ut etiam bene noui, in huiuſmodi rebus grauiſsimis, ex quibus magnam in partem pendet ſtatus multarum cauſarum, quæ nunc, proh dolor, à noſtris aduerſariis in litem uocantur, præſtet frequenter magis longitudinem ſequi, quam breuitatem, cùm breuitatem obſcuritas, longitudinem autem claritas ſæpe comitentur. Neque poteſt longitudo, uitio uerti ubi non niſi neceſſaria, aut ſaltem multum conducentia afferuntur: & allata, uel probant, uel declarant: ut nihil ſit ſuperfluum, nihil inutile. Ad alia igitur progrediamur, id eſt, ad concluſionum, quæ aliis articulis reſpondent, probationes. Sed prius, quæſo, hîc aliam rationem quæ modò recens occurrit, quaſi iam ultimo loco pro eadem concluſione tertia, ad quam hactenus non pauca diximus, loquentem audiamus.

Decima & ultima eiuſdem concluſionis probatio. CAP. XXXI.

VLtimò poteſt probari eadem ueritas, conſiderando ſpecialiter uires noſtræ ſacræ Euchariſtiæ, & ex illis argumentum deducendo, aliquantulum clarius aut explicatius quàm paulò ante ferme ex eodem fundamento deduxi-

S. Tho. par. 3. q6. 79. art. 6.

mus. Noſtra ſacra Euchariſtia ſecundum ſe conſiderata, atque ex ſua inſtitutione, duas habet rationes potiſsimas, id eſt, rationem ſacrificij, & rationem ſacramenti, ſeu ſpiritalis cibi: quia eadem eſt ſacrificium & ſacramentũ quantum ad rem, ut iam ſatis mõſtratum eſt, & ab omnibus conceditur. Rurſus eadem noſtra ſacra Euchariſtia ſecundum ſe conſiderata, iuxta iſtas duas rationes ſuas, habet duas uires directas & immediatas; quia prout eſt ſacramentum, habet uim nutritiuam per unionem ad CHRISTVM & ad membra eius: & prout eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam. Manifeſta ſunt iſta omnibus, & ex dictis etiam ſatis conſtat. Quid ergo? Nunquid Euchariſtia noſtra habet iſtas duas uires tanquam paſsiuas? Abſit. Non quidem tanquam paſsiuas, ſed tanquam actiuas: quia profectò actiuam conſideramus in illa uim nutritiuam, & actiuam ſimiliter uim ſatisfactiuam. Neque ſacramenta ſunt inſtrumenta Dei paſsiua, quibus Deus patiatur: ſed ſunt inſtrumenta Dei actiua, per quæ Deus agit. Ergo non eſt dubium quin magis perfecta ſit in ſe noſtra Euchariſtia habens iſtas duas uires actiuas, quàm eſſet, ſi unam ſolam haberet. Quid ergo dicendum de ſacra Euchariſtia CHRISTI in cœna nouiſsima? Vel ipſa habuit iſtas duas uires in ſe, uel non? Si habuit, ergo illa fuit ſacrificium propitiatoriũ quia habuit uirtutem ſatisfaciendi pro peccato, quæ pertinet ad propitiatorium ſacrificium. Si nõ habuit: ergo illa Euchariſtia CHRISTI in ſe fuit minus perfecta, quàm ſit in ſe noſtra Euchariſtia: qùia non ponitur habuiſſe tot uires actiuas, quot habet noſtra.

Vires Eucharistię, & uirtutes ſacramentorũ ſunt actiuæ.

Ego igitur malo credere Euchariſtiam CHRISTI fuiſſe ſacrificium propitiatorium, quàm concedere illam pauciores uires habuiſſe & minus perfectam fuiſſe, quàm habet, & quàm ſit modò noſtra ſacra Euchariſtia.

Nec nos in iſtam ſententiam ſoli ſumus, ſed & omnes illi patres in eam uenerunt, qui, ut iam uidimus, eos ad ſecundam concluſionẽ huius articuli loquentes, dixerunt, Saluatorem noſtrum in cœna nouiſsima obtuliſſe. Nullo enim modo dubito, ſed omnibus modis firmiſsimè credo, quòd ſi illi interrogati fuiſſent: ipſi ſicut dixerunt Saluatorem noſtrum obtuliſſe in cœna, ſic dixiſſent Saluatorem noſtrum in

cœna obtuliſſe pro nobis. Etenim propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, ille Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, qui inſuper, quidquid de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Quod ſi in cœna offerens, pro nobis obtulit, qua ratione, qua cauſa, aut quo iure, ſeu quo prætextu negari poteſt, ipſum pro nobis obtuliſſe propitiatoriè?

Gregorius Nyſſenus, ut iam diximus, expreſsè aſſerit, CHRISTVM in cœna pro nobis obtuliſſe ſeipſum. Idem Iſidorus, Rupertus, idemque ſine dubio & omnes alij, qui ut iam uidimus, dixerunt Saluatorem noſtrum obtuliſſe in cœna nouiſsima. Obtulit enim, & non pro ſe, quia non indigebat: Ergo pro nobis; quia erat & eſt caput noſtrum: quia inſuper propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, ut omnibus eſt notiſsimum.

Erit iſta ueritas notiſsima omnibus ſapientibus Chriſtianis, ſi duo faciamus, Alterum, ſi ſtatuamus ſacram noſtram Euchariſtiam ſemper habuiſſe eandem perfectionem eandem uirtutem, eaſdemque uires, quas modo habet à ſua prima inſtitutione ac celebratione, & in illa: ut nunquam poſtea profeciſſet de perfectione in perfectionem, de uirtute in uirtutem, de uiribus in uires. Alterum, Si credimus uera eſſe & non falſa, quæ ſancti patres, etiam doctiſſimi & antiquiſsimi, de noſtra ſacra Euchariſtia ſeu ſacrificio Euchariſtico dixerunt in uerbis expreſsis. Iſta enim duo uidentur ſine dubio admittenda: & ſimiliter profectò iſta duo uidentur ſatis demonſtrare hanc ueritatem. Quis non credat, ſacram Euchariſtiam ſemper habuiſſe eandem perfectionem, eandem uirtutem, eaſdemque uires? Quis non credat ſanctos patres doctiſsimos, Martyres, & Confeſſores de ſacra Euchariſtia uerè fuiſſe loquutos?

Quid autem, quæſo, dixerunt ſancti patres de ſacra Euchariſtia, ſeu ſacro ſacrificio Euchariſtico? Dionyſius Areopagita in De Eccleſiaſtica Hierarchia, appellat diuinum & auguſtiſsimum ſacramentum ac cœleſte myſterium. & in epiſtola ad Demophilum, dicit quòd eſt oblatio ſanctiſsimi ſacrificij. Euſebius Cæſarien. dicit quòd eſt Deo plenum & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium. Grego-

rius Nazianzenus, quòd eſt incruentum ſacrificium. Chryſoſtomus dicit quòd eſt celebratio uenerandorum myſteriorum: myſterium omnium maximè horrendum uerendumque, ac tremendum ſacrificium. Theodoretus dicit quòd eſt ſacrificatio agni dominici, ac oblatio ſpiritalis & myſtici ſacrificij, oblatio diuini doni, oblatio diuini myſtici & ſalutaris ſacrificij. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus contra Neſtoriũ, dicit quòd eſt ſancti ac uiuifici & incruenti operatio ſacrificij. Damaſcenus dicit quòd eſt tremendum & impollutum uitaleque ſacramentum & incruentum ſacrificium. Sanctus Ignatius Epiſcopus Nicænus dicit, quòd eſt ſacrificatio Christi, Agni qui tollit peccata mundi. Ecce quæ dixerunt ſancti patres de noſtro ſanctiſsimo ſacrificio Euchariſtico: uidelicet quòd eſt diuinum myſterium, ſacrificium incruentum, ſacrificatio Christi, ſacrificium impollutum, uiuificum, ſalutare, &c. prout latius uidebitur in fine articuli ſequentis.

Ergo iſta omnia habuit hoc noſtrum diuinum ſacrificium ſemper iam inde à ſua prima inſtitutione, & ſic, ſemper fuit uiuificum, ſemperq́; ſalutare. Igitur & ſemper fuit propitiatorium.

Libri primi finis.

REVEREND. GASPARIS

CASALII LVSITANI,

EPISCOPI LEIRIENSIS,

De ſacrificio Miſſæ, Liber ſecundus.

Prior concluſio ad ſecundum Articulum quadrupliciter probatur.

CAPVT PRIMVM.

SVPERIORE libro ea omnia quæ ad primum articulum pertinebant, adduximus, ac latè expoſuimus; nunc proximum eſt ut ex ordine, reliquorum articulorum concluſiones probemus, quæque ad eas pertinent, ut res poſtulat, edifferamus.

Secundò articulo duæ obtigerunt concluſiones, quarum prior eſt, Sacrificium Miſſæ, nullo modo derogat ſacrificio in cruce peracto. Poſterior uerò eſt, Sacrificium Miſſæ, potius eſt ſacrificio in cruce peracto conformiſsimũ, & quaſi inſtrumentum, quo fructus ſacrificij in cruce peracti ad nos perueniat.

Anterior concluſio harum duarum, probari poteſt, ratione identitatis, ratione ſimilitudinis, ratione nominis & rei, & ratione inſtituentis. Ex quocunque poſſemus dicere multa, ut conſtat ex ipſis argumentis: ſed ex quolibet dicemus pauca, breuitati ſtudentes.

Primùm igitur probatur prima concluſio, ratione identitatis. Si enim, ut legimus in diuinis ſcripturis, nemo unquam carnem ſuam odio habuit: cum tamen caro non ſit totum compoſitum, ſed pars, multo magis nemo ſeipſum odio habet. Vnde ſecundum naturalem amorem, quem unum quodq; habet ad ſeipſum, fatemur ſine dubio omne ens appetere naturaliter ſuam uitam, ſi uiuat; uel aliàs, ſuam conſeruationem. In qua notiſsima ueritate, fundatur philoſophia naturalis, uel maxima eius pars. Iuxta quam etiam, omne ens reſiſtit ſuo contrario, & illud uitat, atque deponit, inquantum poteſt, non tamen intendens ſui contrarij corruptionem, ſed ſuiipſius uitam, aut conſeruationem. Hæc eſt tota ſcientia phyſica, cui, nec in minimo, contradicit ſcientia theologica. Quia igitur ſacrificium Miſſæ ſecundum rem, eſt ſacrificium crucis: cùm utrobique ſit eadem hoſtia, & idem CHRISTVS, qui dixit, Hoc eſt corpus meum. Hoc facite in meam commerationem. nulla ratione fieri poteſt, ut ſacrificium Miſſæ, quo quo modo ſacrificio crucis deroget. Aut deſtruatur prius tota natura, quæ tota habet, ut omne ens ſeipſum diligat, & nullum ens ſibiipſi deroget. Fundatur iſta demonſtratio in eo, quòd ſacrificium Miſſæ realiter continet totum CHRISTVM qui fuit hoſtia in crucis ſacrificio: & quia iſta continentia aliàs à nobis probata fuit, in tractatu de Vſu calicis, modò de illa ſatis ſit dictum.

Secundò probatur eadem concluſio, ratione ſimilitudinis. Etenim non ſolùm identitas eſt genitrix amoris, quin etiam & ſimilitudo. Ita uidemus, quòd omne ſimile appetit uel diligit ſuum ſimile. Et omne agens naturale, intendit, idque amat, aſsimilare ſibi paſſum. Nunquid amat, & derogat? Abſit. Neque hactenus aliquis ſapiẽs dixit, quòd ſimile deroget ſimili, aut quòd imago deroget illi rei, cuius eſt imago. Ergo quia ſacrificium Miſſæ, eſt ſimile ſacrificio crucis, & imago quædam illius, non derogat illi ullo modo. Oſtẽditur hoc ſacrificium eſſe ſimilitudinem aut imaginem
Lucæ 22. illius, tum ex uerbis Domini, Hoc facite in meam commemorationem, tum ex uerbis Apoſt. Quoties enim mandu-
1.Cor.11 cabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis,

annunciabitis, donec ueniat. Satis enim ex his colligitur, hoc noſtrum ſacrificium eſſe illius imaginem, memoriam, ſimilitudinem, & annunciationem.

Diximus in prima ratione ſacrificium Miſſæ cum ſacrificio crucis habere identitatem, & diximus in ſecunda ratione ſacrificium Miſſæ cum ſacrificio crucis habere ſimilitudinem: quæ duo uidentur quidem contraria, ſed profectò non ſunt contraria, ut conſtabit ſtatim. Videntur contraria, uel ſaltem aliquo modo formaliter, aut æquiualenter oppoſita: quia alia eſt regula identitatis, alia ſimilitudinis: & nihil uidetur eſſe aut dici ſibimetipſi ſimile, ſed idem. Non ſunt autem contraria in hoc negocio: ut conſtabit ex docendis ſtatim. Ad memoriam igitur reuocemus, quòd in ſacrificio crucis utique fuerunt duo, id eſt, ipſa hoſtia, hoc eſt, ipſe CHRISTVS, & mors eius. Iſta enim eſt rei ueritas, de qua nulli Chriſtiano licet dubitare. Poſt iſtam autem conſiderationem, rurſus animaduertamus, quòd ſacrificium Miſſæ circa illa duo ſe habet differenter: nam ſacrificium Miſſæ, corpus CHRISTI & ſanguinem ſignificat atque continet, mortem autem CHRISTI non continet, ſed ſignificat. Ita reperimus in ſacrificio Miſſæ, quomodo continet ſimilitudinem, & quomodo retinet identitatem. Eſt idem quantum ad eandem hoſtiam, quæ fuit in cruce, & eſt in altari noſtro, CHRISTVS Deus noſter: & eſt ſimile quantum ad ſpecies ſacramentales, quæ poſt conſecrationem, iam corpus & ſanguinem CHRISTI, atque eius mortem repræſentant. ſeparatim nanque in alia forma conſecratur corpus, atque ſeparatim in alia forma conſecratur ſanguis: in qua re, repræſentatur mors: quamuis modò ſub utraque ſpecie ſit totus CHRISTVS, interueniente quadam concomitantia.

Tertiò probatur eadem prima concluſio, ex ratione nominis & rei. Miſſa nanque uerè dicitur & uerè eſt ſacrificium memoriale ſacrificij in cruce peracti. Sic enim Saluator dixit, dum illud nobis præcepit faciendum, & nobis tribuit offerendi illud facultatem, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde hoc ſacrificium ex quo inſtitutum eſt, ſemper fuit Dominicæ paſsionis repræſentatiuum: ſed ex quo paſsio Domini peracta fuit, eſt hoc ſacrificium non

ſolum repræſentatiuum illius, ſed & memoratiuum. Eſt enim iam nunc, ut conſtat, repræſentatiuum, ſeu ſignificatiuum rei prӕteritӕ, ideſt, paſsionis Domini iam peractæ: ideo eſt ſine dubio, memoratiuum. Ita enim appellamus, & tale eſt omne ſignum prӕteritӕ rei ſignificatiuum. Signũ igitur eius eſt memoratiuum, & imago quædam. Nunc uideamus, an poſsit ſignum derogare ſignato ſuo? An uerò poſsit imago, ſuo derogare imaginato, ſiue illi rei cuius eſt imago? An poſsit exemplum derogare ei cuius eſt exemplum? Abſit. Inſtituit autem Dominus hoc ſacrificium, reſpiciens ad ſuam paſsionem, & illam ante oculos habens:
Lucæ 22. quamobrem in ipſa inſtitutione dixit, Hoc eſt corpus meum,
Marc. 14. quod pro uobis tradetur. traditur, alias, & frangitur. Hic
Matth. 26 eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, qui pro uobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Idcirco paſsio CHRISTI fuit exemplar, cuius noſtra Miſſa eſt exemplum: quia profectò ad illam reſpiciebat CHRISTVS, iſtud noſtrum ſacrificium Miſſæ inſtituens. Quomodo ad illam reſpiciebat, quæ adhuc non erat? Adhuc non erat in tempore præſenti, ſed iam erat in præuiſione: adhuc non erat peracta, ſed iam erat incæpta: adhuc non uidebatur ab hominibus, ſed iam optimè uidebatur ab ipſo CHRISTO. tum ſecundum diuinitatem, de qua nullum poteſt ſuboriri dubium, tum etiam ſecundum humanitatem, cum nouerit ſemper anima CHRISTI omnia quæ Deus nouit, ſcientia uiſionis, prӕterita, præſentia, futura.

Quartò probatur eadem concluſio, ex ratione inſtituentis, & principaliter conſecrantis ac offerentis. Idem enim CHRISTVS, qui in cruce ſemetipſum obtulit in propria ſpecie hoſtiam cruentam Patri ſuo pro nobis, ipſe eſt huius ſacrificij incruenti inſtitutor: & ſi attendimus, eandem intentionem habebat, illud ſacrificium cruentum offerens, & iſtud incruentum inſtituens. Quandoquidem, ubique & ſemper noſtram ſalutem intendebat, noſtram iuſtificationem, noſtram reductionem in gratiam Patris, ad regnum, ad hæreditatem. Non ſunt autem oppoſita, nec ſibi inuicem derogantia, quæ facit idem agens, & eadem intentione. His accedit, quòd idem Saluator qui in cruce ſeipſum ſolus

obtulit, ipſe nunc noſtro miniſterio in Miſſa ſeipſum principaliter offert: nec nos ſacerdotes ſui in perſona noſtra, ſed in perſona ſua, uerba conſecrationis & principalis oblationis proferimus; ut eſt monſtratum. Eſtque CHRISTVS in iſta noſtra oblatione ſacerdos principalis offerens; licèt (ita dixerim) mediatus: & eſt eius miniſter ſacerdos minus principalis offerens, licet immediatus. Cum quo tamen ſtat, quòd etiam in iſta noſtra oblatione, CHRISTVS eſt ſacerdos principalis offerens & immediatus, quantum ad immediationem uirtutis: quia ſua uirtus eſt, qua ſacerdos miniſter eſſentialiter conſecrat, eſſentialiter offert. In ſua enim perſona & in ſuo uerbo agit, ſuis ritibus & ſuis uerbis: nec dubium, quinetiam in ſua uirtute. Vbi eſt igitur idem agens principale, eadem uirtus, eadem intentio, nulla eſt derogatio. Non eſt CHRISTVS contrarius CHRISTO, nec derogator ſuorum operum.

Ex natura proprietateque incruenti ſacrificij, & eius inſtitutione, Chriſtique inſtituentis intentione; poſterior concluſio ad pranotatum articulum ſecundum probatur. CAP. II.

POſterior concluſio harum duarum probatur ſatis ex natura, proprietateque huius noſtri, immo diuini, ſed potius diuini & noſtri, ſacrificij incruenti: pariter ex ſua inſtitutione, & ſui inſtitutoris intentione, quam habuit in inſtituendo, ordinatam ad noſtram ſalutem, ut iam dictum eſt. His enim cognitis, ſtatim fiet notum, hoc ſacrificium Miſſæ, eſſe ſacrificio crucis conformiſsimum, & quaſi inſtrumentum eius, quo fructus ipſius ad nos perueniant. Naturam autem & proprietatem huius ſacrificij, quantum modò arbitror, melius conſiderare non poſſumus aut facilius, quàm conſiderando naturam & proprietatem eius inquantum eſt ſacramentum. Eadem nanque ſacra Euchariſtia eſt ſacramentum, eademque eſt ſacrificium: neq; in ea differunt ſacrificium & ſacramentum realiter ſiue ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundum ſignificationem, rationem, aut nomen, ut conſtat ex dictis. Quæ eſt

natura ſeu proprietas Euchariſtiæ, ut eſt ſacramentum? Eadem, quæ eſt omnium ſacramentorum, quantum ad effectum eorum communem: qui eſt, ſanctificare ſuſcipientes ſuo modo inſtrumentali; licèt ſacra Euchariſtia hoc habeat modo quodam ſpeciali, propter excellentiam notiſsimam, quam habet ſuper omnia alia ſacramenta. Quæ eſt natura ſiue proprietas ſacramentorum nouæ legis, Euchariſtiæ, & aliorum? Quòd ſunt inſtrumenta uel quaſi inſtrumenta Dei, per quæ Deus Opt. Max. ſuſcipientibus ſacramentum in fide & charitate, ſeu cum debita diſpoſitione, qua non accedant fictè, ſeu indignè, communicat merita Saluatoris noſtri ſeu gratiam ſuam per illa. Hæc eſt omnium ſacramentorum nouæ legis natura, atque proprietas, quam habent non ex natura rei; ſed ex pactione, ordinatione, firmiſsimaque inſtitutione Dei Opt. Max. Ita conſiderauerunt ſemper omnes doctores ſancti noſtra diuina ſacramenta, intelligentes iſtam eorum proprietatem in illis ſecũdum diuinas ſcripturas: Vt omnia merita CHRISTI, ſuæ uitæ, paſsionis, & mortis, quæ adhuc in diuina acceptatione ſunt integra, nec in ulla ſui parte diminuta, nobis non indignè, ſed probatè, ac diſpoſitè, ſeu præparatè ſuſcipientibus communicentur per diuina ſacramenta. Per diuina ſacramenta, inquam, id eſt, uel in re, uel in uoto ſuſcepta. Non enim alligauit Deus ſuam potentiam aut ſuam miſericordiam, ſuis ſacramentis in re ſuſceptis: ſed frequenter antequàm ſacramentum in re ſuſcipiamus, nobis præſtat ſuam gratiam ob CHRISTI merita, modò ſacramentum ſuum in uoto habeamus, & iam in uoto quodam modo recipiamus.

Act. Conſtat hoc in facto Cornelij, qui antequàm baptiſmum reciperet, ex quo cognita Dei fide & lege per prædicationem Apoſt. Petri baptiſmum credens & præparatus deſiderauit,

Auguſt. Spiritum ſanctum recepit. De qua ueritate multa dixit Au-

Magiſter ſenten. & ſchola. lib. 4. diſt. 4. guſtinus, poſt Auguſtinum Magiſter ſenten. & poſt Magiſtr tota ſchola Chriſtiana ſimul. circa quam etiam uideri poſſunt, Bernardus in quadam epiſtola quæ eſt ad Hogonem. Gloſ. ſuper epiſto. ad Hebræos, inſuper & Hugo. Vnde &

Bernard. Epiſt. 77. Auguſt. ſuper Leuiticum dicit, inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe & profuiſſe ſine uiſibilibus ſacramentis:

uiſibilem uerò ſanctificationem, quæ fit ſacramento uiſibili, ſiue inuiſibili poſſe adeſſe, non poſſe prodeſſe. Nec tamen uiſibile ſacramentum ideo contemnendum eſt, quia contemptor eius inuiſibiliter ſanctificari non poteſt. Poteſt etiam uideri in De fide ad Petrum, & in De eccleſiaſticis dogmatibus. Hinc eſt, quòd quidam patres putauerunt poſſe dicere non abs re, ſacramenta nouæ legis poſſe dici proprias cauſas gratiæ ex diuina ordinatione: alij dixerunt ſacramenta huiuſmodi non proprias cauſas gratiæ, ſed inſtrumentales, & quaſi inſtrumenta quædam Dei: alij autem docuerunt ſacramenta eſſe quoad gratiæ collationem, non cauſam propriam, id eſt, per ſe, nec inſtrumentalem Dei, ſed cauſam dictam, ſine qua non. Iſta eſt ergo natura, iſtaque proprietas ſacramentorum nouæ legis: ut ex diuinis ſcripturis habemus, & in illis ſemper intellexerunt omnes doctores ſancti.

Hebr. 6. Hugo li. 1 par. 9. cap. 4. Auguſt. cap. 84. tom. 4. De fide ad Petrũ. cap. 3. De eccle. dogmat. cap. 74. Apud Gabrielem. lib. 4. diſt. 1. S.Tho. par. 3. quæſt. Scotus lib. 4. diſt. quæſt.

Nunquid huiuſmodi ſacramenta noſtra ſecundum iſtam ſuam proprietatem derogant ſacrificio crucis? Abſit. Immo ſunt ei conformiſsima. Quia ſunt quaſi inſtrumenta Dei, per quæ Deus nobis communicat meritum ac fructum illius maximi ſacrificij in cruce peracti, merita CHRISTI, & gratiam ſuam: & per quæ, ut noſtri dicunt, effectuatur in nobis id, quod CHRISTVS in cruce ſe offerens, & in ea moriens intendebat, id eſt, iuſtificatio & ſalus noſtra. Ob iſtam ueritatem quidam, ut diuus Cyprianus in ſermone de Baptiſmo, uel cœna Domini, uel lotione pedum, conſiderat diuina ſacramenta ut flumina gratiæ, quibus tota ſua irrigatur Eccleſia, ſicut olim illis ſuis fluuiis rigabatur paradiſus terreſtris. Quidam uerò, animaduertunt diuina ſacramenta, ſpecialiter hoc de quo agimus, tanquam aquæductus fontis illius diuini, in quo omnia CHRISTI & ſui cruenti ſacrificij recluduntur, & uolentibus haurire reſeruantur merita. Ergo non illi derogant diuina ſacramenta, non illi opponuntur, nec illi ullo modo ſunt contraria: quin potius illi ſunt amica, illi ſunt conformiſsima, & ad partes illius faciunt. Cyprian.

Eodem modo dicendum eſt de iſto noſtro diuino ſacrificio Euchariſtico, quod ſimul eſt ſecundum rem, & ſacra-

mentum, & ſacrificium: ambas enim rationes habet, & ſacramenti, & ſacrificij, ut dictum eſt, & nulli non conſtat. Neque eſt, nec apparet ulla ratio, quare una & eadem res, ſacra Euchariſtia, duas habens rationes, hoc eſt, ſacrificij, & ſacramenti, ſecundum alteram deroget ſacrificio crucis, & ſecundum alteram non deroget; non deroget ut ſacramentum, derogat ut ſacrificium. Demonſtratiuè oſtenditur iſta ueritas ex effectu ſacræ Euchariſtiæ, quem ipſa habet in ratione ſacrificij: id eſt, inquantum eſt ſacrificium. Quantum enim pertinet ad res animæ; iuſtificationem, ac liberationem à peccatis, nullum effectum habet Euchariſtia ut ſacrificium, quem non habeat aliquo modo directè, per ſe, aut concomitanter, uel alio, Euchariſtia ut ſacramentum. Sed hæc tantùm eſt differentia in re huiuſmodi, quòd Euchariſtia ſumentibus prodeſt ut ſacramentum & ſimul ut ſacrificium; non ſumentibus autem prodeſt ſolùm ut ſacrificium, dum pro illis offertur. Iuuabit fortaſsis, iſtam doctrinam uel ſaltem notaſſe ſemel ex S.Thoma in eo loco, quo diſtinguit in Euchariſtia rationem ſacramenti, & rationem ſacrificij; atque docet in quo habeat effectum ut ſacramentum & in quo ut ſacrificium. Similiter & in eo loco, quo quærit, Vtrùm hoc ſacramentum proſit alijs, quàm ſumentibus. Manifeſtè enim ait, Dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramentum. Sed rationem ſacrificij habet inquantum offertur: rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, uel in his pro quibus offertur. Si igitur conſideretur ut ſacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex ui ſacramenti, alio modo quaſi ex quadam concomitantia: ſicut & circa continentiam ſacramenti dictum eſt. Ex ui quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad CHRISTVM, & ad membra eius: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ: inde eſt, quòd ex conſequenti

S.Tho. par. 3. qó. 79. art. 5.

Ibid. art. 7.

art. 6.

per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſsionem pœnæ: non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis, & ſui feruoris. Inquantū uerò eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit, de uidua quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Hæc ille. Ecce eundem effectum quem contra peccatum habet directè Euchariſtia ut eſt ſacrificium, contra peccatum concomitanter habet Euchariſtia ut eſt ſacramentum: uidelicet, remiſsionem pœnæ. Igitur nulla eſt ratio qua Euchariſtia dicatur derogare ſacrificio crucis, in ratione ſacrificij: & non dicatur derogare ſacrificio crucis, in ratione ſacramenti. Sed uel in utraque derogat, uel in neutra derogat. Non derogat in utraque. Ergo neque in altera. Quia de ambabus eſt eadem ratio, ut eſt monſtratum. An aduênit nunc aliquis ex Tartaro ipſo & penitioribus inferni partibus, qui totam religionem Chriſtianam funditus euertere uolens, dicat ſacram Euchariſtiam etiam in ratione ſacramenti derogare ſacrificio in cruce peracto? Non audimus tale humani generis monſtrum.

Specialius & forte clarius procedamus ad probationem eiuſdem ſecundæ concluſionis, ex his quæ facta ſunt quodam modo in ratione præcedente. Euchariſtia ut eſt ſacramentum, ex ſua inſtitutione, directè habet uim nutritiuam, & unitiuam animæ ſuſcipientis, cum Christo: atque per quandam concomitantiam ex conſequenti habet, quòd ſit remiſsiua pœnæ, ut eſt notū omnibus. Vnit enim per fidem & charitatem, de qua legimus, Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitas operit multitudinem peccatorum. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Habet uitam æternam, &c. Similiter Euchariſtia ſacra ut eſt ſacri- Lucæ 7. 1. Pet. 4.

ficium, ex ſua inſtitutione, directè habet uim ſatisfactiuam, pro illis pro quibus offertur: quia ſecundum iſtam rationem conſiderauerunt ſemper homines ſua ſacrificia, in quacunque lege. Niſi quòd quidam perperam intelligentes, ſacrificia externa exercentes: & purgationem mentis aut non curantes aut negligentes, putabant ſe pro ſuis criminibus, Deo per ſacrificia illa externa ſatisfacere: contra quos ſæpe conqueſtus eſt Dominus apud Prophetas ſuos, & multa di-
Plato. xit Plato in De Republica ſiue de Iuſto, atque in Alcibiade ſecundo, ſiue de uoto, atque in de legibus, ſeu legum latione, & quidam alij Philoſophi, de quibus conſtat apud Iuſti-
Iuſtinus Martyr. num Martyrem in libro de Monarchia. Et notum eſt illud fuiſſe ſemper officium ſacerdotis in omni lege, offerre pro peccatis & ſuis, & populi, ut dimitterentur, ut non impu-
Hebr.5. tarentur. Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Iterum, Omnis
Hebr.8. enim Pontifex, ad offerendum munera & hoſtias conſtituitur, &c. Ita ergo ſacra Euchariſtia habet ſpecialiter duas prædictas rationes, quia habet rationem ſacramenti, & habet rationem ſacrificij: atque iuxta has duas rationes habet duas præfatas uires, quia ut ſacramentum habet uim unitiuam & nutritiuam, ut ſacrificium autem habet uim ſatiſfactiuam. Vt queadmodum peccatum habet duas rationes potiſsimas mali, ideſt, rationem mali culpæ, ac rationem mali pœnæ: ita hoc diuinum ſacramentum ex oppoſito contra peccatum habeat has duas uires, unitiuam & nutritiuam contra culpam; ſatisfactiuam contra pœnam. Habet, inquam, ſacra Euchariſtia, has duas uires: quidem ambas ex ſua inſtitutione, & eas efficaciſsimas quantum eſt ex parte ſua: ideſt, niſi pro nobis ſteterit, niſi nos impedimentum habeamus, niſi obicem poſuerimus. Hæc eſt noſtra fides circa ſacram Euchariſtiam, quæ fides fuit ſemper catholica in tota Eccleſia Chriſtiana. In nulla autem harum duarum uirium ſacra Euchariſtia derogat ſacrificio crucis, ſed potius in qualibet illarum eſt illi confirmiſsima. Quare ſic? Quia ſacra Euchariſtia, & ſuam inſtitutionem, & has uires, & efficaciam in illis, totum habet à Christo, atque ex eius meritis

meritis habet totum ualorem: neque ob aliud dedit CHRISTVS illam ſuæ ſponſæ Eccleſiæ Chriſtianæ, niſi ut fructus meritorum ſuorum, ſuæ uitæ, paſsionis, ac mortis, abundantius, copioſius, uberius, & frequentius ad nos homines in particulari & de facto ueniret, aut uenire poſſet. Dedit CHRISTVS redemptionem ſemetipſum pro omnibus, ut teſtatur Apoſtolus Paulus ad diſcipulum ſuum Timotheum: & exauditus fuit pro ſua reuerentia. ut ipſemet Apoſtolus dicit ad Hebræos. atque eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi, ut dicit Apoſtolus Ioannes. Vnde quidem redemit omnes homines & totum mundum ſufficientiſsimè, propter infinitam & potentiſsimam hoſtiam, atque infinitum & potentiſsimum offerentem ſacerdotem, uerum Deũ & uerum hominem, Mediatorem Dei & hominum. Vt autem ipſa redemptio ueniret ad nos homines in particulari quantum ad effectum iuſtificationis à peccato, liberationis, & glorificationis; uoluit ipſe CHRISTVS, & ita ſtatuit, ut hoc fieret per ſua ſacramenta in re uel in uoto ſuſcepta; quibus ne infirma uel egena eſſent, ut ſacramenta antiqua erãt, dedit uirtutem regeneratiuam, unitiuam, nutritiuam, & ſatisfactiuam in ratione ſacramenti. Ergo ſacra Euchariſtia eſt ſacrificio crucis confirmiſsima in ambabus illis uiribus ſuis; quia facit ut fructus ſacrificij crucis effectuetur in nobis: tum quantum ad gratiæ ac uirtutum augmentum, tum quantum ad pœnæ remiſsionem. Conſtabunt iſta magis ijs, qui attẽderint quem ordinem ſeruat Deus optimus communicando nobis hominibus effectus ſeu fructus paſſionis CHRISTI, aut quam legem nobiſcum ſtatuerit quo ad homines non iuſtos iuſtificandos: de quibus duabus rebus maximi momenti & ualde notandis modò nihil dicimus, ob id quòd de illis multa diximus in Quadripertita iuſtitia. Ibi enim materiam iſtam latè proſecuti ſumus, ſicut uiſum fuit, latam earum rerum diſputationem his temporibus eſſe congruam, utilem, & ualde neceſſariam.

1. Tim. 2. Hebr. 5. 1. Ioã. 2. Par. 1. lib. 2. permulta & par. 2. lib. 1. per multa

Vltimò probatur, ſacram Euchariſtiam etiam in ratione ſacrificij eſſe conformiſsimam, ex ſuo nomine quod propriè habet nunc poſt Domini paſsionem: quia uerè dicitur, &

propriè eſt, memoratiua paſsionis. Sacrificium enim crucis uoluit eſſe, & uoluit prodeſſe: quia erat uiuum rationale, & ſapientiſsimum, uoluntarium, & omni ex parte liberum, atque potentiſsimum: qualis erat ipſa hoſtia, & ipſe offerens. Simul etiam illud ſacrificium, ut prodeſſet, & ut fructum ſuum iuſtificationis & glorificationis nobis communicaret de facto & in particulari, uoluit cognoſci, credi, ſperari, amari, obediri: quia non uoluit tollere aut mutare illam regulam, Ignorans ignorabitur. Ideo nobiſcum miſericorditer agens, Euchariſtiam nobis in ſui memoriam reliquit, uerum ſignum eius memoratiuum: ne nobis à memoria cederet, ne erga nos in obliuionem ueniret. Vnde hoc eſt officium Euchariſtiæ apud nos, ut nos in memoriam, cognitionem, fidem, ſpem, dilectionem, ac obedientiam ſacrificij in cruce peracti ducat: & cùm hæc ſit ſacrificij in cruce peracti uoluntas, ut conſtat ex dictis, conſequens eſt ut hoc ſacrificium ſit illi maximè conforme. Habet enim ſacrificium Euchariſtiæ id in officio, quod ſacrificium crucis habuit in uoluntate: & quidem non apparet, quæ maior poſsit eſſe conformitas.

Sacrificium Euchariſtiæ, crucis ſacrificio derogare, exiſtimaſſe nonnullos; quorum falſa opinio eliditur. Quæ ſit ſanguinolenti ſacrificij qualitas, & quis hominum in hac uita ſtatus, declaratur. CAP. III.

COgitaui frequenter, unde potuerit talis ſuboriri tentatio, ut auderet aliquis dicere, quòd ſacrificium Euchariſtiæ deroget crucis ſacrificio. Nunquam equidem eius tentationis ullam rationem, nec quidem fucatum argumentũ, aut occaſionẽ inueni. Legi tamen quaſi aduerſarij ita formarent argumentũ, Iuxta Pau. Apoſt. doctrinam, ſanctificati ſumus per oblationẽ corporis CHRISTI, ſemel pro nobis in cruce immolati, quæ oblatio ſufficiens eſt ad delendum omnium hominũ peccata. CHRISTVS igitur aut pro peccatis noſtris non amplius immolatur; aut ſi immolatur, fruſtrà immolatur: aut ſi non fruſtrà, non

fuit oblatio in cruce pro peccatis noſtris ſufficientiſsima. Ecce quæ ſit aduerſariorum tentatio, & quàm palpabilis error: ita eos ſolet excæcare ſuperbia, quibus imperat.

Ioannes Driedonius, doctus ille uir, & ualde catholicus, cum primùm uidiſſet iſtam aduerſariorum hallucinationem, ei in ſuo opere De dogmatibus, &c. ita reſpondit. Ad primum reſpondeo, conſequentiam eſſe inualidam. Nam & CHRISTVS ſufficienter pro nobis errauit, non tamen inde conſequens eſt, nos non debere amplius orare pro peccatis noſtris diluendis. Si argumentum concluderet, inferre liceret, nos non debere offerre Deo ullum ſacrificium interni cordis. CHRISTVS ſufficientem egit pænitentiam pro peccatis totius mundi: Sed non inde conſequens eſt, pro remiſſione peccatorum non eſſe opus peccatoribus, ut peccatorum ſuorum pœnitentia corripiantur. Quemadmodum igitur ex eo, quòd CHRISTVS ſatis orauit pro omnibus, doluit, & ſollicitus fuit pro ſalute noſtra, non eſt conſequens, nos non oportere nec pœnitentiam agere, aut ingemiſcere, nec orare, ut delicta noſtra remittantur nobis, nec ſollicitos eſſe pro noſtra ſalute: Ita ex eo quòd CHRISTVS ſe obtulit ſacrificium ſufficientiſsimum pro peccatis totius mundi, non conſequitur, nihil amplius ualere, neque ſacrificium internum humiliati & contriti ſpiritus, neque ſacrificium externum, oblatum ex fide in uirtute ſanguinis ſemel pro nobis immolati. Nõ aliud ſacrificium nunc offerimus, non aliam hoſtiam: ſed idem quod olim ſemetipſum in ara crucis obtulit in carne paſsibili, ſatisfaciens, & ſoluens pœnam peccatis noſtris debitam, hoc nunc impaſsibile & glorioſum offerimus Deo, in commemorationem grandis illius beneficij in ara crucis pro nobis exhibiti. Dicitur autem immolatio CHRISTI in carne, ſacrificium ſufficiens, meritum ſufficiens, ſatisfactio & propitiatio ſufficiens; non quòd proficiat nobis qualitercunque diſpoſitis, & qualitercunq; uiuere uolentibus; ſed quòd proficiat nobis credentibus, & obtemperantibus ſibi. Neque requiritur ullum aliud meritum, ulla alia hoſtia, per quam ex impiis efficiamur iuſti, & reconciliemur Deo Patri, Veruntamen de meritis ſanctorum hactenus tenuit & docuit Eccleſia, quemadmodum

Io. Driedonius. lib. 4. cap. 5. part. 4. ipſius capitis.

Reſpõſio Catholic.

ſancti patres ab initio tradiderũt ex Apoſtolicis ſcripturis; ſicuti & clariſsimo ſermone tradit Auguſtinus, multa uidelicet eſſe ſanctorum merita: ſed ut ex impiis iuſti fierent, nulla eſſe merita eorum, ſed CHRISTI, ex cuius fide iuſtificamur gratis, hoc eſt, abſque meritis noſtris, non tamen abſque noſtrarum uoluntatum aſſenſionibus, quibus Deo uocanti atque pulſanti incipimus corda noſtra aperire, credere, & acquieſcere, & credendo remiſsionem peccatorum implorare, quæ tamen omnia uoluntatis noſtræ interna opera non potuiſſemus facere, niſi Deus ſua miſericordia præueniens nos, dignatus fuiſſet uocare nos, trahere, & adiuuare. Et ita in iuſtificatione, qua ex impiis iuſtificamur, aliquid eſt noſtrum, & eſt noſtræ uoluntatis opus, ut pote motus liberi arbitrij credentis in Ieſum, & pœnitentis de peccato ſuo: ſed hic motus noſter non eſſet, ſi non Dei miſericordia nos præueniſſet: & ita de nullo bono motu uoluntatis poſſumus gloriari tanquam de noſtro ſolo, id eſt, tanquam facto à noſtra ſola uoluntate. Vnde Deus pro ſua miſericordia iudicium ſuæ miſericordiæ atque iuſtitiæ ita ſtatuit, ut in operibus ſiue miſericordiæ, ſiue iuſtitiæ diſpenſandis, utatur uoluntariis hominum miniſteriis, quibus & ipſi etiam ſemetipſos & alios faciant, aut ad participandum fructum paſsionis CHRISTI aptos, aut reos, aut contemptibiles; quemadmodum ait Apoſtolus, Reconciliauit nos Deus ſibi per CHRISTVM, & dedit nobis miniſterium reconciliationis ponens in nobis uerbum reconciliationis. Pro CHRISTO ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Hæc ille. Et bene. Satis enim uerè, & ſatis ſufficienter reſpondent.

Auguſt. eſt epiſt. ad Sixtũ.

2. Cor. 5.

Admiror ſanè de eo, quòd aduerſarij in talem tamque profundam cæcitatem deuenerint, ut aut putarent, aut quouis modo dicerent, ſacrificium Euchariſtiæ in Miſſa, ſacrificio crucis derogare. Cum autem omnia conſideraſſem diligentiſsimè, & mecum quærerem, quomodo ipſi homines, qui aliàs ſacram ſcripturam legunt, & ſanctos doctores legere poſſunt, in eam cæcitatem uenire potuerunt: ea mihi inter alias eorum erroris occurrit occaſio, quia uidelicet, qualitatem ſacrificij CHRISTI in cruce, officium CHRISTI

modò in cœlo, & ſtatum hominum nunc in terra aut non cogitauerunt, aut non cognouerunt. Placet igitur de iſtis tribus nonnulla dicere, eaque paucisſima & nota, ut ex illis cognitis & conſideratis, innoteſcat magis omnibus iſta noſtra ueritas Chriſtiana. Sacrificiũ CHRISTI in cruce, præfiguratum fuit per omnia ſacrificia præcedentia, iam inde ab initio mundi: pæcipuè autem per ſacrificium expiationis, quod erat ſolennisſimum, & fiebat ſemel in anno. Vnde Apoſtolus ad Hebræos de illo ſpecialiter dixit, In ſecundo autem (uidelicet in tabernaculo quod dicebatur ſancta ſanctorum) ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua & populi ignorantia, &c. atque ſtatim Saluatorem noſtrum introduxit, dicens, CHRISTVS aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id eſt, non huius creationis. Neque per ſanguinem hircorum, aut uitulorum; ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, &c. Sacrificium autem illud expiationis ſic ſe habebat, quòd cùm alia ſacrificia pro peccato fierent ad purgationem aliquarum perſonarum uel alicuius in ſpeciali ab immundiciis: hoc fiebat ſemel in anno, decima die menſis ſeptimi, & ad purgationem generalem, quæ tangebat totum populum, ac ſacerdotem ipſum offerentem. Offerebatur autem in hoc ſacrificio uitulus & hircus, quorum ſanguis à ſummo ſacerdote ferebatur intra ſanctum ſanctorum: carnes uerò non comedebantur ab offerentibus, quia etiam erat hoſtia pro peccato ſacerdotum: propter quòd carnes extra caſtra comburebantur. Quamobrem Apoſt. huius ſacrificij mentionem faciens, & illud in Saluatore noſtro completum oſtendens, dicit iterum ad Hebræos, Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato, in ſancta per Pontificem: horum corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & IESVS, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Ideo igitur dies paſsionis CHRISTI, & ſacrificium illud, dicuntur & fuerunt dies & ſacrificium expiationis: uidelicet generalis, quia & totius mundi, quantum ad ſufficientiam. Et ita debet conſiderari illud ſuffi-

Qualitas ſacrificij Chriſti in cruce.

Fuit ſacrificium expiationis. Hebr. 9.

Ibid.

Leuit. 14.

Leuit. 16.

Niſi quòd Chriſtus non obtulit pro ſe ipſo, ſed pro nobis. Hebr. 13.

cientiſsimum & acceptatiſsimum ſacrificium CHRISTI in cruce peractum: quia ita nobis illud repræſentat Apoſt. ut conſtat ex eius dictis ſtatim allegatis. Officium autem CHRISTI modò in cœlo, nobis etiam diuinæ ſcripturæ declarant, non minus. Dicit enim idem Apoſt. Et alij quidẽ

Hebr.7. plures facti ſunt ſacerdotes idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper uiuens

Officiũ Chriſti nunc in cœlo.

Hebr.9. ad interpellandum pro nobis. Non enim in manufacta ſancta IESVS introiuit, exemplaria uerorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc uultus Dei pro nobis. Ita etiam &

1. Ioã. 2. Ioannes Apoſt. ait, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Ecce CHRISTVS non prohibitus morte, ſed uerè reſuſcitatus, ſempiternum habet ſacerdotium: ſemperque uiuit ad interpellãdum pro nobis, unde & ſaluare in perpetuũ poteſt, atq; apparet uultui Dei pro nobis, ſicut tradit Pau. Et Ioan. dicit ipſum eſſe noſtrum aduocatum apud Patrem, & propitiationem pro peccatis noſtris: nec ſolùm dicit CHRISTVM, noſtrum aduocatum & noſtram propitiationem fuiſſe, ſed, quod animaduerſione, atque obſeruatione dignum eſt, & in præſentia eſſe dicit. Fatetur enim, quòd, habemus aduocatum Dominum noſtrum Ieſum CHRISTVM, & quòd ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Status autem hominum, præſertim Chriſtianorum, in terra, eſt quaſi etiam nunc duret dies paſsionis CHRISTI, & ſacrificij in cruce peracti: quia totum hoc tempus, quouſque ipſe ſecundò appareat omnibus expectantibus, in ſalutem; eſt tempus propitiationis, & ſemper CHRISTVS officium ſacerdotis exercet, uel per nos offerendo, uel alio modo, continuando actum interpellandi, & ſeſe atque ſua uulnera pro nobis uultui Patris oſtendendi. His igitur de cauſis uoluit CHRISTVS & ſtatuit nobiſcum, ut quemadmodum ipſe etiam nunc in cœlo continuat ſuum ſacerdotis officium, pro nobis interpellando, ſe immolatum ac oblatum oſtendendo, & pro nobis propitiando: ita & nos etiam nunc in terra, qui ſacerdotes eius ſumus, continuemus ſuum ſacerdotis offi-

Status hominũ nũc in terra.

Totum iſtud tempus eſt quaſi dies expiationis.

cium,pro nobis ipſis ipſummet offerendo, & quodam modo mirabili, unitatem atque continuationem diei expiationis oſtendendo, in quo eadem offertur hoſtia modo incruento, in memoriam illius & eiuſdem hoſtiæ quæ olim oblata fuit modo cruento.

Ergo non magis derogat ſacrificio in cruce peracto, noſtra eius in Miſſa oblatio: quàm illi ſacrificio in cruce peracto, deroget ipſius CHRISTI nunc in cœlo pro nobis interpellatio, aduocatio, propitiatio. Offertur CHRISTVS pro nobis in hoſtia. Sed quid facit ipſe CHRISTVS pro nobis in hoſtia? Quod facit in cœlo: quia idem omnino eſt realiter in cœlo, & in hoſtia, qui fuit in cruce, & qui fuit in utero ſacratiſsimæ Virginis, matris ſuæ ac Dominæ noſtræ. Quid facit ipſe CHRISTVS in cœlo pro nobis? Duo illi Apoſtoli prædicti explicant ſatis. Interpellat, aduocat, propitiatur. Hæc eadem in hoſtia conſecrata & oblata, hæc facit in Miſſa. Dies expiationis eſt. Audiamus quid patres hac de re ſpecialiter dicant.

AMBROSIVS.

Ambroſius in de Officiis dicit, Nunc CHRISTVS offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſsionem: ſed offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, hîc in imagine, ibi in ueritate; ubi apud Patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit. Hîc autem ſe offert etiam ut ſacramento exiſtens per ſuos miniſtros, in cœlis uerò, per ſeipſum. Hæc ille. Lib. 1. cap. 10.

THEOPHILACTVS.

Theophilactus in ſuis commentariis circa illud, Ac plures quidem illi facti ſunt ſacerdotes, quandoquidem per mortem permanere uetabantur. Hic uerò quia manet in ſempiternum, nunquam præteriturum ſacerdotium habet. dicit, Excellentiam hîc indicat, quam CHRISTVS habet ſuper legis pontifices: illhic, inquiens, multi ſunt, eo quòd mortales ſunt: Hîc uerò unus eſt, eo quòd ſit immortalis. Habet igitur ſacerdotium quod nõ prætereat, hoc eſt, quod Hebr. 7.

non præcidatur, nec ſucceſsionem recipiat. Animaduertis tantò maiorem eſſe CHRISTVM, quantò immortale præſtantius eſt mortali. Et circa illud, Vnde & ſeruare poteſt perfectè, accedentes per ipſum ad Deum. ait, Quia, inquit, immortalis eſt, poteſt omnibus præeſſe, ac ſeruare ad perfectum. hoc eſt, non temporariam ſalutem impertiri, ſed enim perfectam: tam hîc, quàm in futura uita. Siquidem in ueteri teſtamento pontifex etiam ſi præclarus & omnibus admirationi eſſet, illo tamen ſolum modò tempore offerebat, quo Pontifex erat, uelut Samuel, & illius modi: poſt hac autem, non item: morte nanque impediebantur. Hic autem ſempiternus, ac nunquam non uiuens eſt Pontifex: Igitur perfectè etiam ſeruare æternum poteſt accedentes per ipſum, hoc eſt, per fidem in ipſum. Nam qui in filium credit, omnino ad Patrem accedit: nam ipſe eſt uia ad Patrem, quam qui appræhenderit, ad Patrem diuertit. Et circa illud, Semper uiuens, ut intercedat pro ipſis. inquit, Propter carnem adeo humiliter hoc dictum eſt, Secundum carnem enim Pontifex eſt ſanè: quatenus autem Pontifex eſt, eatenus intercedere dicitur. Porrò mortuos excitans & uiuificans, inſtar Patris: quomodo iam ubi conſeruare eum conuenit, interpellat? Qui omne iudicium habet, quomodo intercedit? Qui emãdat angelos, ut hos quidem in caminum iniiciant, illos uerò conſeruent? Propter humanam igitur naturam hoc dictum eſt, quòd intercedat. Condeſcendens enim atque attemperans ſeſe auditoribus Paulus, Ne metuatis inquit, neque dicatis, Ne amat quidem nos, & fiduciam habet ad Patrem, ſed non ſemper poteſt curam gerere noſtri, ne hoc dicatis. Viuit enim, & ſemper pontificium opus pro nobis perficere poteſt. Hæc ille. Docet autem in iſtis, Saluatorem noſtrum ſemper quidem, & quodam modo ſemper opus ſacerdotis exercere: nec in ſuo ſacerdotio ſucceſſores habere, in quibus ſuum ſacerdotium conſeruetur, quaſi non in illo: ſed in illo maximè qui interpellat pro nobis, & in nobis qui offerimus in perſona illius, atque in quibus principaliter offert ipſe.

Ibid.

Gloſſa

Glossa Interlinearis.

Gloſſa Interlinearis circa illud, Ad interpellandum pro nobis. dicit, Repræſentatione ſui. Ex ea enim natura, qua pontifex eſt, id eſt, humana, quam cœlis intulit, interpellat pro nobis. Et circa illud, Vt appareat nunc uultui Dei pro nobis. ait, Vt pro nobis interpellet, & poſt ſe trahat. Hebr. 7. Hebr. 9.

Nicolavs Lyranus.

Nicolaus Lyranus poſtquam dixit cum Apoſtolo, quòd Christvs manet in æternum, quòd ſempiternum habet ſacerdotium, & quòd ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum: in quibus ſatis oſtenditur ipſius Christi auctoritas, excellentia, & dignitas. circa illud, Ad interpellandum pro nobis. ita docuit, Quia licèt tantæ excellentiæ ſit, ſicut dictum eſt; tamen ex ſua pietate eſt aduocatus noſter, ſecundum quòd dicitur, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Christvm. Interpellat enim pro nobis in corpore, quod pro nobis aſſumpſit: ipſum Patri repræſentando: ſimiliter in anima, per ipſam naturale deſiderium de noſtra ſalute exprimendo. Et circa illud, Vt appareat nunc uultui Dei pro nobis. ita interpretatur, Sicut enim Pontifex legis intrabat ſancta ſanctorum, ut appareret coràm propitiatorio, quod erat quaſi ſedile Dei: ſic Christvs quantum ad humanitatem intrauit cœlum. Non ad hoc quod uideret faciem Dei patris de nouo, quia uidit eam ab inſtanti conceptionis: ſed quia eius humanitas de nouo translata fuit ad cœlum, ubi facies Dei clarè uidetur à beatis. Vt per hoc coràm Deo Patre pro nobis interpellet, repræſentando humanitatem, quam aſſumpſit pro nobis. Hæc ille. Hebr. 7. Ibid. 1. Ioã. 2.

Rvardvs Tapper.

Ruardus Tapper in explicatione articulorum, circa iſtam ueritatem, quædam ex diuo Chryſoſt. adducendo, & quæ- Art. 16. tom. 2.

dam ex ſuo penore addendo, dicit inter alia, Et beatus Chryſoſt. Non'ne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et una eſt hæc hoſtia, non multæ: quia ſemel oblata eſt in ſancta ſanctorum: noſtrum autem ſacrificium exemplar eſt illius. Illius, inquam, quod ipſe nunc in cælis offert; hoc enim per nos præſentari & offerri iuſsit, ſicut in cœlis ſe præſentat. Fungitur nanque ſacerdotis officio, ubicunque corporaliter adeſt. Sempiternum enim habet ſacerdotium ſemper uiuens ad interpellandum pro nobis: etiam ubi ſub aliena ſpecie, ſicut in ſacramento occultus latet. In quo functionem ſacerdotij ſecundum ordinem Melchiſedech, quod ſempiternum ait Apoſt. Paulus, conſiſtere diximus ſecundum Theophilactum & Oecumenium. Hæc ille.

ORIGENES.

Hom. 9. Origenes ille antiquus ſuper Leuiticum, latè proſequitur, quòd Apoſt. Paulus ſacrificio illo expiationis antiquo, tanquam umbræ ueritatem, applicat conſummationem ſanctiſsimæ uictimæ crucis: dicens quòd CHRISTVS fuſo ſanguine in cruce, per proprium ſanguinem ingreſſus eſt non in manufacta ſancta, ſed in ipſum cœlum, ut appareat uultui Dei quaſi propitiatoriè pro nobis, donec ſecundò ſine peccato appareat omnibus ſe expectantibus in ſalutem. Ibique interpretatur diem propitiationis nobis manere, donec Sol occidat: ideſt, uſque quo mundus finem accipiat. quod Apoſtolus dicit, Donec ſecundò appareat omnibus, &c.

CHRYSOSTOMVS.

Hom. 21. in Acta Apoſt. Diuus Chryſoſtomus illud tempus oblationis, in quo CHRISTVM in ſancto ſacramento habemus, conſiderabat olim tanquam tempus propitiationis, gratiæ, ueniæ, atque indulgentiæ: unde dicit, Sicut enim ſedente rege, quæcunq; quis uoluerit, perficit: ubi ſurrexit, quæcunque dicit, fruſtrà dicit: Ita & tunc, quamdiu propoſita fuerint myſteria,

omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim, Annuntiatur tunc ſacramentum horrendum, quod pro mundo dedit ſeipſum Deus, cum illo miraculo tempeſtiuè memor eſt ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando regum trophæa ſtatuuntur, tunc celebrantur quidem, & quicunque uictoriæ ſocij fuerunt, dimittuntur autem qui ſunt in uinculis per illud tempus. Vbi autem tranſierit hoc tempus, qui nihil aſſequutus eſt, nihil obtinet. Ita ſanè & hic trophæorum & celebrandæ uictoriæ tempus eſt. Quoties enim, inquit, manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis. Hæc ille. Ecce totum hoc tempus eſt quaſi dies illa, expiationis, miſericordiæ, ueniæ.

Nulla igitur eſt ratio, nulla cauſa, nulla occaſio, nulla apparentia, qua hoc diuinum ſacrificium Miſſæ, deroget, aut derogare dicatur illi diuino ſacrificio crucis. Hoc enim quãtum ad hoſtiam & uictimam realiter eſt idem cum illo: & hoc eſt profectò memoratiuum illius, ſignificatiuum, atque memoriæ noſtræ ſubſidium. Vnde ergo poterit habere, quo illi deroget? Quidem ex nulla parte. Ex nulla enim parte poteſt eſſe contrarium, quod ex omni parte conſentaneum eſt, & amicum. Ex omni autem parte eſt amicum Miſſæ ſacrificium, crucis ſacrificio, ut ex dictis conſtat.

Quid eſt derogare? Profectò, derogo, idem eſt quod, alicui rei aliquid detraho, uel auctoritatem, aut exiſtimationem diminuo. Vnde derogare legi, eſt aliquid de lege diminuere, uel detrahere. Sicut abrogare legem, eſt legem omnino tollere & damnare. Huius uerò antitheton eſt arrogare, quod eſt, auctoritatis aliquid aut fidei, alicui attribuere. Ita enim ſemper omnes ſapientes acceperunt hæc uerba, derogo, abrogo, arrogo: ut ſemper intelligerent, & in ſuis ſcriptis indicarent, iſta uerba ita ſignificare. Ergo, cùm ſacrificium Euchariſtiæ nihil detrahat ſacrificio crucis, nec eius auctoritatem aut exiſtimationem diminuat: quidem per conſequens, non derogat illi. Quod uerò ſacrificium Euchariſtiæ nihil detrahat ſacrificio crucis, nec eius auctoritatem uel exiſtimationem minuat, ſatis conſtat ex dictis: Sunt enim unum & idem realiter, quantum ad hoſtiam ſeu uictimam: atque iterum, ſacrificium Euchariſtiæ

eſt ſacrificij crucis memoratiuum, illiusq́ue in noſtram memoriam (ut noſtri aiunt) reductiuum, & in eius amorem inflammatiuum. Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Hoc facite in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec ueniat.

Pſal 110.
Lucæ 22.
1.Cor.11

Quiſquis ergo ille fuerit, qui dixerit ſacrificium Euchariſtiæ derogare ſacrificio crucis: illum oportet oſtendere quòd ſacrificium Euchariſtiæ ſacrificio crucis aliquid detrahat, uel auctoritatem eius, aut exiſtimationem diminuat. Quod ſi non oſtenderit; ſicut profectò nec nullus hominum, immo etiam nec ullus Angelorum unquam oſtendet, taceant omnes, minimè hiſcant, & nemo audeat contra ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacrificium blaſphemare. Blaſphemat nanque contra ipſum, qui dicit illud ſacrificio crucis derogare: cui profectò ſacrificio crucis, ſacrificium Euchariſtiæ maximè eſt amicum, maximè ſimile, & idem realiter quantum ad uictimam ſeu hoſtiam.

Quinimmo ſi ſacrificium Euchariſtiæ circa ſacrificium crucis aliquid faceret, quidem non ei derogaret, ut conſtat ex dictis; quin potius (quod bono ſenſu dicimus) ei arrogaret: non quidem quòd ei aliquid attribuat auctoritatis per additionem, cùm ſacrificium crucis tantæ auctoritatis ſit, ut non poſsit ei ulla fieri acceſsio, in eo genere: utpote quòd infinitam habuit uictimam, infinitamq́ue hoſtiam, infinitum ualorem, infinitam auctoritatem: ſed utique in eo, quòd ſacrificium Euchariſtiæ commemorat continuò ſacrificium crucis, fidem eius atque amorem excitat, homines in affectionem illius quodammodo inflammat, & tandem merita eius, uirtutem, fructum, ſeu effectum modo quodam ſpeciali nobis applicat, ſeu communicat. Omnino ſicut diuina ſacramenta omnia. Vnde igitur omnibus conſideratis, ſacrificium Euchariſtiæ nullo modo ſacrificio crucis derogat; quin potius, prædictis modis ei arrogat. Sicut enim meritum paſsionis Christi applicatur nobis per ſacramenta noſtra diuina, ita applicatur nobis per hoc mirabile ſacrificium: quod ſimul eſt ſecundum rem, & ſa-

crificium, & ſacramentum. An ſacramenta noſtra derogant ſacrificio crucis? Abſit. Quin potius ei arrogare, & illud quodammodo commendare uidentur, eiusque ualorem, uirtutem, atque efficaciam adſtruere.

Eadem ueritas magis, magiſq́; in lucem protrahitur. CHRISTI paßionem ſemper poſt Adæ peccatū, ad ſalutem fuiſſe neceſſariam, probatur. De unione hominis ad CHRISTI paßionem. Sacramenta noſtra quæ nam ſint inſtrumenta, qui effectus & qui fructus. Quot nomenclaturis, epithetisq́ue ſancti Patres Miſſæ ſacrificium appellauerint. CAP. IIII.

Lucefcet magis iſta ueritas, & abundè magis in mentes omnium illabetur, radiosq́ue claritatis ſuæ ac ſplendorem, & fulgorem in eas effundet, ſi ipſam Domini paſsionem, noſtra diuina ſacramenta noſtrumq́ue diuinum ſacrificium Miſſæ, in ordine ad illam, conſideremus. Quantum autem ad ipſam ſaciam paſsionem Domini pertinet, ea poſt peccatum ſemper fuit hominibus ad iuſtificationem pacis & ſalutem neceſſaria, ſemperq́ue ſufficiens; etiam quando ſolùm præuidebatur, antequàm exhiberetur. Neque ullo modo de ſua neceſsitate aut ſufficientia, apud Chriſtianos uiros poteſt dubitari; unde de hac re, modò latius non agimus. Huius autem ueritatis alia comes eſt non minus credenda, ea eſt, Quòd paſsio CHRISTI illis omnibus & ſolis profuit quouis tempore, in remiſsionem peccatorum & iuſtificationem, qui ſibi certo modo coniungerentur, aut copularentur: quia ad nullum alium niſi ad coniunctos ſeu copulatos ſibi diffudit unquam ſuum fructum ſalutis & iuſtificationis à peccatis. Quo enim iure, aut qua ratione, communicaret iuſtum fructum ſuum mirabilem, non coniunctis nec copulatis ſibi hominibus? Hinc eſt, quòd ſemper poſt peccatum fuit neceſſaria hominibus fides CHRISTI, explicita, uel ſaltem implicita, ut in par. 1.
Quadripertita iuſtitia oſtendimus: nec eſt aliud nomen ſub lib. 6.
cœlo, in quo oporteat ſaluari nos. Quod ita ſcriptum, Act. 4.
ex illo tempore ualet ad ſaluandum genus humanum, ex

Auguſt. cap. 7. tomo. 7. Magiſter lib. 3. diſt. 25.

quo in Adam uitiatum eſt: ut bene confeſſus eſt Auguſtinus, in De Corrept. & gratia. De qua ueritate etiam multa dicit Magiſter ſententiarum, ex diuinis ſcripturis, & ſanctis patribus.

Neceſſaria fuit igitur hominibus poſt peccatum, copulatio, unitas, uel coniunctio eorum ad CHRISTVM & paſsionem eius, ut ex illa fructum hunc talem ac tantum adipiſcerentur. Nec de hoc aliquo modo dubitandi ratio ulla aut facultas exiſtit. Eſt autem hæc differentia, quòd paſsio CHRISTI antequàm eſſet in re exhibita, eo tempore quo erat ſolùm futura & præuiſa, coniungebatur ſeu copulabatur hominibus, uel homines coniungebantur ſeu copulabantur ei, per ſolos actus interiores ipſorum hominum: quo ſolo modo, naturaliter loquendo, poſſumus copulari, uniri, aut coniungi rei futuræ, quæ nec eſt, nec fuit. Rei enim futuræ, quæ nõdum eſt, nec unquam fuit, poſſumus copulari, ſeu uniri per actus animæ interiores; ut per fidem, ſpem, amorem, per intellectum, aut uoluntatem; intelligendo, credendo, ſperando, diligendoque illam. Non poſſumus tamen ei copulari per aliquas res exteriores, aut per uſum earum: quia res exteriores huiuſmodi, non ſunt aptæ natæ tangere niſi res quæ ſunt, aut ſaltem aliquando fuerunt: unde nec poſſunt eſſe medium, quo nos illis copulemur, aut uniamur. Ex iſta ueritate nota, deducendo argumentum à corporalibus, ſeu naturalibus; ad ſpiritalia & ſupernaturalia, probarunt patres, & ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis ſuaſerunt, quòd antiqui olim ante aduentum Saluatoris noſtri non coniungebantur paſsioni eius, niſi per actus animi interiores, nec ab illa iſtum fructum recipiebant, niſi per eos interiores animi actus, fidem, ſpem, charitatem, obedientiam, & ſimilia: uel etiam per exteriora ſua opera, quæ in fide & charitate exercebant. Negantes per hoc, aliquod tunc fuiſſe ſignum ſenſibile, quod eſſet uerum ac proprium ſacramentum, conferens gratiam ex opere operato: per quod illi antiqui, paſsioni CHRISTI ex opere operato unirentur, coniungerentur, aut copularentur. Sic etiam ex eadem aſſertione docuerunt, omnia cæremonialia ueteris legis, tam ſacramenta, quam ſacrificia, & è contra, fuiſ-

S.Tho. par. 3. qó. 62. art. 6.

ſe ſolùm ſigna gratiæ, atque iuſtitiæ, non autem cauſam per ſe, nec inſtrumentalem: pro inconuenienti habentes, ſiquis diceret, quòd paſsio Christi, quæ nec tunc erat, nec unquam fuerat, haberet inſtrumenta realia conferendi gratiam, qualia ſunt omnia ſacramenta, quæ ex opere operato gratiam conferunt. Vt pote quòd talia inſtrumenta non ſolemus tribuere, niſi rei quæ eſt uel ſaltem aliquando fuit. Poſtquàm autem paſsio Christi poſita eſt in re, iam poteſt uniri aut continuari, copulari aut coniungi homini, uel homo illi, non ſolùm per actus noſtros interiores, quin etiam & per uſum exteriorum rerum: quia iam tanquam res uerè exiſtens, poteſt habere inſtrumenta ſenſibilia ſuæ ſpiritalis operationis; quæ ſuo modo inſtrumentali, id efficiant intus, quod repræſentat foris.

Sacramenta igitur noſtra diuina noui teſtamenti, ſunt inſtrumenta paſsionis Christi, per quæ coniungimur ei, & per quæ illa communicat nobis iſtum ſuum fructum iuſtificationis à peccato. Hoc docuit Apoſtolus, dicens, Saluos nos fecit per lauachrum regenerationis & renouationis. Ad Tit. 3. Per lauachrum regenerationis. baptiſmum intellexit, & illi eam notam, Per. præpoſuit, quæ ſemper notat in ſuo caſuali aliquam cauſalitatem uel aliquod primordium ut infrà dicitur latius, Et ſic profectò iam habemus duos modos, quibus paſsioni Domini unimur, & ab ea fructum reportamus: quia per actus noſtros, & per diuina ſacramenta. Auguſtinus iſtam cauſalitatem inſtrumentalem ſacramentorum nouæ legis erga gratiam iuſtificantem formaliter, & creatam & inhærentem recognoſcens, ita definiuit in libro De corpore Christi, Sacramentum eſt per quod ſub tegumento rerum uiſibilium, diuina uirtus ſecretius ſalutem operatur. Et contra Fauſtum dicit, Hæc omnia, ſcilicet ſacramentalia, fiunt & tranſcunt; uirtus autem, ſcilicet Dei, quæ per iſta operatur, iugiter manet. Vtrobique explicans illam notam, Per. ſemper ſignificans quòd uirtus Dei & paſsio Christi operantur per ſacramenta noſtra, tanquam per inſtrumenta ſua, ſalutem, gratiam, & iuſtificationem hominis. Ex iſta excellentia noſtrorũ ſacramentorum ſupra ſacramenta antiqua, Auguſtinus ſuper pſalmos

Auguſt. in lib. de corpore Chriſti.

Auguſt. contra Fauſtũ. lib. 19.

Super tit. Pſal. 73. Lib. 19. poſuit differentiam inter antiqua ſacramenta & noua, docens quòd illa ſignificabant & promittebant, noſtra autem dant ſalutem. Hinc etiam contra Fauſtum dicit, quòd ſacramenta ueteris legis ſunt ablata, quia impleta: & alia ſunt inſtituta, uirtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Idem quod Auguſtinus, dicunt omnes doctores catholici, iuxta diuinas ſcripturas myſterium ſacramentorum nouæ legis conſiderantes. Sed de hac ueritate, ut iam dixi, infra fuſius.

Sunt etiam ſacramenta noſtra nouæ legis, effectus quidem paſsionis, & ſacrificij illius mirabilis in cruce peracti: ab illoque habent uirtutem, efficaciam, & ualorem ex opere operato, ſeu cauſalitatem illam inſtrumentalem & efficacem. Sunt inquam; effectus paſsionis & ſacrificij in cruce peracti, atque ſunt per conſequens quidam fructus eius, licet non ſint illud ultimum, quod expectatur aut recipitur ab illo. Auguſtinus in De ciuitate Dei, loquens de oſtio arcæ Noë, dicit, Illud eſt uulnus, quando latus Crucifixi lancea perforatum eſt. Hac quippe ad illud uenientes ingrediuntur: quia inde ſacramenta manarunt, quibus credentes initiantur. Gloſſa etiam ſuper illud, Qui eſt forma futuri. ait, Sicut ex latere illius, id eſt, Adæ dormientis, ſumpta eſt coſta, unde formata eſt Eua; ſic ex latere iſtius, id eſt, CHRISTI, fluxerunt ſacramenta: aqua ſcilicet ablutionis, & ſanguis redemptionis, per quæ ſaluatur Eccleſia. Vnde S. Thomas cum mouiſſet quæſtionem, Vtrùm ſacramenta nouæ legis habeant uirtutem ex paſsione CHRISTI? reſpondit ſecundum partem affirmatiuam, quòd ſic: & eandem ueritatem, bene, abundeque probauit. Gabriel Biel etiam quærit, Vnde habent ſacramenta efficaciam, An ex inſtitutione, uel à CHRISTI paſsione? Soluit autem quæſtionem, dicens, Reſpondetur breuiter, quòd ſacramenta ex tribus habent efficaciam, non tamen omnimodè: habent enim efficaciam ex Deo, tanquam à cauſa principali inſtituente: à paſsione CHRISTI, tanquam ex cauſa prima efficaciam merente: & à fide Eccleſiæ, cauſam minus principalem cauſæ principali continuante. Idem auctor ibi quoad primum & ſecundum horum trium, dicit non nulla, quæ omitto breuitatis

Auguſt. lib. 15. cap. 26. tom. 5.

Gloſſa Rom. 5.

S. Tho. par. 3. qō. 62. art. 5.

Gabriel. lib. 4. diſt. 1. qō 2. art. 3. dubio 3.

uitatis

tilitatis cauſa. Quo ad tertium autem inquit, Concurrit etiam fides Eccleſiæ. Nam ad efficaciā ſacramentorum requiritur etiam fides Eccleſiæ dum miniſtrantur, per quam ſacramenta aliquo modo continuantur paſsioni CHRISTI, tanquam cauſæ minus principales ſiue inſtrumentales cauſæ principali meritoriæ, & Deo tanquam cauſæ principaliter efficienti: & per hoc dicitur ſacramentorum efficacia aliquo modo eſſe à fide Eccleſiæ. Hæc ille. Quæ ipſe in eodem loco tribuit Sco. Tho. Rich. ut explicat.

Ergo ſacramenta noſtra, ſunt inſtrumenta, effectus, & quodam modo fructus Dominicæ paſsionis, ſacrificijque in cruce peracti: eodemque modo noſtrum ſacrificium ſenſibile Euchariſticum; quia ipſum ſecundum rem etiam eſt ſacramentum, ut conſtat ex dictis; & propter multas alias rationes. Ita igitur deducendo, ſicut inſtrumentum non poteſt derogare ſuo principali agenti, nec effectus, ſuæ cauſæ, nec fructus arbori: ſic noſtrum ſacroſanctum ſacrificium Miſſæ, nullo modo poteſt derogare ſacrificio crucis. Hæc eſt Theologia uera, antiqua, & utique catholica ſeu uniuerſalis omnium doctorum uerè fidelium, à qua recedere nulli licet. qui uerò nunc ab ea recedunt, utinam ueritatem hanc intueantur, eamque amplexentur.

Ad ueritatem hanc cognoſcendam & mente percipiendam, iuuat non parum conſideratio illorum nominum, quibus ſancti patres, etiam ſanctiſsimi multi, & antiquiſsimi, iſtud diuinum ſacrificium nominauerunt. Nomina enim & ſi ſuo modo imponantur ad placitum; à uiris tamen doctiſſimis, non à caſu, nec ſecundum aliquam fictionem, ſed potius ſecundum rei nominatæ proprietatem imponuntur. Videamus ergo in ſcriptis patrum, quibus ipſi nominibus appellauerint hoc noſtrum diuinum ſacrificium Miſſæ.

DIONYSIVS Areopag.

Dionyſius Areopagita CHRISTI Martyr glorioſus, ita de illo dicebat, ut hæc ſint nomina huius ſacrificij apud ipſum. Sacroſancta & auguſtiſsima myſteria. Venerandiſsima myſteria. Cœleſte myſterium. Sanctæ myſteriorum conſecra- In eccleſiaſtica Hierarc. In epiſt. ad Demophilum.

tiones. Oblatio ſanctiſsimi ſacrificij. Hæc, apud ipſum Martyrem ſanctum leguntur.

CONSTANTINVS Magnus.

Conſtantinus magnus in epiſtola ad Epiſcopos Tiri collectos, Sancta, inquit, debetis offerre myſteria.

EVSEBIVS Pamph.

Lib. 1. cap. 10. Euſebius Pamphili in De demonſtratione Euangelica, Horrorem afferentia menſæ CHRISTI ſacrificia. Deo plenum & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium.

GREGORIVS Naz.

Gregorius Nazianzenus, oratione in Iulianum. Incruentum ſacrificium.

CHRYSOSTOMVS.

Hom. 41. In primâ epiſto. ad Corin. Hom. 18. ibi. Serm. 3. ad Phili. lib. 3. de ſacerdotio. Ioannes Chryſoſtomus, Mortis CHRISTI celebratio. Horrendum ſacrificium. Ineffabilia ſacramenta. Sacra myſteria. Horrenda myſteria. Horrendiſsima myſteria. Celebratio uenerandorum myſteriorũ. Myſterium omnium maximè horrendum, uerendumque. Tremenda myſteria. Tremendum ſacrificium.

THEODORETVS.

Homil. 6. ad Antiochen. Theodoretus Epiſcopus in Exod. Sacrificatio agni Dominici. Oblatio ſpiritalis & myſtici ſacrificij. Oblatio diuini doni. Oblatio diuini myſtici, & ſalutaris ſacrificij.

CYRILLVS.

Cyrillus Epiſcopus contra Neſtorium, Sancti ac uiuifici & incruenti operatio ſacrificij.

IOAN. Damaſcenus.

Ioannes Damaſcenus in uita ſancti Balaami. Tremendũ & impollutum uitaleq; ſacramentum. Incruentum ſacrificiũ.

IGNATIVS Ep. Nicænus.

Sanctus Ignatius Epiſcopus Nicænus in uita ſancti Tharaſij Epiſcopi. Sacrificatio CHRISTI, agni, qui tollit peccatum mundi.

Ecce quæ nomina ſunt, quibus ij ſancti patres, Dionyſius, Conſtantinus, Euſebius, Gregorius Nanzianzenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Cyrillus, Damaſcenus, Ignatius, nominauerunt hoc ſanctum ſacrificium: inter quæ ea ſunt ſpecialiter conſideranda, Sacroſancta & auguſtiſsima myſteria, cæleſte myſterium, oblatio ſanctiſsimi ſacrificij, Deo plenum & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium, mortis CHRISTI celebratio, incruentum ſacrificium, tremendum ſacrificium, ſacrificatio agni Dominici, oblatio diuini myſtici & ſalutaris ſacrificij, ſancti ac uiuifici & incruenti operatio ſacrificij, tremendum & impollutum uitaleque ſacramentum, ſacrificatio CHRISTI, agni qui tollit peccata mundi, oblatio ſpiritalis & myſtici ſacrificij, &c. Profectò, ſacrificium cui ſancti patres talia nomina tribuũt, non poteſt ſacrificio CHRISTI in cruce peracto derogare.

Eſt enim hoc noſtrum ſacrificium Euchariſticum, utique propitiatorium. Verum non ſic, quaſi nobis aliquid recens mereatur, quod nobis ſacrificium crucis non meruerit. Sed ſic, quòd nobis meritum paſsionis CHRISTI conciliat atque applicat.

Concluſio unica eademq́ue mox bifida, ad Articulum tertium, probatur; atque optimè demonſtratur, CHRISTVM *bis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. Apoſtolos effeciſſe ſacerdotes, ut in Miſſa conſecrarent; & corpus ſanguinemq́ue ſuum offerrent. Ex forma qua Apoſtoli cooptati, & inaugurati ſunt ſacerdotes, an & poteſtas conſecrandi, & abſoluendi, inſimul tributa ſit.* *CAP. V.*

TErtius articulus unam duntaxat concluſionem ſortitum fuit, ut iam uidimus lib. primo. Ea eſt, CHRISTVS Saluator noſter, illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. ordinauit ut Apoſtoli offerrent corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa.

Iſta concluſio in ſenſu quem efficit, & quem præ ſe fert ratione ſuorum terminorum, ſecundum eorum propriam ſignificationem; eſt ita plana, uera, & nota, ut nemo ſapiens Chriſtianus iure de ea dubitandi ullam habeat facultatem. Accipiendo enim illa uerba Domini, Hoc facite in meam commemorationem & cogitando, quid dicant, aut ſibi uelint; ſatis eſt manifeſtum, quòd uel celebrationem Euchariſtiæ in Eccleſia inſtituunt; uel poteſtatem ſacerdotalem conferunt, ad offerendum ſeu cōſecrandum; uel ſunt præceptiua operis aut ordinis in ordine ad finem, uel quidem habent hanc triplicem uim. Hi ſunt modi, quibus, ut uidetur, ipſa uerba Domini intelligi poſſunt. Quocunque autem horum modorum intelligantur, ſemper habetur, quòd Dominus ea uerba proferens, ordinauit per ea, ut Apoſtoli offerrent corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa: ſiue intelligantur ut inſtitutoria celebrationis, ſiue ut collatiua poteſtatis ſacerdotalis, ſiue ut præceptiua operis aut ordinis, ſiue ut hanc triplicem uim habentia. Nam ex quo CHRISTVS, inter cœnandum cum duodecim Apoſt. ſuis, accepit panem, benedixit, fregit, conſecrauitq́; dicens, Hoc eſt corpus meum, Apoſtolis ſuis tradidit, & tandem eis ſtatim dixit, Hoc facite in meam commemorationem. in eo intellexerunt patres ſemper iam inde ab exordio naſcentis

Eccleſiæ, duo : Alterum eſt, quòd CHRISTVS dicens Apoſt. Hoc facite in meam commemorationem . ordinauit ut Apoſtoli & eorum ſucceſſores in ſacerdotio, acciperent panem & uinum, ſicut ipſe fecerat, benedicerent, gratias agerent, frangerent, conſecrarent, & aliis traderent : Alterum eſt, quòd ita facere, eſt corpus & ſanguinem ſuum afferre. Ita ergo intellexerunt ſemper omnes, ſiue CHRISTVS obtuliſſet in cœna, ſiue non : ſiue per hæc uerba inſtituiſſet illos ſacerdotes, ſiue non. Tanquam in eo quod CHRISTVS dixit Apoſtolis, Hoc facite in meam commemorationem. id eſt, in meam commemorationem facite quod ego feci, accipite panem, benedicite, frangite, dateque aliis, Hoc eſt corpus meum : eo ipſo ordinaſſet, quòd illi corpus & ſanguinem ſuum ita facientes, offerrent. Quaſi eos ita facere, eſſet offerre.

Non eſt igitur, nec poteſt eſſe dubia iſta concluſio, quia loquitur per uerbum ampliſsimum & communiſsimum, quale uerbum eſt illud, ordinauit. Quandoquidem, ut conſtat & per ſe, & ex dictis, per hæc uerba ordinauit CHRISTVS ut Apoſtoli offerrent corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa : ſiue CHRISTVS dicatur obtuliſſe in cœna, ſiue non : ſiue dicatur per hæc uerba dediſſe Apoſt. poteſtatem offerendi, ſiue non. Si qui enim aliquando putauerunt CHRISTVM in cœna non obtuliſſe, aut CHRISTVM nequaquam per iſta uerba Apoſtolos in ſacerdotes ordinaſſe, aut promouiſſe : nullus tamen in Eccleſia Dei Catholicus putauit unquam, non ordinaſſe CHRISTVM per hæc uerba, ut Apoſt. offerrent ſuum corpus & ſanguinem.

Sed quæſo, quid dicendum, ſi illud uerbum, Ordinauit, ita intelligatur uel accipiatur, ut dicat concluſio, quòd CHRISTVS, illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. ordinauit, id eſt, Apoſtolis dedit poteſtatem, ut ipſi offerrent corpus & ſanguinem ſuum in Miſſa ? Alia eſt quæſtio, ad quam dico nihilominus per ſequentes concluſiones. Prima eſt, CHRISTVS ordinauit, fecit, creauit, aut inſtituit Apoſtolos ſacerdotes, his uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. Secunda eſt, CHRISTVS id fecit in cœna nouiſsima. Iſtæ duæ concluſiones ſic ſunt colli- Chriſtus in cœna fecit Apoſto. ſacerdotes, il-

lis ṽbis, Hoc facite, &c. gatæ, inuicem, ut ſe mutuò aſtruant probentque. Quia re uera, Si CHRISTVS id fecit in cœna, id fecit per hæc uerba, Hoc facite in meam commemorationem. cum non ſint nec fuerint ibi alia, per quæ poſsimus dicere id fuiſſe factum. Rurſus, Si CHRISTVS id fecit per hæc uerba, id fecit in cœna: cum non legamus, quòd ea uerba dixerit alibi. Siue igitur ad probationem unius procedamus, ſiue ad probationē alterius; ambas probamus ſimul. Et hinc eſt, quòd uel ut plurimum, uel ſaltem aliquando, ad primam uel ad ſecundam forte procedemus indiſcriminatim, & probationes frequenter fortaſsis erunt eædem.

Prior igitur concluſio, id eſt, quòd CHRISTVS fecit Apoſtolos ſacerdotes, his uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. probatur primùm ex uerbis ipſis comparando illa ad factum CHRISTI, in quo erat, uel ſtatim fecerat. CHRISTVS enim in cœna obtulit, ut conſtat ex dictis ad primum articulum, quibus iſta ueritas monſtrata eſt: ſed ſtatim poſt factum, uel cum adhuc eſſet in illo, dixit Apoſtolis, Hoc facite in meam commemorationem. præcipiens eis ut id ipſum facerent, & oſtendens eis quòd ipſe faciebat. Ergo ita dicens, dedit eis poteſtatem illud faciendi, quia aliàs ſuperfluum & impoſsibile eſſet mandatum. Ne autem quiſpiam ſubterfugiat, dicens, quòd tunc quidem CHRISTVS imperauit, ſed aliàs poteſtatem dedit. Secundò probatur eadem concluſio, ex ipſis uerbis in ſeipſis conſideratis, Tum, quia Saluator noſter erat Deus & homo, ſicut & modò eſt: ob quod habebat poteſtatem auctoritatis, & excellentiæ, qua poterat effectum ſacramenti ſine ſacramento præſtare: qua etiam ualebat poteſtatem conſecrandi & offerendi ſine uerbis ullis, aut in quibus uerbis uellet, & cui uellet communicare. Ergo in illis uerbis talem poteſtatem dedit Apoſtolis. Conſtat eò conſequentia, quia cum CHRISTVS iſtis uerbis illam poteſtatem dare potuiſſet, & illa uerba dixiſſet: nulla omnino eſt ratio, qua dicat quis rationabiliter, quòd in illis uerbis illam poteſtatem non dedit: Tum, quia Saluator noſter ſolitus fuit uel ſemper uel ſæpe & ante paſsionem & poſt, tradere poteſtatem perſonis faciendi aliquid per uerbum imperatiui modi, quod expli-

Probat. 1. / Proba. 2. (margin notes)

caret actû ad quem dabat poteſtatem. Sic enim dixit prius duodecim diſcipulis ſuis, Ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël, Euntes autem prædicate, dicentes, Quia appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. Et mirũ eſt quòd cùm ſacri Euangeliſtæ dicãt, Saluatorẽ noſtrum dediſſe illis duodecim poteſtatem ſpirituũ immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, nulla uerba Domini ponunt, quibus eam poteſtatem illis tribuiſſet, niſi hæc allegata, quibus illos actus per uerbũ indicatiui eis imperauit. Idem Dominus quibuſdam cæcis ab eo uiſum expoſtulantibus dixit, Secundum fidem ueſtrã fiat uobis. Quo loco etiam uſus eſt illo uerbo imperatiui, Fiat. & per hoc dedit cæcis poteſtatem uidendi, ut uiderent. Simili modo poſt reſurrectionem non dixit Petro, Ego do tibi poteſtatem paſcendi oues; nec dixit illi, Accipe poteſtatem paſcendi, &c. Sed dixit ei, Paſce oues meas. In quo uerbo imperatiui, intelligunt omnes doct. catholici, antiquiores, & recentiores, Dominum dediſſe Petro poteſtatem paſcendi oues ſuas. Vt quidẽ illud uerbum fuerit non ſolùm præceptiuum operis paſcendi, ſed etiam collatiuum poteſtatis qua poſſet paſcere. Non ſecus cum diceret Dominus undecim diſcipulis, Euntes ergo docete omnes gentes. Euntes in mundum uniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. in illis uerbis, Docete, Prædicate. dedit eis poteſtatem prædicandi in toto Orbe, ſimul & præceptum: quibus tamen antea dixerat, In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Ille fuit etiã mos Dei Optimi, quem obſeruauit paſſim ſiue in nouo ſiue in ueteri teſtamento, ut dum alicui aliquid imperauit, ad quod peragendum antea poteſtatem non dederat, in illis uerbis imperatiuis, ſub illis, aut per illa, poteſtatem peragendi tribuebat.

Matt. 10.
Ibid.
Matt. 9.
Ioan. 21.
Matt. 28.
Marci 16.
Matth. 10

Tertiò probatur, quia quicquid ſit de poteſtate remittendi aut retinendi peccata, pertinente ad ſacerdotes Domini per reſpectum ad corpus CHRISTI myſticum; ſiue illa ſit eadem realiter cum poteſtate conſecrandi quoad eſſentiam, habitum, ſeu characterem, ſiue non (de qua quæſtio-

ne inferius dicuntur nonnulla) tamen poteſtas conſecrandi pertinens ad ſacerdotes Domini per reſpectum ad corpus Christi uerum, abſque ulla controuerſia doctorum catholicorum, eſt idem realiter cum poteſtate offerendi idem curpus ſacratiſsimum. Eadem enim poteſtas eſt conſecrandi & offerendi in re: ſicut in re, eadem ſacra Eucharistia eſt ſacramentum & ſacrificium. Vnde & ipſa poteſtas eſt, quæ facit homines ſacerdotes quoad eſſentiam ſacerdotij, & integritatem principalem, ut inferius monſtratur; licèt alia dona ſint, quæ etiam pertinent ad ſacerdotium, ſeu ſacerdotes quoad cumulum: ut non ſecus oſtenditur paulò poſt. Quotquot igitur patres dicunt Apoſtolos per hæc uerba factos eſſe ſacerdotes, aut accepiſſe poteſtatem offerendi, uel quidem conſecrandi; probant iſtam concluſionem, quam probare modò nitimur.

D. Thomas.

par. 3. qó. 82. art. 1. S. Thomas dicit, Hoc ſacramentum eſt tantæ dignitatis, quòd non conficitur niſi in perſona Christi. Quicunque autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam. Sicut autem baptizato conceditur à Christo poteſtas ſumendi hoc ſacramentum: ita ſacerdoti, cum ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc ille. Ecce nemo poteſt conſecrare, niſi à Christo recipiat poteſtatem conſecrandi: dum homo ordinatur ſacerdos, accipit hanc poteſtatem, & ponitur in gradu eorum, quibus Dominus dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Ergo Apoſtoli per hoc uerbum Domini, fuerunt poſiti in gradu ſacerdotum. Et notandum eſt, quòd uerbum S. Thomæ eſt formale, & formaliter debet intelligi. Aut ſi Apoſtoli non per hoc uerbum Domini, ſed per aliud fuiſſent poſiti in gradu ſacerdotum: ad quid S. Thomas in iſto loco adduxiſſet illud uerbum Domini, uolens probare ſeu docens, Apoſtolos fuiſſe ſacerdotes per poteſtatem ſibi à Domino traditam, in

quorum

quorum gradu ponuntur, qui nũc in ſacerdotium ordinantur? Ad idem ipſemet doctor ſanctus dicit clarius, Dicendum, inquit, quòd Dominus diſcipulis dedit poteſtatem ſacerdotalem quantum ad principalem actum, ante paſsionem in cœna, quando dixit, Accipite & manducate. Vnde ſubiunxit, Hoc facite in meam commemorationem. Ecce Dominus dicens, Hoc facite in mem commemorationem, dedit poteſtatem ſacerdotalem diſcipulis, quantum ad eius actum principalem, qui eſt conſecrare & offerre; licèt poſt reſurrectionem dederit eis poteſtatem ſacerdotalem quantum ad actum ſecundariũ, qui eſt ligare & ſoluere.

In additionibus ad tertiã partem. qõ.37. art.5. ad ſecundum arg.

CAIETANVS.

Caietanus S. Thomæ fælix diſcipulus, operumque ipſius commentator egregius, manifeſtè dicit quòd illa uerba Domini, Hoc facite in meam commemorationem. habent triplicem uim. Et declarat, dicens, Sunt enim inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia, ut patet. Sunt & collatiua poteſtatis ſacerdotalis ad conſecrandam Euchariſtiã: communiter enim fatemur, per hæc uerba Apoſtolos eſſe ordinatos in ſacerdotes. Sunt & præceptiua non ipſius operis, ſed ordinis ad ſuam commemorationem, &c. Ecce non dubitat aſſerere, quòd, communiter fatemur per hæc uerba, Apoſtolos eſſe ordinatos in ſacerdotes; tanquam hæc eſſet, & uerè ſit communis doctorum confeſsio in Eccleſia & ſchola Chriſtiana.

part.3. qõ.80. art.12.

SCOTVS.

Scotus docet quòd conficere Euchariſtiam, ut cauſa principalis nulli poteſt competere niſi ſoli Deo: conficere autem ut cauſa inſtrumentalis, uel magis propriè ut miniſter, poteſt competere alicui homini: quia ſic Deus ordinauit. Determinando quibus hominibus competat, dicit quòd omnibus & ſolis ſacerdotibus. Probando quòd ſolis ſacerdotibus, adducit quod habetur Extra De ſumma Trinitate & fide Catholica, Hoc ſacramentum nemo poteſt conficere, ni-

Lib.4. diſt.13. qõ 2.

Cap. 1. Firmiter. ſi ſacerdos qui rite fuerit ordinatus ſecundum claues Eccleſiæ. Oſtendendo autem unde accipiat Eccleſia fundamentum iſtius ſententiæ, dicit quòd ex illo uerbo CHRISTI, Hæc quotieſcunque feceritis, &c. Quamobrem conſtat eum ita intellexiſſe, ut crederet per ea uerba traditam fuiſſe poteſtatem. Aliàs nihil ualeret ſua deductio. Si enim ea poteſtas non eſſet data per illa uerba, quomodo ex illis uerbis concluderetur, ſolos Apoſtolos & eorum ſucceſſores in ſacerdotio habuiſſe & habere illam poteſtatem? Idem auctor alibi fatetur expreſsè quòd Saluator dedit iſtam poteſtatem Apoſtolis in cœna, cum dicebat eis, Hoc facite in meam commemorationem.

Lib. 4. diſt. 19. qó. 1. art. 3.

DVRANDVS à S. Port.

Lib 4. diſt. 13. qó. 1. Durandus à ſancto Portiano eodem modo concludit, proprium eſſe ſacerdotibus hoc diuinum ſacramentum conſecrare aut conficere: quia hoc conuenit omnibus ſacerdotibus, & ſolis illis. Obiecit contra ſe, quòd hoc non conueniat omnibus ſacerdotibus, dicens, Quia in inſtitutione huius ſacramenti CHRISTVS dixit Apoſtolis, Hoc facite in meam commemorationem: per quod uidetur commiſiſſe confectionem huius ſacramenti ſolis Apoſtolis: at ſimplices ſacerdotes non ſuccedunt loco Apoſtolorum, ſed Epiſcopi tantùm: Ergo uidetur quòd confectio huius ſacramenti conueniat ſolis Epiſcopis. Reſpondendo autem admittit omnino & non reiicit quòd per illa uerba commiſit Dominus Apoſtolis confectionem huius ſacramenti: addit tamẽ quòd illud uerbum, Hoc facite in meam commemorationem dictum fuit Apoſtolis non tantùm ipſorum cauſa ſed etiam poſteriorum, qui ſuccedere debebant in eodem officio; non quoad Apoſtolatum, ſed quoad ſimplex ſacerdotium. Et hoc obſeruat Eccleſia, quæ hanc traditionem accepit ab Apoſtolis, quibus dicta fuerunt illa uerba. Hæc ille.

Ibid. arg. 1.

GABRIEL Biel.

Gabriel Biel in ſuo opere ſuper Canonem Miſſæ, optimo

iure, poteſtatem iſtam magni faciendo, fatetur non ſemel, & bis, Dominum per hæc uerba Apoſtolis tradidiſſe poteſtatem conſecrandi corpus ſuum uerum. Ipſe enim auctor cum prius definiret aut deſcriberet poteſtatem Eccleſiaſticam in ſua communitate, prout eam prius definiuit Ioannes Gerſon Cancel. Pariſien. in tractatu de Eccleſiaſtica poteſtate. diuiſit poſtea illam in duas quaſi partes, id eſt, in poteſtatem ordinis, quæ reſpicit corpus CHRISTI uerum: & in poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis, quæ reſpicit corpus CHRISTI myſticum. Deinde fatetur quòd illæ duæ poteſtates nec eædem ſunt, nec eodem tempore tributæ fuerunt Apoſtolis: & modò in ordinatione ſacerdotis, diſtinctis actibus & temporibus conferuntur. Probando iſtam ſententiam & reprobando oppoſitam, dicit multa: inter alia uerò, inquit, Nam uerba illa, Hoc facite in meam commemorationem. quibus tradita eſt prima poteſtas, nullum penitus ordinem habent uel habitudinem ad ſecundam. Ecce illis uerbis tradita eſt prima poteſtas, id eſt, poteſtas ſuper corpus CHRISTI uerũ. de qua ipſe auctor primùm dixerat.

Lect. 1. litera C.

Gerſon.

Ibid. litera E.

Idem auctor poſtea in eandem ſententiam dicit, CHRISTVS itaque æterni Patris Filius, uerus & ſummus ſacerdos, ſeipſum in ara crucis, ſecundum aſſumptam noſtræ mortalitatis ſubſtantiam, in humanæ redẽptionis precium immolaturus, ut tanti muneris iugis in nobis maneret memoria, ac pro nobis qui quotidie peccando labimur, quotidie myſticè immolaretur: corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum in nouiſsima cœna tradidit ſub Euchariſtiæ ſacramento: dum accepto pane, gratias egit, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur. Tradidit quoque eis poteſtatem ſimiliter faciendi, cum ſubdit, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc ille.

Ibid. lect. 4. litera A.

Idem Auctor poſtea in eodem opere, agens circa illa uerba Canonis Miſſæ, Hæc quotieſcumque feceritis, &c. dicit ad propoſitum noſtrum præſentis ueritatis, Qualiter autem hæc uerba exponantur, iuxta tamen doctorum probabiliorem ſententiam, prolata ſunt à CHRISTO duntaxat ad Apoſtolos: & in ipſis, ad quoslibet eorum legitimos ſuc-

Ibid. lect. 53. litera X.

ceſſores. Iſtis quidem dictum eſt à Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Facite, id eſt, Conficite. Hîc eos in ſacerdotes ordinaſſe creditur, & ipſis poteſtatem conſecrandi contuliſſe: ut accipitur à Hieronymo, De illuſtribus uiris. Hæc ille.

Hierony.

VVENDELINVS.

Vuendelinus Stambachus in Supplemento eiuſdem Gabrielis circa octo & uiginti diſtinctiones ultimas quarti libri ſententiarum, multo ſtudio, & magno iudicio collecto, dicit iuxta eandem ueritatem, De forma ordinationis ſacerdotum probabile eſt dicere, quòd ſint ibi duæ formæ partiales, in quarum una datur poteſtas conſecrandi Euchariſtiam: in alia, poteſtas abſoluendi. Sic & diſcipulis primùm data fuit poteſtas ſuper corpus CHRISTI uerum, poteſtas conficiendi Euchariſtiam in cœna Domini: & poſt hoc, poteſtas ligandi & ſoluendi ſupra corpus CHRISTI myſticum, cum inſufflauit & dixit poſt reſurrectionem, Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, &c. Nec ſimul tempore collatæ fuerunt hæ duæ poteſtates ordinis ſacerdotalis Apoſtolis. Et uidetur quòd etiam modò in ordinatione ſacerdotum, diſtinctis actibus, temporibus, & uerborum formis conferantur ordinandis. Hæc ille.

Diſt. 24. q6. 1. art. 1.

Ioã. 20.

Idem auctor alibi poſtquàm dixit quòd Saluator noſter, ſacramentorum inſtitutor, in ſua poteſtate habuit, ſola uoluntate facere noui teſtamenti miniſtros; Adiecit, Nec alia cæremonialia nunc obſeruari ſolita, obſeruauit in Apoſtolorum conſecratione: Sed cum in cœna dixit, Hoc facite, &c. dedit eis poteſtatem ſuper corpus CHRISTI uerum. Et poſt tempus aliquod, ſuper corpus CHRISTI myſticum. Vnde primùm poterant Euchariſtiã conficere, poteſtate ſibi à CHRISTO collata: & dehinc ſoluere, & ligare. Hæc ille.

Art. 5. eiuſdem q6nis ali quantulũ ante finẽ.

Poſterior concluſio, id eſt, quòd CHRISTVS in cœna nouiſsima fecit Apoſtolos ſacerdotes, paſsim diffuſa notitia probatur: & ita nota eſt, ut nulla poſsit tergiuerſatione celari. Quaſi iſta debeat eſſe una de conceptionibus poſitionibusque primis animi Chriſtiani, apud omnes ſapientes

Chriſtianos: quibus certum eſt Saluatorem noſtrum ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, in ultima cœna conſecraſſe, obtuliſſe, ac iſtud factum ſuum ſuis Apoſtolis oſtendendo, eiſdem dixiſſe, Hoc facite in meam commemorationem.

Probatur nihilominus primùm, Nam ex eo quòd CHRISTVS in cœna accepit panem, & uinum, benedixit, gratias egit, & conſecrauit, illa in corpus & ſanguinem ſuum, & dixit Apoſtolis, Hoc facite in meam commemorationem: intellexit ſemper tota ſchola Chriſtiana, immo etiam & tota Eccleſia Dei ſimul, quòd Apoſtoli mox potuerunt ſimilia facere, panem & uinum accipere, benedicere, gratias agere, & in corpus & ſanguinem CHRISTI conſecrare, & offerre. Nec iſta doctrina fuit aliquando dubia in iſtis terminis.

DAMASCENVS.

Damaſcenus etiam manifeſtè uidetur docere, CHRISTVM poteſtatem conſecrandi Apoſtolis in cœna tradidiſſe. Dicit enim in De Orthodoxa fide, Nam qui dixit in principio, Producat terra herbam uirentem, & uſque nunc pluuia facta, & diuino adiuta & uigorata præcepto, germina producit: idem quia dixit, Hoc eſt corpus meum. &, Hic meus eſt ſanguis. Hoc facite in meam commemorationem: & id, omnipotēti eius præcepto donec ueniat, efficitur. Hæc ille. Ecce qui in principio dedit terræ uirtutem producendi herbam uirentem: ipſe in cœna dedit hominibus uirtutem conſecrandi corpus ſuum proprium, ſicut ipſe fecerat.

Lib. 4. cap. 19.

Gen. 1.

CHRYSOSTOMVS.

Ioannes Chryſoſt. in ſermone De proditione Iudæ, ad eandem ueritatem ait, Et nunc ille præſtò eſt CHRISTVS, qui illam ornauit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione menſæ Domini, corpus CHRISTI facit & ſanguinem: ſed ille qui crucifixus pro nobis eſt CHRISTVS. Sacerdotis ore uerba proferuntur, & Dei uirtute conſecrantur & gratia. Hoc eſt,

ait, corpus meum. Hoc uerbo, propoſita conſecrantur. Et ſicut illa uox quæ dicit, Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ad generationem operante natura: ita & uox illa, ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernam diem, & uſque ad CHRISTI aduentum præſtat ſacrificio firmitatem, &c. Ecce hoc uerbum, Hoc eſt corpus meum. ſemel dictum à Saluatore noſtro, ſemper retinuit firmitatem conſecrandi & offerendi: quia ex tunc ſemper ſacrificio firmitatem præſtat, ſemperq; præſtabit uſque in finem ſæculi. Fuit autem dictum hoc uerbum in cœna nouiſsima. Igitur ex quo tunc Saluator huic uerbo talem dedit uirtutem, & tunc etiam Apoſtolis dixit, Hoc facite in meam commemorationem: eos ſine dubio tunc ſacerdotes inſtituit. Hæc enim ſatis in eo declarantur, quòd CHRISTVS in cœna, talem uirtutem illi ſuo uerbo præſtitit, & ſuis Apoſtolis tale præceptum impoſuit.

PASCASIVS.

in tract. De ſacramento. Paſcaſius in quodam tractatu de Sacramento, huic ueritati ita adſtipulatur, Nulli dubium, quòd ſicut quando in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, ter mergimur in fonte, utique baptizamur: non in uirtute & poteſtate illius, qui hoc dicit, ſed in uirtute CHRISTI, qui hoc præcepit, dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine, &c. Sic & hoc ſacramentum non meritis, non uerbis humanis, id eſt, in perſona hominis prolatis, ſed procul dubio diuinis efficitur & conſecratur mandatis. Idcirco æſtimandum non eſt, quòd alteris uerbis, quòd ullis meritis, quòd poteſtate alicuius iſta fiant: ſed uerbo utique Creatoris. Et poſt pauca. Propterea ueniendum eſt ad uerba CHRISTI, & credendum quòd in eiſdem uerbis id conficiatur. Reliqua omnia quæ ſacerdos dicit, aut clerus canit, nihil aliud quàm laudes & gratiarum actiones ſunt, aut certè obſecrationes, fidelium poſtulationes & petitiones. Verba autem CHRISTI ſicut diuina ſunt, ita & efficacia: ut hoc ſcilicet proueniat, quod iubet. Cœlum, inquit CHRISTVS,

& terra tranſibunt, uerba autem mea non tranſibunt; ſed facient omnia, ad quæ miſſa ſunt. Cùm igitur dixit CHRISTVS, Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt corpus meum. illico ſibi comparuit corpus ſuum. Et ſubdit Paſcaſius, Sanè forte putares quòd de illo ſolo uno pane, & in illa hora hoc eſſe iuſſerit. Ad quod tollendum adiunxit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde fatendum, quòd quicquid illud fuit, quod Apoſtoli à CHRISTO perceperunt: hoc totum eſt iſtud. quod ſacerdotes & fideles percipiunt. Et ſi uelis audire quid eſt, Hoc eſt, inquit, corpus meum, quod pro uobis tradetur. In hoc ergo uerbo creatur illud corpus, quia diuinum uerbum & omnipotentia plenum eſt. Et quod dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. crede ò fili, quia ita eſt: quoniam ipſe dixit, & factum dubitare non potes. Ipſe manducauit, & creatum eſt. Præceptum ergo poſuit, In meam commemorationem hoc facite. Et ideo quotienſcunque fit catholicè, uerè hoc fit quod dictum eſt, Hoc eſt corpus meum. Hæc ille. Ecce in ea cœna ſacratiſsima totum factum eſt, quo celebratio Euchariſtiæ in Eccleſia continuatur: In illis uerbis, Hoc eſt corpus meum, Hoc facite in meam commemorationem: Vnde in his & forma conſecrandi præfigitur, & poteſtas id faciendi conceditur.

D. THOMAS.

Sanctus Thomas, ut conſtat ex dictis ſuis paulò ante allegatis, manifeſtè dixit, quòd Dominus diſcipulis dedit poteſtatem ſacerdotalem, quantum ad principalem actum, ante paſsionem in cœna: quando dixit, Accipite & manducate. Vnde ſubiunxit, Hoc facite in meam commemorationem. Idem auctor quærit, Vtrùm ſi hóc ſacramentum tempore mortis CHRISTI fuiſſet ſeruatum uel cõſecratum, ibi moreretur? Reſpondet, dicens inter alia, Si tempore paſsionis CHRISTI, quando realiter ſanguis fuit ſeparatus à corpore CHRISTI, fuiſſet hoc ſacramentum conſecratum: ſub ſpecie panis, fuiſſet ſolùm corpus, & ſub ſpecie uini, fuiſſet ſolùm ſanguis. Hæc ille. Quibus conſtat illum cre-

ubi ſupra

Par. 3. q6. 81. art. 4. ad ſecundum arg.

didiſſe Apoſtolos iam in triduo mortis CHRISTI poteſtatem conſecrandi habuiſſe, & per illam tunc conſecrare potuiſſe: ſecundum quam ueritatem & doctrinam loquuntur omnes doctores ſcholaſtici, quotquot tradunt de hac re.

IOAN. à Turre cremata.

Lib. 1. cap. 39. Ioan. à Turre cremata in ſummá de Eccleſia, ita dicit, CHRISTVS in primis uerus ſacerdos fuit, ſecundum illud, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. qui pridie quàm pateretur accipiens panem in manibus ſuis, ipſumque diuinitatis ſuæ poteſtate in corpus ſuum conuertens, diſcipulis ſuis tradidit, dicens, Accipite, & Matth. 26 manducate ex hoc omnes. Hoc eſt corpus meum. Vbi re uera unus & idem fuit & cibans, & cibus, & munerans & munus, offerens, & oblatum, ut ait Hierony. & habetur in De Hierony. Diſt. 2. c. Nec Moſes. conſecratione. Et antiquorum uerſus eſt, *Rex ſedet in cœna, turba cinctus duodena. Se tenet in manibus, ſe cibat ipſe cibus.* Vbi idem fuit ſacerdos, & ſacrificium. Extra de ſumma Trinitate & fide Catholica. Hanc admirandam conſecrandi poteſtatem Angelis non conceſsit: ſed ſponſæ ſuæ Eccleſiæ donauit ſacerdotibus, quibus in Apoſtolis ait, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc ille. Ecce probat Eccleſiam habere iſtam poteſtatem conſecrandi eò, quòd CHRISTVS dixit Apoſt. & aliis ſacerdotibus in illis, Hoc facite Lib. eod. cap. 93. in meam commemorationem. Idem auctor aſſerit alibi expreſsè, quod poteſtas ordinis, quoad illum actum, qui eſt conſecrare corpus CHRISTI, & aliis miniſtrare, data eſt Apoſtolis in cœna Domini. Verba eius ponentur in fine huius articuli.

VINCENTIVS Beluacen.

Lib. 7. cap. 37. Vincentius Beluacen. uir ille doctiſsimus, in ſuo Speculo Hiſtoriali dicit, Cœnantibus autem illis, benedixit panem, & fregit. Ordo uerborum myſticus eſt ſecundum Glo. Benedixit, quia naturam humanam quam aſſumpſit, gratia diuinæ uirtutis impleuit. Fregit, ut oſtenderet corporis ſui fra-

ctionem, non ſine ſponte ſua fore. Accipite, inquit, & comedite, &c. Non hîc intelligendum eſt, quòd diſcipuli ſumptum corpus de manu Domini, ſibi miniſtrarent; ſed ipſemet miniſtrauit, qui & conſecrauit. Et eſt ſenſus, Accipite & comedite, id eſt, accipite ſacramentaliter, & comedite ſpiritualiter. Hoc eſt corpus meum, &c. Et nota, quòd in Canone quando hæc uerba proferũtur, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus, ex uirtute horum uerborum fit tranſſubſtantiatio. Vnde credibile eſt, Dominum, cum eadem uerba dixit, mutaſſe panem & uinum in carnem & ſanguinem: Et tunc eandem uim illis contulit in poſterũ. Vnde dicit Lucas, eum addidiſſe, Hoc facite in meam commemorationem. Hæc ille. Ecce in cœna dedit CHRISTVS uirtutem conſecratiuam illis uerbis, quibus ipſe conſecrauit, & nos conſecramus: ita etiam ut illam uirtutem retinerent in poſterum, ſicut & retinent. Vnde & Saluator dixit Apoſt. ſtatim, Hoc facite in meam commemorationem. Quid multis opus eſt teſtimoniis? Quãtum enim apparet, etiam præter illa uerba diuina, ex quibus egimus, ad iſtam ueritatem habemus ſcripta Chriſtiana, tum antiquſsima, tum maximè recentia: ab iis, qui temporibus Apoſtolorũ, & qui temporibus noſtris de hac re ſcripſerunt.

Epitome enim Apoſtolicarum conſtitutionum, quas octo libris conſtare ſcimus, ſic habet, in perſona Apoſtolorum loquens, ſeu Apoſtolis loquentibus in ipſa, Itaque primus eſt natura Princeps ſacerdotum, Dei unigenitus CHRISTVS: qui non ſibi ipſe dignitatem arripuit; ſed à Patre conſtitutus eſt. Qui factus homo propter nos, & ſpiritalem hoſtiam offerens Deo & Patri ſuo, antequàm pateretur, nobis conſtituit ſolis hoc facere, quamquam eſſent nobiſcum & alij, qui in ipſum crediderant, &c. Huius operis diuus Clemens, CHRISTI glorioſus Martyr, & diui Petri diſcipulus atque eius in ſede Apoſtolica ſucceſſor, fuit auctor, ſeu potius compilator, aut conſeruator: ipſiusq; meminerunt nonnulli patres antiquiſsimi & doctiſsimi, ut Athanaſius, & Epiphanius. Sed ſiquis obganniat illius operis illum Clementem non fuiſſe auctorem, non eſt audiendus: tum quia ex eo conſtat oppoſitum, tum quia multi patres antiqui & di-

Habetur in libris cõciliorũ tomo. 1. paulò poſt Canones Apoſt.

gni fide ita aſſerunt, ut rationabiliter cogamur dicere, illud opus fuiſſe Clementis prædicti. Porrò quicquid ſit de ipſius operis auctore, ſeu collectore; ſiue ille fuerit Clemens prænotatus, uel alius: conſtat illud opus eſſe ualde antiquum in Eccleſia Chriſtiana, ex quo iam erat temporibus Epiphanij & Athanaſij: & ueram doctrinam continere, cum ab orthodoxæ fidei patribus fuerit relatum, receptum, & approbatum.

Dominicus Soto. lib. 4. tom. 2. diſt. 24.

Dominicus Soto Segobienſis in textu ſui libri ſententiarum, ita habet ad propoſitum, Ex his commemoratis ordinibus, ſacerdotium proculdubio ſacramentum eſt, quod utique citra hæreſeos labem inficiari non licet. Quamobrem & characterem imprimit, & gratiam confert. Fuit enim à CHRISTO Domino in ultima cœna; quantum ad poteſtatem conſecrandi, inſtitutum: & poſt reſurrectionem facultate remittendi peccata, quæ antea fuerat Petro commiſſa, cumulatum. Hæc ille. Quibus ſatis exprimit, ordinem ſacerdotalem, ſeu ſacerdotium, de quo erat ſermo, in cœna fuiſſe inſtitutum à CHRISTO, quantum ad poteſtatem conſecrandi: quod ſacerdotium, ut etiam ibi exprimit, fuit cumulatum poſt reſurrectionem, quantum ad facultatem remittendi peccata. Et nemo non uidet, eum loqui de ſacerdotio Apoſtolorum & noſtro, quod tunc in cœna fuit inſtitutum, & poſt reſurrectionem cumulatum: quod inſuper tunc fuit, & modò eſt ſacramentum. Non enim conueniunt iſta omnia ſacerdotio CHRISTI: pro ut erat in illo, ut eſt notum apud omnes; quia ſemper ipſe ſacerdos fuit, ſemper habuit ſacerdotium perfectum, quo uſus eſt, quando uoluit; & non fuit ordinatus ſigno aliquo ſenſibili quod eſſet propriè ſacramentum ordinis. Conueniunt autem iſta omnia noſtro ſacerdotio, ſeu ſacerdotio CHRISTI pro ut ab illo in nos dimanat. Venit enim ad nos in ſigno ſenſibili, quod ſignum, eſt propriè ſacramentum: & eſt ſacerdotium, prout ſacerdotium eſt ſacramentum: fuitque in cœna inſtitutum, & fuit poſt reſurrectionem cumulatum, in Apoſtolis. De his non plura, quia notum eſt quæ ſint, & quomodo differant, ſacramentum ordinis, & poteſtas data per illud: atque rurſus, quomodo tam ſacramentum or-

dinis ſacerdotalis, quàm ipſa poteſtas per illud tradita, dicantur ſacerdotium.

Idem auctor poſtea in eadem ſententia uera ſemper defixus, ſemperque firmus, propoſitiones iſtas ſequentes ſtatuit, & probauit. Prima eſt, Ordo ſacerdotalis eſt ſacramentum. Secunda eſt, ſacerdotium eſt de iure diuino, atque à Deo inſtitutione CHRISTI ſtabilitum: quippe qui ſolus potuit ſacramenta inſtituere. Probando autem iſtam ſecundam concluſionem, dicit ad propoſitum, Inſtituit autem ipſum quantum ad poteſtatem conſecrandi, in cœna: ubi tradens proprium corpus & ſanguinem conſecratum, ſubiūxit, Hoc facite in meam commemorationem. Poteſtatem autem priori annexam remittendi peccata, tradidit Ioan. 20. dicens, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, &c. Hæc ille. Fuit autem impreſſum hoc opus iſtius doctoris Chriſtiani primùm, Anno Domini, 1560. Salmanticæ: ut mihi iſte auctor catholicus, uideatur nouiſſimus omnium, qui ſuper ſententias patrum in materia de ſacramentis ſcripſerunt.

Ibid. lib. 4. tom. 2. diſt. 24. qõ. 1. art. 4. Concl. 1. Concl. 2. Ibid.

Habemus igitur ad hanc ueritatem antiquiſsima ſcripta Chriſtiana, habemus & nouiſsima: quæ fuerunt illis prioribus temporibus, & quæ edita ſunt his poſterioribus. Scriptorum autem intermediorum ad iſtam ueritatem & pro illa loquentium, non eſt numerus. Et ut paulò ante incipiebam dicere, neminem doctorem catholicum uidi ad hanc uſque diem, quòd meminerim, qui neget iſtam doctrinam in his terminis, aut in hoc ſenſu. Cum tamen ſint multi, & penè infiniti, qui eam tenent, probant, & confitentur. Maximus, commentator Dionyſij Areopagitæ, dixit nonnulla in De Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ uidentur in oppoſitum, ſed paulò poſt uerba Dionyſij referemus, quibus de eius mente conſtabit.

Quædam, quæ ſuboriri poſſent dubitationes indicantur, & facili explicatione amouentur. Poteſtas conſecrandi offerendique in Miſſa, an ſit eadem cum poteſtate remittendi peccata; & an utranque in cœna, Apoſtoli à Seruatore noſtro acceperint, abſolutumque ſacerdotale officium tunc adepti ſint, latius diſſeritur. CAP. VI.

EX duobus hîc nobis obiici poſſet: non quæ ueritatem hanc negent (quod abſit,) ſed quæ eius declarationem efflagitant. Alterum eſt, ex eo, quòd poteſtas remittendi peccata, uidetur quidem pertinere ad ſacerdotium & ſacerdotem. Vnde cùm ipſa non fuiſſet data Apoſtolis in cœna, ſed poſt reſurrectionem, ut conſtat apud Ioã. 20. Ioannem, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: uidetur per conſequens, quòd Apoſtoli non in cœna, ſed poſt reſurrectionem, facti fuere ſacerdotes: uidelicet in ipſo die reſurrectionis, quando poteſtatem remittendi peccata acceperunt. Alterum eſt, ex Diony. cap. 5. part. 3. diuo Dionyſio in De Eccleſiaſtica Hierarchia ubi explicans quæ facit ac dicit Pontifex dum aliquos ad ſacros promouet ordines, uidetur quodam modo inſinuare, Saluatorem noſtrum reſeruaſſe ordinationem Apoſtolorum in ſacerdotes, Patri & Spiritui ſancto: quaſi id factum fuerit in die Pentecoſtes. Hæc nihil faciunt contra dictã ueritatẽ: ſed hoc tantùm habent quoad propoſitũ, quòd declarationẽ expoſcunt.

Ad primum reſponſuris, primùm omnium occurrit eſſe neceſſarium, exponere patrum ſententias uarias circa identitatem aut differentiam poteſtatis conſecrandi atque offerẽdi, quæ eſt circa corpus CHRISTI uerum, & poteſtatis remittendi peccata, quæ eſt circa corpus CHRISTI myſticum: ut ſecundum omnes modos dicendi declaretur ueritas præ-

Opin. 1. S. Tho. lib. 4. diſt. 24. qõ 2. art. 3. ſentis doctrinæ catholicæ, & fiat magis nota. S. Thomas in ſcriptis, ita uidetur loqui de poteſtate ſacerdotali, quaſi ſit una poteſtas ſecundum rem, habens duos actus; alterum circa corpus CHRISTI uerum, qui eſt conſecrare & offerre: alterum circa corpus CHRISTI myſticum, qui eſt remittere

peccata. Et quantum ad propoſitum ſpectat, fatetur quòd Dominus diſcipulis dedit poteſtatem ſacerdoralem, quantum ad principalem actum ante paſsionem in cœna, quando dixit, Accipite & manducate. Vnde ſubiunxit, Hoc facite in meam commemorationem. Et poſt reſurrectionem dedit eis poteſtatem ſacerdotalem, quantum ad actum ſecundarium, qui eſt ligare & ſoluere. Idem auctor alibi, docet quòd poteſtas ſententiam proferendi in foro pœnitentiæ, id eſt, poteſtas remittendi peccata, & poteſtas cognoſcendi in cauſa rei confitentis, quæ dicuntur claues, ſunt idem cum charactere ſacerdotali. Scotus ſcripſit poſtea, & poſuit de hac re, quæ ſequuntur, Primum, quòd in Eccleſia (& hoc apud ſacerdotem rite ordinatum) eſt una clauis Eccleſiæ, quæ eſt poteſtas iudicandi in foro pœnitentiæ. Secundum, quòd apud eum eſt clauis, quæ eſt poteſtas cognoſcendi in cauſa rei confitentis. Tertium, quòd hæc & illa clauis non ſunt eadem, ſed duæ. Deinde probando hoc tertium, ponit, & probat, Quòd poteſtas conficiendi corpus CHRISTI, ſiue character ſacerdotij, ut ad hoc eſt, poteſt eſſe ſine illa poteſtate quæ includitur in clauibus. Probat autem hoc, quia ſic fuit in Apoſtolis in cœna, cum dicebat eis Dominus, Hoc facite in meam commemorationem. Vbi data eſt eis poteſtas conficiendi, ſed non clauium niſi poſt reſurrectionem. Ioan. 20. dicente CHRISTO, Quorum remiſeritis peccata, &c. Gabriel Biel ſcripſit poſt iſtos doctores grauiſsimos, & ſuper canonem Miſſæ, ſequitur ſententiam Scoti. Cum enim locutus iam eſſet de poteſtate conſecrationis, qua quilibet ſacerdos rite ordinatus, conficere poteſt corpus & ſanguinem Domini, quam dixit Dominum dediſſe Apoſtolis in cœna, & de poteſtate iuriſditionis ſpiritualis in foro pœnitentiæ, quæ dicitur poteſtas clauium, quam dedit Dominus Apoſtolis poſt reſurrectionem; tunc dixit ad propoſitum noſtrum. Hæ duæ poteſtates, conſecrationis, & clauium, dicuntur poteſtates ordinis ſacerdotalis: neque eædem ſunt, neque ſimul tempore collatæ Apoſtolis. Quarum una reſpicit conſecrationem corporis CHRISTI ueri, quoniam habens eam conſecrare poteſt uerum corpus & ſanguinem CHRISTI, uir-

Idem cōtra Gent. lib. 4. cap. 74. In additionibus tertiæ partis. qō. 73. art. 5. ad ſecundum arg.

Lib. 4. ſenten. diſt. 18. qō. 1. ſol. 1. arg. 2. quæſtiūculæ.

Opin. 2 Scotus lib. 4. diſt. 19. qō. 1. art. 1.

Gabriel lect. 1. litera E.

tute uerborum ſacramentalium. Secunda reſpicit corpus CHRISTI myſticum, ſeu membra eius: quia habens eam, poteſt ſoluere & ligare peccatores, fideles tamen. Addit ut iam dixerat, quòd prima eſt collata Apoſtolis in cœna ante CHRISTI paſsionem; ſecunda, poſt reſurrectionem. Addit inſuper, dicens. Et uidetur, quòd etiam modò in ordinatione ſacerdotis diſtinctis actibus & temporibus conferantur. Primam enim confert ordinator Epiſcopus ordinando, cum tradens ei calicem cum uino & aqua, pane ſuprapoſito, dicit, Accipe poteſtatem offerendi & conficiendi pro uiuis & mortuis. Secundam uerò tradit aliquibus interpoſitis, ponens manum ſuper caput eius, & dicens, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, &c. Et ſi in collatione cuiuslibet poteſtatis imprimitur ſpecialis character, ut quidam tenent, & recitat Scotus, tanquam probabiliter dictum; tunc tres ſunt characteres ordinem ſacerdotalem integrantes, ſecundum tres poteſtates collatas. Et ſi collata prima, ſcilicet poteſtate conſecrandi, non procederet Epiſcopus ad collationem aliarum, non eſſet ille perfectè in ſacerdotem ordinatus. Poſſetque conficere corpus CHRISTI; non tamen ligare & ſoluere peccatores, quia ad hoc nondum fuiſſet ſibi tributa poteſtas. Dominicus Soto ſcripſit poſt iſtos omnes nouiſsimè, & ſequitur ſententiam S. Thomæ. Fatetur enim; quòd ordo ſacerdotalis, eſt ſacramentum. Fatetur, quòd ſacerdotium eſt de iure diuino, atque adeo inſtitutione CHRISTI conſtabilitum: quippe qui ſolus potuit ſacramenta inſtituere. Fatetur, quòd per ſacramentum ſacerdotalis ordinis confertur gratia gratum faciens. Fatetur, quòd per idem ipſum ſacramentum imprimitur character. Fatetur, quòd eodem puncto, quo infunditur gratia, imprimitur character; & quo imprimitur character, infunditur gratia, niſi obex opponatur. His addit, dicens, Momentum autem illud eſt, quando ſacramentum perficitur: perficitur autem, quãdo materia & forma applicantur: uidelicet, ubi Epiſcopus calicem tradens & hoſtiam, ait. Accipe poteſtatẽ conſecrandi, &c. Docet quòd quilibet ita ordinatus, ex tunc recipit totam poteſtatem ſacerdotalem, quoad omnes eius

Lib. 4. diſt. 19.

Dominicus Soto. Lib. 4. tom. 2. diſt. 24. q. 1. art. 4.

actus; id eſt, & poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem abſoluendi. Concedit, CHRISTVM per poteſtatis excellentiam, potuiſſe illas facultates diuiſim Apoſtolis tradere: ſed negat id ſuis miniſtris Epiſcopis eſſe conceſſum. Tandem aſſerit, quòd per manuum impoſitionem & illam formam, Accipe poteſtatem remittendi peccata, nulla traditur noua poteſtas, ſed explicatur illa, quæ prius collata fuerat. Nam quia ſimul non potuit decenter utraque forma coniungi, & decebat CHRISTI uerba referre; inſtitutum eſt, ut ſeorſum proferrentur. Sed tamen ſecunda forma referenda eſt ad illud momentum, quæ prima fuerat prolata. Hæc ille. Qui aduerſus eos qui dicunt eas duas poteſtates eſſe diſtinctas, diſtinctèque dari modò ſacerdotibus, infert eſſe concedendum, quòd ſi aliquis modò ordinaretur, & poſt ſuſceptam primam poteſtatem conſecrandi ac offerendi, obiret Epiſcopus, nec eſſet qui illi ordinato ad primam, manum imponeret pro ſecundo, talis ordinatus non eſſet ſimpliciter ſacerdos, nec poſſet ſubditos à peccatis abſoluere, quamuis haberet iuriſditionem. Ita partita eſt ſchola Theologica noſtra, ut conſtat ex allegatis patrum diuerſis ſententiis: cum quibus ſentiunt & alij, quidam in iſtam, quidam uerò in illam tendentes ſententiam.

Itaque S. Thomas, ut explicatius eius ſententiam referamus, in ſuo opere contra Gentiles ſic ait, Manifeſtum eſt etiam quòd CHRISTVS ſacramentum ſui corporis & ſanguinis in cœna dedit, & frequentandum inſtituit: quæ ſunt principalia ſacramenta. Quia ergo CHRISTVS corporalem ſui præſentiam erat Eccleſiæ ſubtracturus, neceſſarium fuit, ut alius inſtrueret (aliàs forte, inſtitueret) ſibi miniſtros, qui ſacramenta fidelibus diſpenſarent, ſecundum illud Apoſtoli, Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Vnde diſcipulis conſecrationem ſui corporis & ſanguinis commiſit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Eiſdem tribuit poteſtatem peccata remittendi, ſecundum illud, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Eiſdem etiam docendi & baptizandi iniunxit officium, dicens, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos. Hæc ille. Ecce Saluator noſter in

S. Tho. lib. 4. cap. 74.

1. Cor. 4

Lucæ 22.

Ioã. 20.

Matt. 28.

cœna nouiſsima commiſit conſecrationem ſui corporis & ſanguinis diſcipulis ſuis, id eſt, Apoſtolis, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Volens autem idem auctor oſtendere, quòd eadem ſit poteſtas conſecrandi ac diſpenſandi aliis corpus CHRISTI uerum, & poteſtas remittendi peccata; quantum ad eſſentiam rei: & quòd una & eadem poteſtas realiter, illos duos actus habet; dicit paulò poſt. Quia uerò poteſtas ordinis ad diſpenſationem ſacramentorum ordinatur, inter ſacramenta autem nobiliſsimũ & conſummatiuum aliorum, eſt Euchariſtiæ ſacramentum, ut ex dictis patet: oportet quòd poteſtas ordinis conſideretur, præcipuè ſecundum comparationem ad hoc ſacramentum. Nam unumquodque denominatur à fine. Eiuſdem autem uirtutis eſſe uidetur, aliquam perfectionem tribuere, & ad ſuſceptionem illius materiã præparare: Sicut ignis uirtutem habet ut formam ſuam transfundat in alterum, & ut materiam diſponat ad formæ ſuſceptionem. Cum ergo poteſtas ordinis ad hoc ſe extendat, ut ſacramentum corporis CHRISTI conficiat, & fidelibus tradat; oportet ut eadem poteſtas ad hoc ſe extendat, ut fideles aptos reddat, & congruos ad huiuſmodi ſacramenti perceptionem. Redditur autem aptus & congruus fidelis ad huius ſacramẽti perceptionem, per hoc quod eſt à peccato immunis: non enim poteſt aliter CHRISTO ſpiritualiter uniri, cui ſacramentaliter coniungitur, hoc ſacramentum percipiendo. Oportet ergo quòd poteſtas ordinis ſe extendat ad remiſsionem peccatorum, per diſpenſationem illorum ſacramentorum, quæ ordinantur ad peccati remiſsionem: cuiuſmodi ſunt baptiſmus & pœnitentia, ut ex dictis patet. Vnde ut dictum eſt, Dominus diſcipulis quibus commiſit ſui corporis conſecrationem, dedit etiam poteſtatem remittendi peccata: quæ quidem poteſtas per claues intelligitur, de quibus Dominus Petro dixit, Tibi dabo claues regni cœlorum. Cœlum enim unicuique clauditur & aperitur per hoc, quòd peccato ſubiacet, uel à peccato purgatur. Vnde & uſus harum clauium dicitur eſſe, ligare, & ſoluere. ſcilicet à peccatis; de quibus quidem clauibus ſupra dictum eſt. Hæc ille in eo loco. Ita ergo, Poteſtas ordinis qua ſoluuntur pecca-

Matth. 16

ta,

ta, ſecundum S. Thomam, eſt idem eſſentialiter cum charactere ſacerdotali ſiue cum poteſtate conſecrandi corpus CHRISTI: & non diſtinguuntur, niſi quod ad diuerſos actus, ſiue effectus comparantur. Pro qua ſententia idem doctor ſanctus in ſuis ſcriptis ita docet, Ad duo, quorum unum eſt cauſa alterius, una poteſtas ordinatur: ſicut in igne ad calefaciendum & diſſoluendum. Sed omnis gratia & remiſſio in corpore CHRISTI myſtico ex capite CHRISTO prouenit: Ergo eadem poteſtas uidetur eſſe per eſſentiam, qua ſacerdos conficere poteſt corpus CHRISTI, & qua poteſt ſoluere & ligare ſi iuriſdictio adſit: nec differt niſi ratione, ſecundum quod ad diuerſos actus ſiue effectus comparatur. Sicut etiam ignis dicitur ſecundum aliam rationem calefactiuus, & ſecundum aliam liquefactiuus. Lib. 4. diſt. 18.

Qui igitur dicunt illas poteſtates eſſe diſtinctas & integrare ordinem ſacerdotalem, aſſerunt quòd habentes ſolã primã, poſſunt ſtatim conſecrare & offerre; ſed non abſoluere: & quòd ſic diſpoſiti, non eſſent perfectè ordinati in ſacerdotes, ut iam uidimus in dictis Gabrielis. Et conſequenter loquendo, ita dicerent, quòd Apoſtoli in cœna facti ſunt ſacerdotes imperfectè, ſed poſt reſurrectionem facti ſunt ſacerdotes perfectè. Qui autem dicunt illas poteſtates eſſe idem realiter, aut inſeperabiles ſaltem, in nobis, & nihilominus concedunt illas ſeparatim datas fuiſſe Apoſtolis; dicunt quòd in nobis, qui haberet ſolam primam, non eſſet ſimpliciter ſacerdos. In Apoſtolis autem non ita, Sed potius fatentur & probant de illis, quòd cum in cœna accepiſſent poteſtatem ſacerdotalẽ quoad principalem actũ, qui eſt cõſecrare, ut hæc omnia tradit S. Thomas, tunc ſimpliciter fuerunt facti ſacerdotes. Eadem eſt autem ratio in nobis, ſi in nobis iſtæ poteſtates ſeiungerẽtur; quæ fuit in Apoſtolis, in quibus illæ poteſtates non fuerunt iunctæ in triduo. Ideo ſicut illi tunc fuerunt ſacerdotes ſimpliciter propter dictam rationem, quia acceperunt poteſtatem quo ad principalem actum ordinis ſacerdotalis, qui eſt conſecrare: ſic debet dici de nobis, ſi in nobis illa poteſtas ita eſſet ſola. Neque mihi eſt dubium, quin ille doctor iſto modo dixiſſet, ſi interrogatus fuiſſet. Sed dixit illud de nobis,

Gabriel ubi ſupra lect. 1.

Dominicus Soto. ubi ſupra

non quidem aſſerendo, ſed arguendo: ut manifeſtũ eſt omnibus, qui eius ſcripta legerunt. Non eſt autem idem habitus hominis, nec idem modus dicendi aut docendi, nec idem genus tradendi, dum arguit, aut dum aſſerit. Multa enim inferimus contra alios arguendo, quæ non aſſerimus.

Ad primum igitur obiectum, quod declarationem expoſtulabat, iam patet reſponſio ex dictis: Ea eſt, Apoſtoli Domini per poteſtatem conſecrandi, quam acceperunt in cœna, fuerunt formaliter facti ſacerdotes: ſimpliciter, quidem, quia acceperunt ordinem ſacerdotalem quoad actum eius principalem, qui eſt conſecrare & offerre, ſed non perfectè, quia non acceperunt tunc ordinem ſacerdotalem quo ad actum illius ſecundarium, ſeu minus principalem, qui eſt peccata remittere. Debet autem placere eò magis iſta ratio, quò certum eſt ex ſtatim dictis, in eam conuenire omnes; eos etiam, qui circa iſtam materiam de idemtitate aut differentia harum duarum poteſtatum inter ſe, ſunt differentes. Simili modo & ſecundum eandem rationem dicturi ſunt illi patres de ſacerdotali ordinatione illa, qua Dominus in cœna ordinauit Apoſtolos ſacerdotes in illa principali poteſtate ſacerdotali, ad conſecrandum & offerendum corpus & ſanguinem ſuum uerum: tanquam ea non fuerit perfecta ordinatio ſacerdotalis, ſed fuerit tamen ordinatio ſacerdotalis, ſimpliciter dicta. Videtur enim quòd regulari debet ſacerdotalis ordinatio, per ſacerdotem qui in ea ordinatur: ut talis ea dicatur, qualis & ſacerdos, qui per eã conſtituitur. Si autem non placet illis patribus dicere illam ordinationem ſacerdotalem imperfectam, ſed propter ordinatorem, autem propter reuerentiam ei debitam, uolunt dicere illam perfectam; dicant conſequenter, Apoſtolos tunc per eam factos fuiſſe perfectos ſacerdotes in eſſe ſacerdotis. Maximè cùm eo tempore nondum fuiſſet inſtitutum ſacramentum pœnitentiæ, cuius ex aliqua congruentia ſacerdotes debuiſſent eſſe miniſtri. De hac tamen ratione, paulò poſt latius.

Omnes igitur illæ opiniones, aut ſententiæ patrum, etiam aliàs uariæ, in hoc uno conueniunt, ut conformiter dicant, Apoſtolos in cœna factos fuiſſe ſacerdotes, ſimpliciter, quã-

uis nonnulli uideantur innuere, quòd non perfectè. Perfectum enim & imperfectum non uariant ſpeciem, ſicut nec magis & minus: nec imperfectum in aliquo genere aut ſpecie, eo ipſo perdit denominationem ſimplicem. Imperfectè enim calidum, & ſi non ſit perfectè calidum, eiuſdem ſpeciei eſt, & calidum dicitur ſimpliciter. Similia exempla ſunt penè infinita. Nec ſolùm in naturali Philoſophia, quin immo, & in noſtra ſacra Theologia. Ad propoſitum redeamus. Magis & minus non uariant ſpeciem, nec mutant denominationem ſimplicem. Et notum eſt, à principaliori haberi ſimplicem denominationem. Vt ſi aliquod totum, ſolam partem principalem, id eſt, maiorem integralem habet calidam uel albam; eo ipſo dicatur ſimpliciter, calidum, uel album. A' maiori parte fit denominatio: Similiter & à principaliori.

Ita ergo reſponderunt omnes illi doctores, dicentes ſimpliciter, Apoſtolos in cœna factos eſſe ſacerdotes à Saluatore noſtro: quamuis ipſi idem auctores putaſſent ambas illas poteſtates, uidelicet poteſtatem conſecrandi, & offerendi, atque poteſtatem remittendi peccata, eſſe de integritate aut idemtitate ſacerdotij, uel ordinis ſacerdotalis. Et nobis quidem ſufficit in præſentia iſta omnium illorum conformis doctrina, atque reſponſio, quicquid ſit de ipſis opinionibus differentibus. Sufficit, inquam, hoc nobis, quia non dicimus Apoſtolos in cœna factos fuiſſe perfectos ſacerdotes, ſed dicimus Apoſtolos in cœna factos fuiſſe ſacerdotes. Quòd ſi illi doctores ita reſpondent, tenentes illas duas poteſtates eſſe de integritate aut identitate ordinis ſacerdotalis; quid facerent, aut quid dicerent, ſi putarent poteſtatem remittendi peccata non eſſe de integritate aut idemtitate ſacerdotalis ordinis, ſed ſolam poteſtatem conſecrandi & offerendi corpus CHRISTI uerum, conſtituere, eſſeque, & perficere ſacerdotium Chriſtianum? Profectò ſi ita ſentirent, ſicut dicunt Apoſtolos in cœna factos eſſe ſacerdotes, ſimpliciter; ſic dicerent pariter, Apoſtolos in cœna factos eſſe ſacerdotes perfectos. Siquidem tunc, nihil eis deficeret, quod ad integritatem uel idemtitatem ſacerdotij pertineret. Potuerunt'ne illi doctores ita ſentire puta-

re, aut tenere rationabiliter? Alius reſpondeat. Ego cum ſancta Matre Eccleſia Romana ſentio, & cathedræ Apoſtolicæ beati Petri quæ in ea eſt, conſortior: in qua, & ſub cuius correctione, ita dixiſſem, Sacerdotium Chriſtianum eſt ſacerdotium Chriſtianum; eſtque ſacerdotium CHRISTI, ſacerdotis in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Quæ duo ita certa ſunt & nota ex diuinis ſcripturis, ut nemini de illis, aut de eorum aliquo dubitare liceat. His addidiſſem, Videndũ eſt cum magna diligentia, quæ ſint illa, quæ ad hoc tale ſacerdotium pertinent per ſe: &, An poſtquàm CHRISTVS Apoſtolos conſtituit ſacerdotes in cœna, cum dicta poteſtate conſecrandi & offerendi; ſi eos ita reliquiſſet, & nec illis nec aliis hominibus poteſtatem remittendi peccata præſtitiſſet, An, inquam, ipſi Apoſtoli iam inde fuiſſent perfecti ſacerdotes? Non enim uidetur fuiſſe neceſſarium abſolutè, nec neceſſarium ex conſequentia, ut CHRISTVS Apoſtolos in ea poteſtate ſacerdotes inſtituens, poteſtatem remittendi peccata eſſet hominibus traditurus: ſed quòd eam poſtea dedit, ex ſua ſolita fuit beneuolentia, & rationibus optimis, quas ipſe nouit, & nos credimus. Quid ergo in illo caſu? An Apoſtoli ita relicti fuiſſent perfecti ſacerdotes CHRISTI ſecundum ordinem Melchiſedech? Non uideo, quare non. Si tamen in ea re eſt aliud, ſummè cupio doceri. Quæ pertinent ad ſacerdotium CHRISTI ſecundum ordinem Melchiſedech per ſe? quæ per accidens? Quæ ſunt de eius eſſentia, idemtitate, aut integritate? Videnda ſunt omnia, & maximo examinanda iudicio, antequàm aliquis dicat CHRISTVM in cœna inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes imperfectos.

Dicet aliquis, CHRISTVS poſtea dedit Apoſtolis poteſta-
Ioã. 20. tem remittendi & retinendi peccata. Reſpondemus, Verum eſt, ſed illa poteſtas tota uerſatur circa aliud ſacramentum à ſacramento Euchariſtiæ, & circa eius uſum, exercitium, aut miniſterium. Vnde hoc argumentum probat quidem, quòd ſicut CHRISTVS ante paſsionem fecit Apoſtolos miniſtros ſacramenti Euchariſtiæ, ut illud conficerét, offerrent, & diſtribuerent: ſic poſt reſurrectionem fecit Apoſtolos miniſtros ſacramenti pœnitentiæ, ut illud etiam

miniſtrarent. Non probat autem, quòd illa poteſtas poſtea data Apoſtolis, ſit de eſſentia, identitate, aut integritate ſacerdotij. Alioquin omnes poteſtates, dona, aut gratiæ, quas poſtea Dominus Apoſt. dedit, ea facilitate dicerentur de eadem eſſentia, integritate, uel idẽtitate: quod nemo ſapiens hactenus dixit, ex ſapientibus quos ego uidi & memoria teneo. Ad dignitatem quidẽ Apoſt. pertinet, quòd eis Saluator multas poteſtates tribuit, & quòd eos fecit miniſtros omnium ſacramentorum, Euangelij, multorumq; bonorum, quæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ communicauit, clauium regni, & aliorum: ſed quòd iſta multa fuerunt ſimul in illis, non probat aliquod donum horum eſſe de eſſentia, idẽtitate, aut integritate alicuius alterius doni, niſi aliunde probemus, aut probationem habeamus. Aut oſtendat aliquis, quando, uel ubi ſola aliquorum multorum in aliquo ſubiecto collectio & unio, probauit unum illorum eſſe de eſſentia, identitate, aut integritate alterius. In niue enim ſimul ſunt albedo & frigiditas: nullum tamen horum duorum intrat alterius eſſentiam, identitatem, aut integritatẽ. Talia ſunt exempla infinita.

Noſtri ſacerdotes ſunt miniſtri ſacramentorum noui teſtamenti, & Euangelij, atque ita horum dicuntur miniſtri, ut quaſi per collectionem harum miniſtrationum formetur eorum deſcriptio. Hoc autem nihil probat in oppoſitum. Primùm, quia eſt aliquod ſacramentum, cuius non omnis ſacerdos eſt miniſter, ut ſacramentum ordinis. Secundò, quia eſt aliquod ſacramentum, cuius non ſolus ſacerdos eſt miniſter, ut Baptiſmus. Tertiò, quia aliud eſt loqui de ſacerdote in hoc tempore, quando ſacramentum pœnitentiæ iam inſtitutum eſt, & poteſtas miniſtrandi illud communiter traditur omnibus ſacerdotibus: & aliud eſt loqui de ſacerdote in cœna, quando ſacramentum pœnitentiæ nondum erat inſtitutum. Et non uideo, quare non poſſet dici, quòd ſacerdotes ita deſcribuntur, quia ad omnia illa recipiunt poteſtates, dum in ſacerdotes ordinantur. Quartò, quia aliud eſt loqui de ſacerdote in concreto, & aliud eſt loqui de ſacerdotio in abſtracto: nam ſacerdos in concreto, eſt connotatiuum, & habet duo ſignificata, id eſt, materiale,

Apoſtoli multa dona habuerunt, ſed ad Apoſtolatũ tria maximè pertinebant, poteſtas regendi aut gubernandi populũ fidelẽ, pòteſtas prędicãdi Euãg. poteſtas faciẽdi miracula. Præcipuè autẽ ptinebat ad Apoſtolatum poteſtas regendi, in qua alij nõ cõmunicabant cum Apoſto.

S. Thomas ſuper Apoſtolũ, circa illud, Primùm Apoſtolos. 1. Cor. 12

& formale: ſacerdotium autem in abſtracto non ita, ſed habet unum ſignificatum. Hinc eſt quòd plura poſſunt poni in deſcriptione ſacerdotis, quàm poſsint poni in ratione ſacerdotij. Et cùm ſacerdos ſit perſona habens ſacerdotium: nihil prohibet, quòd in deſcriptione ſacerdotis ponantur omnes poteſtates, quas habet, explicando etiam ſacerdotium. Non erit tamen ſermo formalis, niſi prout continet, quæ ſunt de ſacerdotij ratione. Quintò iuxta hanc ueritatem, quia & ſi ſacerdotes deſcribantur per iſta, non tamen conſtat quòd ita deſcribentes uelint dicere, omnia hæc eſſe de eſſentia, identitate, aut integritate ſacerdotij, niſi hoc exprimant. Quod ſi expreſſerint, neq; hoc ſufficit, ſed oportet probare, quia de hoc agimus: quod dico propter Gabrielem, qui dicit poteſtatem conſecrandi, & poteſtatem cognoſcendi in cauſa peccatoris, & poteſtatem pronuntiandi aut ſententiandi in illa integrare ordinem ſacerdotalem. Sextò, quia ſacrum concilium Florentinum explicans in quo actu & cum qua materia, & ſub qua forma imprimitur character ſacerdotalis, ſatis inſinuat, quòd poteſtas conſecrandi & offerendi, per ſe conſtituit ſacerdotium: quia uidelicet declarat, quòd dum ſacerdoti ordinando traditur calix cum hoſtia, &c. Septimò, quia ut habetur in capitulo, Presbyter. impoſitio manuum in ordinatione ſacerdotis, non eſt de eſſentia ſacramenti. Vnde ſi omittatur, non eſt ordinatio iteranda, ſed illud eſt ſupplendum: cum tamen per manus impoſitionem tradatur poteſtas remittendi peccata. Poſſent adduci multæ aliæ conſiderationes, ſed hæ ſufficiunt. Non enim ſunt paucæ, nec parui momenti. Cogimur enim coniicere ex multis, quòd illæ duæ poteſtates, uidelicet conſecrandi & offerendi corpus Christi uerum, atque abſoluendi uel ligandi corpus Christi myſticum, ſunt realiter diſtinctæ; & uidemus quòd uerba, ſeu forma qua traditur ſacerdotibus poteſtas remittẽdi peccata, nõ eſt de eſſentia in ordinatione ſacerdotali. Sed hæc omittimus.

De ſacramen. non iterãdis.

Eadem adhuc pertractantur; apponiturque Cathalogus doctorum, non ſolùm antiquorum, ſed & recentiorum, qui Christum *in cœna nouiſsima, Apoſtolos feciſſe ſacerdotes, teſtati ſunt.* CAP. VII.

Qvicquid ſit de omnibus iſtis, quæ dixi, tantùm ut aduerterem, ſufficit quòd S. Thomas dicit, Christum dediſſe Apoſtolis in cœna poteſtatem ſacerdotalem, quantum ad principalem actum: adiuncto quod Dominicus Soto inde infert, Apoſtolos in cœna fuiſſe ſimpliciter ſacerdotes. Et confirmatur ex eodem ſancto Thoma, alibi expreſsè atque formaliter dicente, quòd, in ſacrificio offerendo, potiſsimè ſacerdotis conſiſtit officium. Nam ſi in ſacrificio offerendo, potiſsimè ſacerdotis conſiſtit officium: ſequitur ſtatim, quòd in poteſtate offerendi, potiſsimè conſiſtit ſacerdotij ordo. Confirmat hæc Apoſt. dicens, Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.

In additionibus tertiæ partis. q6.37. art.5. ad ſecũd. Dñicus. ubi ſupra S.Tho. part.3. q6 22. art.4. Potiſſimũ, in officio ſacerdotis. Hebr.5.

Ad ſecundum obiectum, quod etiam petebat declarationem, iam nunc reſpondeamus, oportet. Reſpondendo autem, dicimus, quòd diuus Diony. in eo loco nec illud dicit, nec illud inſinuat: quin potius ibi magis uidetur & inſinuare, & dicere oppoſitum. Quod probo duobus modis, uiis, aut mediis. Primùm, ex uerbis eiuſdem Dionyſij in eodem loco. Secundò, ex dictis Dionyſij Carthuſiani commentatoris eius.

Verba Dionyſij ſunt, Ipſe quoque noſter auguſtiſsimus & primus Pontifex, (& hoc enim propter nos fieri uoluit benigniſsimus Iesus) non ſeipſum glorificauit, ut ſcriptura ait, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quocirca & ipſe diſcipulos ad ſacerdotalem functionem promouens, & quidem cum eſſet myſteriorum princeps, quippe cùm Deus: ad Patrem tamen ſanctiſsimum diuinumque Spiritum, huiuſmodi conſummationis officium refert, diſcipulos ut legimus,

Diony. De Eccl. Hierar. cap.5. par.3. Pſal.109.

admonens, ne ab Hieruſalem diſcederent, ſed expectarent
Act. 1. promiſsionem Patris, Quam audiſtis, inquit, ex me, quia uos baptizabimini in Spiritu ſancto. Hæc ille. Ecce nihil aliud dicit, niſi quòd Saluator promouens diſcipulos ad ſacerdotalem functionem, ad Patrem & ad Spiritum ſanctum huiuſmodi conſummationis refert officium. Verba ſua ſunt, Quibus manifeſtè dicit primùm quidem, quòd Saluator ipſe diſcipulos ad ſacerdotalem functionem promouit; deinde quòd huiuſmodi, conſummationis officium in Patrem & Spiritum ſanctum retulit. Vnde profectò Christo tribuit Dionyſius diſcipulorum promotionem, dum dicit, Ipſe diſcipulos ad ſacerdotalem functionem promouens: Patri autem & Spiritui ſancto tribuit iſtius promotionis conſummationem, dum dicit, Ad Patrem tamen ſanctiſsimum diuinumq; Spiritum, huiuſmodi conſummationis officium refert. Christvs ergo ſecundum Diony. promouens, refert. Si promouens, ergo tunc promouebat. Non enim eſt promouens, niſi qui promouet: ſicut non eſt amans, niſi qui amat: nec eſt currens propriè, niſi qui currit. Promouebat igitur Christvs tunc. Quos? Diſcipulos. Ad quid? Ad ſacerdotalem functionem. Hæc ſunt uerba, & hæc eſt mens Dionyſij illius glorioſi. Referebat etiam Christvs in Patrem & Spiritum ſanctum. Sed quid referat pro alio tempore? Non id, quod ipſe tunc faciebat. Referebat autem, huiuſmodi conſummationis officium. Etiam hoc dicit idem Dionyſius. Sed hoc eſt longè aliud. Quemadmodum aliud eſt aliquos homines ad ſacerdotalem ordinem promouere, & aliud eſt ipſos homines conſummare: ita aliud eſt aliquorum hominum ad ſacerdotalem ordinem promotio, & aliud eſt ipſorum hominum promotorum conſummatio. Notiſſima ſunt iſta omnia. Ita Christvs in cœna ante paſsionem promouit Apoſtolos ad ordinem ſacerdotalem, dans eis poteſtatem ſuper aut circa corpus & ſanguinem ſuum proprium, ut poſſent conſecrare & offerre: ſed conſummationem ipſorum Apoſtolorum in ſcientia & gratia, quæ multùm conducebant ad bonum uſum huius tantæ, tamque excellentis poteſtatis, in aliud tempus retulit, & in aduentum Spiritus ſancti. Non quaſi ipſe tunc non poſſet Apoſtolos

conſummare,

conſummare, ſed propter alias rationes. Erat enim tunc tempus aptum, ad Apoſtolorum in ſacerdotes ordinationem: non tamen erat tempus aptum tunc, ad Apoſtolorum conſummationem talem, qualem intendebat CHRISTVS. Ideo dicebat illis, Expedit uobis, ut ego uadam. Si enim non abiero, Paracletus non ueniet ad uos: ſi autem abiero, mittam eum ad uos. Et Euangeliſta dicit, Nondum Spiritus erat datus, quia nondum CHRISTVS fuerat glorificatus. Venturus enim erat Spiritus cum magna gratiarum abundantia, docturus erat Apoſtolos omnem ueritatem, ſuggeſturus erat in memoriam eorum quicquid eis CHRISTVS dixerat, repleturus eos gratia, atque mundum redarguturus de peccato, de iuſtitia, & de iudicio. Atque ita palàm facturus erat CHRISTI negocium in ſigno uiſibili, exaltando eius Apoſtolos, ut nihil haberent aduerſarij, quod obgannirent: niſi quòd iam tunc ad fidem uenirent, & pœnitentiam.

Alia translatio uerborum Dionyſij ita habet: Sed & diuinus noſter & primus ſanctificus (factus eſt enim & hic propter nos humaniſsimus IESVS) non ſe ipſum glorificauit, ut eloquia aiunt, ſed qui locutus eſt ad eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Propter quod & ipſe in ſacerdotalem conſummationem ducens diſcipulos, & quidem ſubſiſtens ut Deus perfectionis princeps, tamen in ſanctiſsimum ſuum Patrem & diuinum Spiritum perfectionis principalem retulit Hierarchicæ perfectionem, annuntians diſcipulis (ut eloquia aiunt) ab Hieroſolymis non recedere, ſed expectare promiſsionem Patris, quam audiſtis mei, quia uos baptizabimini Spiritu ſancto.

Dionyſius Carthuſianus fecit commentaria in illud opus Magni Dionyſij, & expoſuit omnia ſatis fœliciter: ſicut erat doctus, pius, catholicus, in diuinis ſcripturis ac ſanctis doctoribus & patribus ſcholaſticis uerſatiſsimus. Ipſe ſequens immediatè poſitam translationem, Propter quod & ipſe in ſacerdotalem conſummationem ducens diſcipulos. dicit, Id eſt, Apoſtolos ad ſacerdotium promouens, quod fecit in cœna, dicendo, Hoc facite in meam commemorationem. ut alibi ex doctoribus ſolidis copioſè oſtendi. Hæc dicit il-

Diony. Carthu. art. 10.

le doctor inſignis circa illum locum Magni Dionyſij explicationem adferens.

Idem commentator circa illud uerbum eiuſdem auctoris, Vnde in ſanctiſsimum Patrem & diuinum Spiritum. dicit, Id eſt, in Deum Patrem ſubſtantialiter ſanctum, & in Spiritum ſanctum. Et circa illud, Perfectionis principalem retulit Hierarchicæ perfectionem. ait, Id eſt, reduxit perfectionem principalem. id eſt, primam & increatam perfectionem, quæ eſt cauſa & fons totius Hierarchicæ perfectionis. Hoc eſt, CHRISTVS ſecundum quòd homo, omnem perfectionem ſuam creatam & Eccleſiaſticam poteſtatem aſſcripſit Patri atque Spiritui ſancto. immo & ſibi ipſi ſecundum quòd eſt uerbum æternum: quoniam tota ſupergloriosiſsima Trinitas eſt unus uerus Deus, ſummè & ſolus abſolutè perfectus, & ſumma ac una perfectio increata, ſeparata, in ſe & per ſe ſubſiſtens. Hæc ille. Ecce quid CHRISTVS ſecundum ſententiam Dionyſij retulit. Vnde ex Dionyſio in eo loco, nullum argumentum poteſt fieri in oppoſitum, ut iam conſtat ex dictis. Si autem adducatur in contrarium aliquis alius commentator ipſius; ego magis accipio, plurisque facio Dionyſium Carthuſianum, quàm aliquem alium eiuſdem Dionyſij Areopagitæ commentatorem. Præſertim quia mihi notum eſt ex multis, iſtam eſſe mentem ilius, & doctrinam; non aliã. Satis enim manifeſta ſunt uerba ipſius. Et notiſsima eſt materia, notiſsimaque ueritas de qua agimus, ſecundum quam debent regulari omnia uerba hominũ.

Si dixerit quiſpiam, In die Spiritus ſancti, ſeu in feſto Pentecoſtes repleti ſunt Apoſtoli Spiritu ſancto atque bona ſcientia, & ſcientia pertinet ad clauem regni, quæ eſt poteſtas cognoſcendi ſeu intendendi in cauſa peccatoris, ut rectum poſſet habere uſum alia clauis regni, quæ eſt poteſtas iudicandi aut pronuntiandi in eadem cauſa: Ergo uidetur, quòd uſque tunc dilatum eſt negotium promotionis Apoſtolorum in ordinem ſacerdotalem. Reſpondeo, Tum, quòd ſatis dictum eſt de promotione Apoſtolorum ad ordinem ſacerdotalem; quicquid ſit de promotione eorum ad poteſtatem remittendi aut retinendi peccata. Siue iſtam poteſtatem remittendi peccata acceperint in cœna aliquo mo-

do, ſaltem quoad habitum, ſiue non: ſiue eam acceperint in die Reſurrectionis, ut eſt uerum: ſiue etiam in die Pentecoſtes, ut alij fingere poſſunt, ſicut fictores fingunt pro libito. Tum, quòd ſcientia hominis quæuis acquiſita uel infuſa, actualis, uel habitualis, non eſt ipſa clauis, ſeu ipſa poteſtas cognoſcendi in cauſa huiuſmodi: quamuis bene quidem talis clauis ſeu poteſtas requirat ſcientiam uel diſcretionem comitantem rectum uſum eius; quemadmodum etiam alia clauis, quæ dicitur poteſtatis requirit iuſtitiam ad rectum uſum ſui. Vnde ſicut poteſtas iudicandi non eſt iuſtitia, immo poteſt eſſe ſine iuſtitia: ita poteſtas uel auctoritas cognoſcendi in aliqua cauſa, non eſt ſcientia uel diſcretio, quinimmo poteſt eſſe ſine diſcretione cognoſcendi. De quo pulchrè loquitur doctor ſubtilis in ſuo quarto libro ſententiarum. Concordant Alexander de Ales in quarta parte, & Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ. Scotus diſt. 19. quæſt. Alexand. qó. 87. art. 2. Memb. 3. Gabriel. lect. 1.

S. BONAVENTVRA.

Sanctus Bonauentura ſuper Lucam, circa illud, Et accepto pane, gratias egit & fregit; & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. dicit multa ad inſtitutionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ pertinētia. Deinde circa illud, Hoc facite in meam commemorationem. ait, In quo dat eis poteſtatem, ut faciant quod ipſe fecit, ac per hoc etiam ſacerdotalem ordinem eis tradidit. Hæc ille. litera D. Lucæ 22.

ANTONIVS Monchiacenus.

Antonius Monchiacenus, doctor Sorbonicus, nunc nouiſsimè ſcripſit multa de ſacrificio Miſſæ, in ſua Catholica & hiſtorica propugnatione Chriſtianæ religionis: idque fecit exactiſsimè, uerè religioſè, & exquiſitiſsimè. Ipſe auctor poſtquam multis oſtendit, Miſſam eſſe ſacrificium, ex patribus ſanctiſsimis atque antiquiſsimis, & ex ſanctis conciliis: oſtendens quòd Miſſæ ſacrificium & corporis CHRISTI communicatio primùm in Hieruſalem & mons Sion incœpit, dixit inter alia, Omnia itaque hæc, quæ oſtendunt in deſerto tom. 2. cap. 3.

Sinai illo tempore fuiſſe celebrata, Primò, ut tabernaculi primi erectionem, in quo ſacrificia offerentur. Secundò, ſacerdotum primam inſtitutionem, ac eorundem unctionem. Tertiò, primam ſacrificiorum oblationem per ſacerdotum manus. Quartò, primam Paſchæ celebritatem decimaquarta die à filijs Iſraël obſeruatam. figurabant in Hieruſalem, & monte Sion perficienda ſuo modo in noua lege per CHRISTVM qui in Hieruſalem primò erexit ſacrificij locum ſui corporis, quando ſuis dedit diſcipulis corpus, quos ibidem in ſacerdotes & ſacrificij Miſſæ miniſtros primò ordinauit. Hæc ille. Ecce fatetur ingenuè cum aliis patribus ſanctiſsimis & doctiſsimis, quòd Saluator noſter in Hieruſalem primò erexit ſacrificij locum ſui corporis, quando ſuis dedit diſcipulis corpus: & quod eos ibidem in ſacerdotes & ſacrificij Miſſæ miniſtros primò ordinauit.

ALFONSVS Caſtrenſis.

lib.13. Alfonſus à Caſtro, Archiepiſcopus Compoſtellanus in ſuo opere aduerſus hæreſes, agens de Sacerdotio contra Lutherum, oſtendit, ſacerdotium Chriſtianum non pertinere ad omnes Chriſtianos indiſcriminatim, ſed ad eos tantùm, qui in ſacerdotes ordinati fuerint. Dicit autem ad propoſitum noſtrum præſentis dogmatis, Præterea ſi inſtitutio ordinis ſacerdotalis, & eiuſdem inſtitutionis tempus bene cir-
Lucæ.22 cumſpiciantur, facilè huius rei ueritas patebit. Nã ſacerdotes fuerunt à Domino initiati in cœna ultima, quando Saluator noſter cum dicipulis ſuis cœnans dixit illis, Hoc facite in meam commemorationem. Fuerunt autem conſummati in ſacerdotio, cum pòſt reſurrectionem dixit eiſdem,
Ioã.20. Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hæc ille. Ecce Apoſtoli in cœna nouiſsima fuerunt initiati ſacerdotes, dum eis dixit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem. Ergo tunc, aliquam poteſtatem ſacerdotalem acceperunt. Non dubium autem, quin ſupra corpus CHRISTI uerum. Vt facerent quod ipſe tunc fecit, Quemadmodum & uerba ipſa declarant, Hoc facite in meam commemorationem.

IOAN. à Turre cremata.

Ioannes à Turre cremata in ſua Summa De Eccleſia, circa poteſtatem ſacramentalem ſiue ordinis, & iuriſditionalem, ponit duodecim concluſiones: & inter eas ſic format quartam & quintam. Quarta eſt, Ad unam & eandem ordinis poteſtatem pertinent iſti duo actus, ſcilicet corpus CHRISTI conficere, & ad illius ſuſceptionem populum aptũ dignumque reddere. Quinta eſt, Poteſtas ordinis quoad primum actum, conſecrare corpus CHRISTI, & alijs miniſtrare, data eſt Apoſtolis in cœna Domini, quibus ait Dominus, Accipite inter uos & diuidite. Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Vbi Gloſſa Inter. habet, Accipite & date. Quãtum uerò ad ſecundum actum, qui eſt abſolutio peccatorum, data eſt, cum dictum eſt Apoſtolis, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.

lib. 1. cap. 93. — Lucæ 22. — Ioan. 20.

IOAN. Eckius.

Ioan. Eckius ſimili modo docet iſtam ueritatem palàm, idque in uerbis manifeſtis; aſſerens, quòd Saluator noſter in ultima cœna nouum ſacrificium nouumque ſacerdotium inſtituit, dicens, Hoc facite in meam commemorationem.

tomo. 4. Hom. 27.

CATHALOGVS Doctorum ſanctorum & catholic. tam antiquorum quam recentiorum, qui dixerunt Saluatorem noſtrum in cœna nouiſsima Apoſtolos feciſſe ſacerdotes.

Clemens Martyr.	Durandus.
Dionyſius Areopa. Martyr.	Caietanus.
Hieronymus.	Dominicus Soto.
Sanctus Thomas.	Vuendelinus Stambachus.
Sanctus Bonauentura.	Alfonſus Caſtrenſis.
Dionyſius Carthuſianus.	Ioannes à Turre cremata.
Scotus.	Ioannes Eckius.
Gabriel Biel.	Antonius Monchiacenus.

Prior concluſio ad Articulum quartum probatur; & oſtenditur, Miſſæ ſacrificium Euchariſtiam ſumentibus, tanquam ſacrificium & ſacramentum prodeſſe; non ſumentibus uerò, tanquam ſacrificium duntaxat. CAP. VIII.

QVartus articulus duas nactus fuit concluſiones, ut iam uidimus lib. primo. Prior eſt, Sacrificium, quod in Miſſa fit, ut ſacrificium & ſacramentum ſimul, prodeſt CHRISTI fidelibus ſumentibus Euchariſtiam ſacratiſsimam: non ſumentibus tamen prodeſſe poteſt per modum ſacrificij tantùm. Poſterior eſt, Hoc diuinum ſacrificium poteſt offerri etiam pro non ſumentibus, pro peccatis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus fideliũ uiuentium: etiam & pro fidelibus defunctis.

Poſſemus, etiam præſentibus concluſionibus probandis, longiſsimam habere orationem: tum, quia materia earum latè nimis patet, longaque eſt & profunda: tum, quia ueritas earum minimè eſt parui aut mediocris momenti, ſed maximi. Quia uerò ſicut earum materia eſt lata, ita eſt nota, &, ut iam diximus, in his, qui ſequuntur, articulis, poſt primum, breuiores eſſe decreuimus, ſermonem contrahemus, ac breuitati ſtudebimus. Verùm non uſque adeò, ut huius ſtudio, obſcuritati locum ullo pacto concedamus.

Prima concluſio probatur, quia Euchariſtia ut ſacramentum, prodeſt ſumenti. Aliàs eſſet fruſtrà inſtituta ad uſum fidelium. Rurſus Euchariſtia ut ſacrificium, prodeſt illis pro quibus offertur. Alioquin in uanum eſſet inſtituta tanquàm ſacrificium. Offertur autem pro omnibus, qui communicaturi ſunt ex ea: ergo & ut ſic, prodeſt ſumentibus. Abſque dubio igitur dicendum eſt, hoc ſacrificium prodeſſe ſumentibus, ut ſacramentum & ut ſacrificium ſimul. Quod uerò non ſumentibus prodeſſe poteſt per modum ſacrificij tantùm, ita oſtenditur. Vt ſacrificium poteſt offerri etiam pro non ſumentibus, ut conſtat: quia non eſt nec fuit unquam limitatum, ut pro ſolis ſumentibus, aut ſumpturis offeratur. Igitur & illis poteſt prodeſſe. Extenditur enim

ſua uis & uirtus ad omnes pro quibus offertur, modò ipſi non opponant obicem.

Hîc unum notandum eſt maximè, & ualde eſt memoriæ commendandum, id eſt, quòd ſicut ſacra Euchariſtia ex ſua inſtitutione à Saluatore noſtro, habet uirtutem & efficaciã ex ui ſacramenti, ſeu ut noſtri Theologi bene dicunt, ex opere operato, prout eſt ſacramentum, ſic ex ſua inſtitutione à Saluatore noſtro habet uirtutem & efficaciam ex ui ſacrificij, ſeu etiam ut communiter & bene Theologi dicimus ex opere operato, prout eſt ſacrificium. Vna eſt enim ſacra Euchariſtia quantum ad rem, quæ habet has duas rationes & uires, ut ex dictis conſtat ſatis. Iſtas duas uires efficaces quidem ex inſtitutione CHRISTI & in ſuis meritis, notauit S. Thomas in ſacra Euchariſtia, prout ex dictis conſtat, & conſtabit ex dicendis. Ita, ſed manifeſtius docuit poſt ipſum S. Thomam, Scotus in ſuis Quolibetis; & poſt Scotum, Gabriel Biel ſuper canonem Miſſæ. optimè enim hi duo poſteriores docuerunt, quòd Miſſa poteſt intelligi ualere & efficaciam habere dupliciter, Vno modo ex opere operante, ſeu aliàs, ex opere operantis, ſeu celebrantis ac offerentis: Alio modo ex opere operato, ſeu ex ipſa Miſſa, ex ſua efficacia, uirtute, ac efficientia, & ui, quam habet ex ſua inſtitutione à CHRISTO. Ex opere operante, ſeu operantis, hoc eſt ex merito perſonali perſonæ celebrantis; propter quod confert Deus petita à ſacerdote eis, quibus orationem & Miſſæ ſacrificium applicat. Ex opere operato, id eſt, ex ipſa conſecratione, oblatione, & ſumptione uenerabilis Euchariſtiæ, non habendo reſpectum ad perſonalem ſanctitatem aut meritum ſacerdotis. Addit docens Gabriel, quòd ſi iſte ualor Miſſæ ex opere operato accipiatur, & conſideretur prout eſt ex diuina inſtitutione CHRISTI optimi, qui efficaciter determinauit ſe ad conferẽdum quoſdam effectus, gratuitos, & ſalutares, ad conſecrationem, oblationem, & ſumptionem corporis & ſanguinis ſui, factam à ſacerdote; ſicut dicimus de cæteris ſacramentis nouæ legis, quòd habent uirtutem ex CHRISTI inſtitutione: hoc modo Miſſa proficeret, etiam ſi per impoſsibile, nullus mortalium eſſet in gratia. Sicut baptiſmus tollit originale

S.Tho. part. 3. qõ. 79. art. 5.
Scotus qõ. 20.
Gabriel lect. 26. litera G. & deinde.

peccatum, & confert gratiam infanti baptizato: & idem faceret, etiam ſi cuncti uiatores eſſent peccatores. Iſtã enim efficaciam aliorum ſacramentorum, & Miſſæ, meruit Christi paſsio: ea uerò ſacramentis aliis & Miſſæ contulit, ſpecialis Christi inſtitutio. Deinde procedit idem auctor, dicens, quòd, Alio modo intelligitur Miſſa habere effectum & eſſe accepta Deo ex opere eperato, præcisè ratione oblationis ſacrificij quod in Miſſa perficitur, non attendendo Christi inſtitutionem: & tunc in ſequentibus docet, oportere ſecundum iſtam conſiderationem, offerentem eſſe Deo

Gen. 4. gratum, & acceptum. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad

Grego. munera eius. Et Grego. Non penſat Deus quantum, ſed ex

Lucæ. 21. quanta & quali uoluntate offeratur. Conſtat de uidua paupercula, cuius paruam oblationem magni fecit Dominus. Semper autem offerens, eſt Deo gratus. Quia & ſi ſpecialis ſacerdos poſsit deficere, qui offert immediatius: tamen ſancta Mater Eccleſia non poteſt deficere, quæ offert principalius. Vt ſemper quieti ſimus, quouis modo ualorem, efficaciam, atque uirtutem Miſſæ conſideremus. Habet igitur Miſſa efficaciam ex opere operato, prout eſt ſacramentum: habetque ſimul efficaciam ex opere operato, prout eſt ſacrificium. Vtrunque autem habet ex diuina inſtitutione. Et eadam eſt ratio de utroque. Quia ſicut excedit ſacramenta ueteris legis in ratione ſacramenti: ſic excedit ſacrificia ueteris legis in ratione ſacrificij.

S. Tho. par. 3. qõ. 79. art. 7. Iſtam noſtram concluſionem primam ponit & probat ſanctus Tho. dicens, Dicendum, quòd, ſicut prius dictum eſt, hoc ſacramentum non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium. Inquantum enim in hoc ſacramento repræſentatur paſsio Christi, qua Christus obtulit ſe hoſtiam Deo, ut dicitur Epheſ. 5. habet rationem ſacrificij: Inquantum uerò in hoc ſacramento traditur inuiſibilis gratia ſub uiſibili ſpecie, habet rationem ſacramenti. Sic ergo hoc ſacramentum ſumentibus quidem prodeſt & per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: quia pro omnibus ſumentibus offertur. Dicitur enim in Canone Miſſæ, Quotquot ex hac altaris participatione, ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti

& gratia

& gratia repleamur. Sed aliis, qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificij, inquantum pro ſalute eorum offertur. Vnde & in Canone Miſſæ dicitur, Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus uel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ. Et utrunque modum proficiendi Dominus expreſsit, dicens, Qui pro uobis, ſcilicet ſumentibus, & pro multis, ſcilicet aliis, effundetur in remiſsionem peccatorum. Hæc ille.

Confirmatur ex communi uſu ſanctæ Matris Eccleſiæ per totum Orbem diffuſæ. Is enim ſemper fuit communi omnium ſenſu cognitus, & conſenſu probatus, offerendi Miſſam Deo Optimo, etiam pro aliis quàm ſumentibus. Conſtat iſte uſus ex cunctis libris, in quibus ea quæ circa hoc diuinum ſacrificium peraguntur dum offertur, continentur: ſiue Miſſam apud Latinos conſideremus, ſiue Liturgiam apud Græcos. Nec minùs conſtare debet, non poſſe fruſtrà eſſe, fieri, aut obſeruari conſuetudinem, uſum, aut ritum offerendi pro aliis quàm ſumentibus, ita communiſsimum, & ita antiquiſsimum. Optimè iudicauit Auguſtinus ad Ianuarium ſcribens, ſtultitiam eſſe grauiſsimam, ſi quis uellet uocare in diſputationem, quod ubique ſeruat Eccleſia. Auguſt. Epiſt. tom. 2.

Iaciuntur nonnulla fundamenta Concluſionis poſterioris ad prænotatum Articulum quartum; qua affirmatur, diuinum Miſſæ ſacrificium offerri poſſe etiam pro iis qui ſacram Euchariſtiã non ſumunt; pro peccatis, neceſsitatibusque eorum qui in humanis agunt atque etiam pro fidelibus uita functis. CAP. IX.

SEcunda Concluſio quantum ad eam particulam qua dicit, hoc diuinum ſacrificium poſſe offerri etiam pro non ſumentibus; liquet iam ex dictis. Offertur enim, & non fruſtrà, ut eſt oſtenſum: ergo poteſt offerri, iuſtè, licitè, ſanctè, & cum fructu. Tum quia, ut eſt monſtratum, hoc diuinum ſacrificium ſucceſsit nobis loco omnium præcedentium, tam in lege Moſis, quàm in lege

naturali. Sed olim offerebatur ſacrificium etiam pro abſentibus & non ſumpturis de illo, ut eſt uidere apud Iob. Offerebat enim Iob pro filijs, non aſtantibus, ſed ad conuiuium euntibus per domos ſuas. Ergo & nos id poſſumus facere. Nihil profectò eſt, quo prohibeamur; & multa ſunt, quibus oſtenditur, quòd id facere ualemus. Sacramentum eſt ſacramentum, & habet ſuam rationem ſacramenti, ut proſit ſolis ſumentibus: ſacrificium autem eſt ſacrificium, & habet rationem ſacrificii, ut omnibus proſit pro quibus offertur. Euchariſtia ſacra habet utranque rationem: quia perfectiſsimo modo eſt, tam ſacramentum, quàm ſacrificium. Tum, propter multas alias rationes, quas non eſt opus modò adducere.

Iob.

Quantum autem ad partem aliam eiuſdem concluſionis, in qua dicitur, ſacram Euchariſtiam poſſe offerri pro peccatis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus fidelium uiuentium; etiam & pro fidelibus defunctis; non ſecus eadem concluſio eſt nota, uera, & Catholica. Ita ſemper & cum hac fide, fuit ſacra Euchariſtia habita in uſu, à temporibus Apoſtolorum uſque ad nos: tempore ſanctorum Martyrum, & aliorum ſanctorum: ut nullum ſit tempus aut fuerit Chriſtianorum, in quo oppoſitum huius ueritatis reperiatur obſeruatum.

Si ſacram Euchariſtiam conſideramus ſecundum ſuam naturam, id eſt, prout eſt inſtituta à Christo, & habet uim, uirtutem, uolarem, atque efficaciam ex eius meritis, neceſſariò debemus ſic dicere, Sacra Euchariſtia eſt holocauſtum, ſacrificium pacificum, & ſacrificium propitiatorium pro peccatis: omniumque horum uſum habet, ueritatem, & uirtutem: immo in immenſum excedentem; ut etiam bene docet Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, poſt Ioannem Gerſonem, & poſt eos Ruardus Tapper in explicatione articulorum Confeſsionis Louanienſis. Qui doctor fœliciter profectò dicit inſuper in eodẽ loco, paulò ante, Offerri igitur poteſt ſacra Euchariſtia in omnem uſum & finem, ad quem ſacrificia offerri poſſunt, & ad quem legis ſacrificia diuinitus ſunt inſtituta. Succeſsit enim in locum omnium ueterum ſacrificiorum. Nam docet beatus

Gabriel. lect. 85. litera E. F. & G. Gerſon. Alph. 89. V. Ruardus. art. 16.

Auguſtinus, ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech, quod Christus exhibuit hîc de corpore & ſanguine ſuo, ſucceſsiſſe omnibus ſacrificiis ueteris teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Auguſt. De ciuit. Dei. lib. 17. cap. 20. & lib. 1. cõtra aduerſariũ legis & Prophe. cap. 20.

Alexander V. Pont. & alij.

Alexander quintus à Beato Petro Pontifex, ſcribit, quòd crimina atque peccata oblatis his Domino ſacrificiis, deleantur, quódque talibus hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim, inquit, in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Christi: nec ulla oblatio, hac potior eſt. Eadem ſcribit Iulius primus, epiſtola ad Epiſcopos per Aegyptum. Et Beatus Cyprianus dicit, Euchariſtiam eſſe holocauſtum, ad purgandum iniquitates. Idem quoque habet Ambroſius, & Chryſoſtomus. Sacerdos, inquit, pro uniuerſo Orbe legatus intercedit, eſtque apud Deum deprecator: ut omnium non uiuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis fiat propitius. Ambroſius in De Officiis, Ante agnus offerebatur, offerebatur uitulus: nunc Christus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſsionem, & offert ſe ipſe quaſi ſacerdos, ut peccata noſtra dimittat. Hic in imagine, ibi in ueritate, ubi apud Patrem pro nobis quaſi aduocatus interuenit.

Epiſt. ad omnes orthod. Iulius ad Epõs per Ægyp. Cypria. Ambr. Chryſoſt. De ſacerdotio. lib. 6. Ambro. lib. 1. cap. 48.

D. Ambrosius.

Idem auctor Ambroſius glorioſus, in prima præcatione præparante ad Miſſam, docens omnes ſacerdotes modum quem in ſua mente tenere debent, ad altare Domini accedentes, hoc diuinum ſacrificium confecturi & oblaturi, dicit in perſona ſua, Ego enim Domine memor uenerandæ paſsionis tuæ accedo ad altare tuum, licèt peccator, ut offeram tibi ſacrificium quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra. Suſcipe ergo iſtud, quæſumus, Domine Deus, dulciſsime Ieſu Christe pro Eccleſia tua ſancta, & pro cuncto populo tuo, quem

Ponitur immediatè poſt librum De dignitate Sacerdo. Qui habet poſt lib. De Sacramẽtis.

acquiſiuiſti ſanguine tuo precioſo. Et quoniam me peccatorem inter te & eundem populum medium eſſe uoluiſti, licèt in me boni operis teſtimonium non agnoſcas, officium diſpenſationis creditæ non recuſes: nec per me indignum famulum tuum eorum ſalutis, pereat precium, pro quibus uictima factus ſalutaris, dignatus es eſſe redemptio. Profero ergo Domine, ſi dignaris propitius intueri, tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitum, miſeriam orphanorum, neceſsitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, uota uirginum, lamenta uiduarum; Tu enim miſereris omnium, Domine, & nihil odiſti, omnium quæ feciſti. Memorare quæ ſit noſtra ſubſtantia; quia tu, Pater noſter es, &c. Ecce orationem & mentem Ambroſij, accedentis ad altare Domini, hoc diuinum ſacrificium oblaturi. Ecce pro quibus offert, quia pro Eccleſia Dei, & pro cuncto populo ſuo. Atque ecce ad quæ bona impetranda, & mala uitanda.

Ioan. Chryſoſtomus.

Lib. 6. ubi ſupra. Diuus Ioannes Chryſoſtomus in De Sacerdotio, oſtendens quomodo ſacerdos accedit ad Deum, & quæ precans, dicit, Eum qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? immo uerò pro uniuerſo terrarum Orbe Legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium, non uiuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat; qualem, quæſo, eſſe oportet? Equidem neque Moſis, neque Heliæ fiduciam fore unquam ſatis putauerim ad ſupplicationem huiuſmodi peragendam. Quādoquidem quaſi mundus illi uniuerſus concreditus, atque adeo omnium ſit pater: ſic ad Deum ipſe accedit, deprecans quidquid ubique bellorum eſt, extingui: atque in horum locum pacem ac fœlicem rerum ſtatum ſuccedere: denique celerem malorum unicuique imminentium qua priuatim, qua publicè defunctionem poſtulans. Hæc ille. Ecce pro quibus orat & intercedit Sacerdos, quia pro uiuis, ac pro defunctis, & quæ bona etiam poſtulat, ad uiuorum commoditatem.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus ad Vitalem, dicit, Sacerdos ad altare Dei ſtans, exhortatur populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus conuertat ad fidem; Et pro catechumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret. Et pro fidelibus, ut in eo quod eſſe cœperunt, eius munere perſeuerent. Epiſt.107

Idem Auguſtinus ad Paulinum, Multa dici poſſunt ſuper illum locum Pauli, Obſecro autem primùm fieri obſecrationes, &c. quæ improbanda non ſunt. Sed eligo in his uerbis hoc intelligere, quod omnis, uel penè omnis frequentat Eccleſia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequàm illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Idme au-ctor. Epiſt. 59. 1.Tim.2.

Sacra Euchariſtia noſtra, ò Domini illuſtriſsimi & patres ſanctiſsimi, inſtituta eſt nobis à Saluatore noſtro in ſacramentum & in ſacrificium; in cibum quem ſumamus ad noſtram uitam ſpiritalem animæ conſeruandam, quo nutriamur, augeamur, conſolidemur, roboremur, delectemur, ipſique CHRISTO miris modis uniamur: & in ſacrificium, quod pro nobis, pro noſtris peccatis, proque aliis noſtris neceſsitatibus offeramus Deo. Vt eſt ſacramentum ſeu cibus ſpiritalis animarum, prodeſt ſolis ſumentibus: quia hæc eſt natura cibi, ut ſolis ſumentibus proſit. Vt autem eſt ſacrificium, prodeſt profectò omnibus pro quibus offertur, niſi ipſi obicem ponant: quia hæc eſt natura ſacrificij, ut conſtat omnibus, ſapientibus, & inſipientibus. Qui homines ſunt omnino extra fidem Chriſtianam, ut Iudæi, Gentiles, Turcæ, Sarraceni, Mahometicique omnes, nullam uirtutem harum recognoſcunt in noſtra ſacra Euchariſtia, ſed utranque rident, utranq; contemnunt, utranque abiiciunt. Qui homines partim ſunt CHRISTI, ſi tamen hoc magnum negocium diuidi poteſt, partim à Chriſtianis deficiunt, ut iſti noſtri aduerſarij, quos non nomino, quia noti ſunt, in ſacra Euchariſtia alteram rationem confitentur, alteram negant: quia confitentur in Euchariſtia rationem ſacramenti & cibi, negant tamen in illa ra-

tionem ſacrificij. Nos uerò homines, catholici Chriſtiani, qui priſcam ſeu antiquam Christi fidem retinemus, Catholicam, & Apoſtolicam, utranque uirtutem in ſacra noſtra Euchariſtia ex inſtitutione Christi & in ſuis meritis corde credimus, ad iuſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem. Inquantum recognoſcimus illam eſſe cibum & ſacramentum, loquimur de illa ſecundum rationem cibi & ſacramenti: inquantum autem recognoſcimus illam eſſe ſacrificium, loquimur de illa ſecundum rationem ſacrificij. Sacrificium uerò ad alios ſe extendit etiam, quàm ad ſolos ſumentes. Bene dixit Ioan. Driedonius in ſuo opere De dogmatibus uariis, &c. Nam in eo, inquit, quòd Christvs dedit poteſtatem accipiendi panem & uinum, benedicendi, & gratias agendi, & conſecrandi in corpus & ſanguinem ſuum, intellexerunt patres ab exordio naſcentis Eccleſiæ, in ſacrificium offerendum, & frequentandum uſque in conſummationem ſæculi. Et conſtat ſanctos patres ita intellexiſſe ſemper, ex illis penè infinitis eorum teſtimoniis quæ poſuimus ad primum artic. Vnde non ſolùm patres intellexerunt ab exordio naſcentis Eccleſiæ, corpus & ſanguinem Christi eſſe ſub ſpeciebus panis & uini offerendum; ſed etiam intellexerunt offerendũ eſſe etiam pro aliis, quàm pro ſolis ſumpturis. Nãque & pro defunctis. Sacrificium enim hoc mirabile & planè diuinum pro defunctorum requie offerre, quia per totum Orbem ſemper à temporibus Apoſtolorum eſt cuſtoditum, credimus ab ipſis Apoſtolis eſſe traditum, quemadmodum teſtatur Iſidorus in De Origine officiorum. Tertullianus indicat iam olim ſacrificium eſſe apud Chriſtianos, & id quidem fieri pro Imperatore ac aliis, unum, cum dicit, Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, & id quidem pura prece, quæ ſcilicet fit in ſacrificio altaris. Ita in libro de Monogamia dicitur, Enimuero pro anima eius orat, & refrigerium interim poſtulat, & offert annuis diebus dormitionis eius.

Io. Drie. lib. 4. cap. 5. par. 4.

Iſidorus. lib. 1.

Tertull.

Continuando præcedentia agitur de fructibus, effectibus, uirtutibusque multiplicibus ſacræ Euchariſtiæ; deque paſsionis Dominicæ memoria. CAP. X.

GAbriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, multa de hoc auguſtiſsimo ſacrificio dicit præclara, diſertè, doctè, Chriſtianeque ſatis, & ſatis amplè. Primùm enim dicit, De fructibus tamen eius, quos conſequūtur ex eius oblatione & ſumptione, qui dignè accedunt ſeu offerunt, eorumque magnitudine, neminem puto mortalium diſſerere plenè poſſe. Refert deinde Richardum, qui in ſuis ſententiis fructus Euchariſtiæ ſacræ ad numerum duodenarium, ſecundum numerum fructuum ligni uitæ reduxit; quo loco, metro ludens, ita inſinuat, Gabriel. lect. 85. Ibid. litera A. Ibid. litera B. Richar. lib. 4. diſt. 9. q6. 2.

Inflammat, memorat, ſuſtentat, roborat, auget.
Hoſtia ſpem; purgat, reficit, uitam dat, & unit;
Confirmatque fidem; munit, fomitemque remittit.

Inflammat charitatem, memorat Dominicam paſsionem, ſuſtentat ad operationem boni, roborat ad perſeuerantiam propoſiti ſancti, auget ſpem, purgat ueniale peccatum & quandoque mortale, reficit manducantem ſpiritualiter æterna conſolatione, uitam dat gratiæ, unit CHRISTO ſollicitè, confirmat fidem ſine errore, munit contra caſum prouenientem ex propria infirmitate, fomitemque remittit, ardorem ſcilicet carnalis concupiſcentiæ, contra dæmonis impulſum. Refert alios, qui fructus Euchariſtiæ dignè ſuſceptæ reducunt ad numerum ſenarium, ſecundum eius ſexcuplicem denominationem. Dicitur enim aliquando gratia, aliquando donum, ſiue munus, aliquando cibus, aliquando communio, aliquando ſacrificium, aliquando ſacramentum: & ſecundum quodlibet nomen, innumerabiles continet & affert fructus, dona, gratias; de quibus D. Albertus librum edidit perutilem, latè proſequens ſingula. Refert alios, qui fructus Euchariſtiæ reducunt ad quatuor generales, prout eſt edulium uegetans ad uitam æternam, uiaticum confortans nos ad perficiendum huius exilij uiam, pi- Ibid. litera C. Alber.

gnus æternæ ſalutis, & communicatio omnis ſanctitatis.
Et ſecundum hæc, effectus eius aſsignari poſſunt, uegetare, confortare, certificare, & perficere. Hos etiam tangit Albertus in eo lib. Refert alios, qui innumerabiles fructus Euchariſtiæ reducunt ad numerum ternarium; id eſt, ad bonum oblationis ſacrificij, bonum communicationis conuiuij, bonum refectionis uiatici. Primum, quoad Deum: ſecundum, quoad proximum: tertium, cuiuslibet quoad ſeipſum. Hanc ordinationem ſequitur Cancell. Pariſien. ſuper Magnificat.

Ioannes Gerſon. tract. 9.

Idē auct. Gabriel Ibid. litera D.

Idem igitur auctor Gabriel Biel, de hoc diuino ſacrificio latè diſerteque iam iam acturus, ita proponit, Sacroſancta Euchariſtia principaliter inſtituta eſt in ſacrificium, & in ſacramentum ſeu cibum. Ideo omnem fructum ſacrificij, omnemque fructum ſpiritualis cibi influit, atque gignit. Poſt iſtam autem concluſionem quidem & catholicam & ueriſsimam, agit, per multa de Euchariſtia ut eſt ſacrificium, & per multa etiam de Euchariſtia ut eſt ſacramentum & cibus. Quoad primum & pro intellectu eius, quomodo uidelicet Euchariſtia nobis eſt inſtituta à CHRISTO in ſacrificium, notat ex Auguſtino in De Ciuitate Dei, quid eſt ſacrificium, quia, Sacrificium cultus quidam eſt ſoli Deo debitus. Notat ſecundò ex Auguſtino, quòd ſacrificium eſt duplex, internum quippe, & externum: ſiue interius inuiſibile, & exterius uiſibile: atque declarat ex eodem Auguſtino, quod eſt ſacrificium internum, & quod externum. In quibus rebus declarãdis, non eſt modò opus moram trahere: quando quidem ſatis nota ſunt omnibus. Poſt hæc quaſi ſecundo loco, proponit & probat idem auctor, quòd homo indiget ſacrificio propter tria, quæ explicat cum ſancto Thoma, iuxta illas tres rationes antiquas ob quas olim ſub lege tria illa genera ſacrificiorum inſtituta ſunt, holocauſtum, hoſtia pacifica, & hoſtia ſeu ſacrificium pro peccato. Poſtea oſtendit quaſi tertio loco, quòd omnia illa ſacrificia quamuis multa, fuerunt tamen figuræ unius ueri & perfecti ſacrificij nouæ legis: ſcilicet CHRISTI in ara crucis immolati. Vnde orat Eccleſia, Deus qui legalium differentias hoſtiarum unius ſacrificij perfectione ſanxiſti, &c. Et concludit, In hac ergo

Auguſt. lib. 10. cap. 4. tom. 5.

S. Tho. par. 3. qō. 22. art. 2.

unica

unica oblatione & perfectiſsimo ſacrificio CHRISTI in cruce, habemus perfectè. quæcunque lex, uel naturæ, uel Moſaica, uel figurabat, uel contulit imperfectè. Per hanc enim peccata noſtra deleta ſunt, per hanc recepimus gratiam nos ſaluantem, per ipſam adipiſcimur perfectionem gloriæ in introitum ſanctorum, & uitæ æternæ hæreditatem. Addens multa nimis de diuino illo ſacrificio CHRISTI Domini noſtri in cruce peracto, à quo nobis tanquam inexhauſto fonte bona omnia promanant, & in nos illabuntur. Rom. 3. Hebr. 5. Hebr. 10. 1. Pet. 3.

Tādem poſt multa dicta egregia, uolens iam particularius agere de noſtro ſacrificio Euchariſtiæ, dicit idem auctor Gabriel in eodem loco, Ecce quantum eſt ſacrificium noſtrum, ne dum memoriale magni illius unici & perfectiſsimi ſacrificij ſemel in cruce oblati, ſed id ipſum, & ſemper id ipſum. Memoriale digniſsimum, ſed nobis peregrinantibus nimis neceſſarium. Cum enim nulli ſperanda eſt ſalus, niſi qui Dei charitate accenſus CHRISTO conformatur, ut deducit Apoſtolus: illa autem nullo in nobis fomento ita conſeruari & augeri poterit, quanto memoria dominicæ paſsionis, quæ meritò ſibi omnem noſtrum amorem uendicat, &c. Infra, Oportuit itaque omni tempore apud homines eſſe memoriale repræſentatiuum paſsionis dominicæ, cuius tot figuræ in teſtamento ueteri præceſſere. Ideo Dominus ut apud fideles iugis ac immortalis uigeret paſsionis ſuæ ſacratiſsimæ memoria, hoc ineffabile ſacramentum in perennem memoriam inſtituit: ut non deficeret exhibitæ redemptionis ſignum ſalubre & efficax, quo ſalus tot laboribus acquiſita influeret redemptis, cuius tot figuræ myſticæ datæ ſunt redimendis. De hoc memoriali, Vrbanus Papa ſic exclamat, O' digna & nunquam terminanda memoria, qua mortem noſtram recolimus mortuam, noſtrūq; interitum uitæ obitu interiiſſe: lignūq; uiuificum cruci affixū, fructum nobis ſalutis & gratiæ attuliſſe. Hæc eſt cōmemoratio glorioſa, quæ fidelium animas replet gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ, deuotionis lacrymas ſubminiſtrat. Hæc ille. Ex quibus aliquantulum apparet fructus huius ſacrificij, ut eſt memoriale crucifixionis CHRISTI; qui eſt accendere ad amorē, gratitudinem, deuotionem, compaſsionem. Ibid. litera I. 1. Cor. 13

Ibid. litera K. Idem Gabriel ita continuat, Eſt etiam ſacrificium illud ſimilium effectuũ operatiuum, quos operatum eſt id ipſum ſacrificium in cruce, quouſque operata ſunt figuralia ueteris teſtamenti ſacrificia, in eius præuiſa uirtute. Ipſa autem ut tactum eſt, oblata ſunt ad peccati expiationem, ad pacis ſtabilitatem, ad cordis cum Deo unionem, ad gratiarum actionem. Primum, ad hoſtiam pro peccatis. Secundum, ad hoſtiam pacificorum. Tertium, ad holocauſtum. Quartum, ſi placet, reſpiciat iuge ſacrificium. Hos quidem effectus plenius operatur noſtrum ſacrificium: nedum in ſumentibus ipſum, ſed in his omnibus, pro quibus offertur. Sumentibus quidem dupliciter proficit, ut dicit beatus Thomas, per modum ſacramenti, & per modum ſacrificij: quia & ſi pro omnibus, ſpecialiter tamen proſumentibus offertur. Vnde dicitur in canone, Vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione, &c. Sed aliis qui non ſumunt, prodeſt per modum ſacrificij, inquantum pro ſalute eorum offertur. Vnde & orat Sacerdos, Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, &c. Et utrunque hunc modum proficiendi Dominus exprimit, Matthæi 26. Qui pro uobis, id eſt, ſumentibus, & pro multis aliis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hæc Thomas.

S.Tho. part. 3. qō.79. art. 7.

Ibid. litera L. Idem auctor Gabriel, in primis ſacramentum Euchariſtiæ uelut ſacrificium ſummo Patri oblatum, ne dum ueniale, ſed & mortale: non dico ſumentium, ſed omnium eorum pro quibus offertur: & quantum ad reatum culpæ & pœnæ plus uel minus ſecundum diſpoſitionem eorum pro quibus offertur, tollit. Vnde ut dicit S. Thomas, Euchariſtia inquantum eſt ſacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit uitam ſpirituale in actu, ſed in potentia. Et ideo ſi eos diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet uirtute illius ueri ſacrificij, à quo omnis gratia in nos fluxit: & per conſequens, peccata mortalia in eis delet. Non ſicut cauſa proxima, ſed inquantum gra-

S.Tho. lib. 4. diſt. 12. qō.5. art. 2.

tiam contritionis eis impetrat. Nec contra illud eſt, quod Auguſtinus ad Renatum dicit, Quis offerat corpus Christi, niſi pro his qui ſunt membra Christi? Intelligitur enim pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut ſint membra Christi. Sic etiam inquantum eſt ſacrificium, accipit rationem ſatisfactionis: & ſecundum hoc in parte uel in uniuerſum pœnam tollit ſicut & aliæ ſatisfactiones ſecundum menſuram pœnæ debitæ pro peccatis, & deuotionis qua ſacramentum offertur, & uirtutes ſacrificij his pro quibus offertur ab offerente applicatur. Et ita non ſemper uirtute huius ſacrificij tota pœna tollitur. Et ideo officium illud offertur pro uiuis & defunctis. De quo latè dictum eſt ſupra. Vbi & tractatum eſt, quantum, & quibus ualet Miſſæ celebratio, quantum ad remotionem mali, & collationem boni: tam ex opere operato, quàm ex opere operante: & ſimiliter lectione 56. & penè per totam Canonis expoſitionem. lect. 26. & lec. 27.

Idem auctor dicit immediatè inferius, Denique quo unquam ſacrificio efficacius impetrari poſſet pax, & omne bonum, ipſa conſeruari, quàm cùm is offertur, qui eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum. E quo ſacrificio perfecta unio animæ noſtræ cum Deo nobis concedi poſſet, quàm cùm ille in holocauſtum offertur, qui ſe totum obtulit pro nobis Patri, ſe totum dedit humano generi, Mediator Dei & hominum, Christvs uerus Deus, & uerus homo. Si demum agendæ ſunt gratiæ Deo Patri, per quem acceptabilius quàm per Filium, in quo ſibi bene complacuit, fontem totius boni, & omnium gratiarum? Et quid conor innumera numero compræhendere? Quidquid Christvs Saluator noſter meruit, ſe offerens in cruce pro omnibus generaliter, tam in remotione mali, quàm in collatione boni, uiatoribus, purgandis, beatis, hoc ſacrificio applicatur particulariter ſingulis. Vnde orat Eccleſia, hoc ſacrificium celebrans: ut omnes ipſum participātes omni benedictione cœleſti & gratia repleantur. Non autem orat Eccleſia pro aliquo, quod huius ſacrificij uirtute conferri non poteſt. Habet quippe Spiritum ſponſi ſui, per quem quod petat, nouit. Hinc tam uaria ordinauit officia, pro neceſsitatibus Ibid.

diuerſis, pro ſpiritualibus ac temporalibus bonis impetrandis, ac malis remouendis, pro defunctis & uiuis, & uiuorum ſtatibus uariis, pro beatis & ſanctis, etiam nunc brauium obtinentibus. Hæc Gabriel.

Grego. lib. 4. dialog. c. ult. Idem ibi ait continuando ſermonem, Narrat beatus Gregorius, quomodo uirtute hoſtiæ ſalutaris in Miſſæ ſacrificio oblatæ, quoties hoc agebatur, captus quidam & ligatus, corporalibus uinculis ſoluebatur. Et alio quodam, Varaca nomine, cui in maris fluctibus laboranti ac deficienti, cibus corporalis per uirtutem angelicam allatus eſt, dum pro eo Miſſa celebrabatur. Per quæ ſic corporaliter exhibita, miſericors Dominus quid in anima operetur, ut ſacrificium, uoluit declarare.

Miſſæ ſacrificium fato functis, tam beatis, quàm in Purgatorio conſtitutis, prodeſſe demonſtratur. CAP. XI.

Ibid. litera M. IDem auctor Gabriel ita proſequitur, Sed dicis, quòd ſacrificium illud uiuis proficiat, credo: quodque ſuffragetur defunctis adhuc Purgatorio igne detentis, ſupra latè oſtenſum eſt. Quomodo autem proficiat beatis, non dum capio. Reſponſio, Quòd ſacrificium illud proficiat beatis, ex eo manifeſtum eſt, quòd of-
lect. 80. fertur pro eis. Nam una particula, in quam frangitur, repræſentat beatos, ut dictum eſt. Non autem offertur pro
lect. 56. aliquibus, quibus non creditur proficere. Quomodo autem proficiat beatis, de hoc dictum eſt ſuprà, quòd hoſtia ſalutaris non offertur pro beatis per modum ſuffragij; nihilominus pro ſanctis offertur, ut gratiarum actio. Quippe congaudendo eis eorumque fœlicitati, gratias Deo referimus, qui tanta eos gloria ſublimauit. Hinc canit Eccleſia, Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes, in honore, &c. Per quod non mediocriter gloria eorum accidentalis augetur. Duplex quidem gaudium ſancti poſſident in beatitudine: eſſentiale ſcilicet, & accidentale. Hæc ille. Qui ita procedit declarando & probando, ut intendat & oſtendat hoc diuinum ſacrificium prodeſſe iam beatis

quantum ad gaudium accidentale, non quantum ad gaudium eſſentiale: omnia deducit palàm, ut nullũ poſsit remanere dubium. Gaudium eſt angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Sic etiam homines beati gaudent de his quæ in honorem Dei fiunt, & maximè de his, in quibus de eorum gloria Deo gratias agimus.

Idem auctor poſterius pergit in oſtendendis fructibus ſeu effectibus ſacræ Euchariſtiæ, prout eſt ſacramentum, ſeu cibus, quos ipſa Euchariſtia operatur in ſumentibus: idque oſtendit optimè conſiderando duodecim fructus ligni uitæ, ut ij ſint, Viuificare, Relaxare, Inflammare, Patientiam dare, Nutrire, Reſtaurare, Vnire, Copulare, Sanare, Conſeruare, Roborare, Perducere. Proſequitur ſingulorum explicationem, dicitque de illis omnibus fœliciter. Non eſt opus nobis modò de illis latius agere; utpote quòd præſens intentum eſt noſtrum ſecundum quòd ſubiecta materia requirit, potius eſt tradere de effectibus ſacræ Euchariſtiæ, prout eſt ſacrificium, quàm de effectibus eius, prout eſt ſacramentum, aut cibus ſpiritalis animæ.

Ergo iſtud auguſtiſsimum ſacrificium prodeſt etiam aliis quàm ſumentibus, & habet omnes effectus omnium ſacrificiorum aliorum præcedentium: inter quæ nonnulla erant, quæ faciebant ſuo modo contra peccatum, non ex opere operato, ſed ex opere operante, ſeu operantis. Tale enim erat ſacrificium, ſeu hoſtia pro peccato; de quo genere ſacrificiorum, ſicut & de multis alijs, multa habemus in Leuitico ſcripta, ut ex parte conſtat per præcedentia. Leui.1.2. 3.4.5.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus nunquam dubitauit, ſed ſemper credidit, ſemperque docuit multiſque modis, iſtud noſtrum diuinum ſacrificium prodeſſe aliis quàm ſumentibus aut offerentibus: quia cum frequenter agat de ſtatu animarum poſt mortem, ut ſuper Ioannem, & in Gloſſa ſuper illud, Deinde nos. tract.49. & ſuper illud, Nolumus uos. & in ſermone de uerbis Apoſtoli, & in Enchirid. ita tandem fatetur & docet, Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum uiuentium tom. 1.Theſ.4. cap.19.

Habetur. 12. q. 2. c. Tēpus. releuari, cum pro illis ſacrificium Mediatori offertur, uel eleemoſynæ fiunt in Eccleſia. Sed hæc eis tantùm proſunt, qui cum uiuerent, hæc ſibi ut poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt. Eſt enim quidam uiuendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, ut ei non proſint iſta quidquam, &c. Eademque fides erat tunc omnium, ut nemo Chriſtianus nō crederet ſacram oblationem ualere defunctis: unde & de ſancta Monica matre ſua refert Auguſtinus in ſuis confeſsionibus, quod imminente corporis morte rogat eum, ut ad altare Domini memoriam illius haberet. Quòd etiam tunc eſſet ſolitum offerre pro uiuis, aliis, docet Auguſtinus ad Renatum dicens, Quis offerat corpus Christi niſi pro his qui ſunt membra Christi? Ecce pro omnibus membris Christi iudicauit Auguſtinus poſſe offerri ſacram Euchariſtiam: ſiue ea membra ſint ſumptura ſacramentum, ſiue non.

In confeſſionibus ſuis. lib. 9.

Grego. Magnus.

lib. 4. Grego. Magnus in ſuis Dialogis per miracula manifeſta demonſtrat, prodeſſe ſacram Euchariſtiam, tum defunctis, tum adhuc uiuentibus, oblatam pro ipſis: & ſi ipſi non communicarent, aut non communicent. Narrat enim facta mi-
cap. 55. rabilia, oſtendens, quid ſit, quod poſt mortem ualeat ad abſolutionem animas iuuare, & de Centumcellenſi presbytero, qui à cuiuſdam ſpiritu oratus eſt, ut per ſacram hoſtiā poſt mortem poſſet adiuuari, & de anima Iuſti monachi. Duas nanque animas aſſerit à pœnis liberatas; eo quòd pro illis oblata eſt ſacra hoſtia: idque tunc tunc, ſuo tempore.
lib. 4. Narrat etiam de quodam ab hoſtibus capto, cuius uincula
cap. 57. oblationis hora ſoluebantur, Et de Baraca nauta, per ſalutarem hoſtiam à naufragio liberato: De quibus duobus, paulò ante dictum eſt. Dicit ibi ſanctus iſte doctor multa, quibus ſatis probat hoc ſacratiſsimum ſacrificium ualere prodeſſeque uiuis non communicantibus, pro quibus uidelicet offertur, & defunctis. Vnde duo ponit exempla notanda defunctorum, duoque uiuorum.

Carol. Magnus, & D. Amalarius.

Defunctis prodeſſe Miſſæ ſacrificium, etiam probatur teſtimonio Caroli Magni in fragmentis libelli, De Ritu uet. Eccleſiæ: & D. Amalarij quondam Archiepiſcopi Treuerenſis in lib. De officio Miſſæ ad Ludouicum Pium Imp. capite trigeſimooctauo.

Petrus Longobardus.

Magiſter ſententiarum ſequitur Auguſtinum per omnia, aſſeritque cum eo, hoc diuinum ſacrificium defunctis prodeſſe, dum offertur pro illis. Dicit nanque inter alia, Hoc enim à patribus traditum tota obſeruat Eccleſia, ut pro eis qui in communione corporis & ſanguinis Domini defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorentur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Non eſt ergo ambigendum iſta prodeſſe defunctis: ſed talibus, qui ita uixerũt ante mortem, ut poſsint eis hæc utilia eſſe poſt mortem. Nã qui ſine fide operante per dilectionem, eiusq; ſacramentis, de corpore exierunt, fruſtrà illis à ſuis huiuſmodi pietatis officia impẽduntur: cuius dum hîc eſſent, pignore caruerunt: non miſericordiã ſibi theſaurizantes, ſed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis aliquid boni operantur ſui; ſed eorũ meritis præcedentibus, conſequentia iſta redduntur. Hæc ille. lib. 4. diſt. 45.

Schola Chriſtiana uniuerſa.

Tota ſchola Chriſtiana credit, tenet, docet & probat eãdem ueritatem cum Auguſt. & Magiſtro ſenten. nec unus doctor eſt ex omnibus ſcholaſticis, qui non ita ſentiat. Poſſunt uideri omnes, & eorũ ſcripta manifeſta teſtimonia huius ipſorum fidei præbebũt. Sunt autem penè innumeri doctores, ut S. Thomas, Alex. de Ales, S. Bonauentura, Scotus, Durandus à S. Portiano, Gabriel Biel, Richardus à Media Villa, Marſilius, Petrus à Palude, Maturinus & alij.

S. Anton. Par. 3. S. Antoninus Floren. Archiepiſcopus in ſua hiſtoria, uerè omnino narrat multas animas à pœnis purgatorij liberatas eò, quòd S. Nicolaus Tolent. ab eis rogatus cum adhuc in uiuis ageret, pro eis Deo Opt. diuini altaris diuinum hoc obtulit ſacrificium.

Quínam ſint, ad ſententiam Diui Thomæ, effectus & fructus ſacræ Euchariſtiæ, quam utilitatem hæc præſtet contra peccata & peccatorum reatus. Quid apud Thomam deſiderari poßit. Vndénam Euchariſtia habeat rationem ſacrificij & ſacramenti, & quæ ſint eius circa utrunque uires. CAP. XII.

par. 3. qò. 79. art. 1. art. 2. art. 3. SAnctus Thomas dixit multa & optimè, de effectibus noſtræ ſacræ Euchariſtiæ: id eſt, quòd per eam conferatur gratia gratum faciens: quòd effectus huius ſacramenti ſit adeptio gloriæ: quòd hoc ſacramentum in eo, qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis, non operatur remiſsionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſsionem peccati dupliciter, Vno modo non perceptum actu, ſed uoto: ſicut cùm quis prius iuſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primò non fuit ſufficienter contritus: ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſsionem peccati. Addit his, quòd

art. 4. per hoc ſacramentum remittuntur peccata uenialia, & ca-

art. 5. uentur mortalia, ſicut etiam docuit Innocen. III. quem allegat. Addit, quòd per hoc ſacramentum homo conſequi-

art. 6. tur remiſsionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum

art. 8. modum ſuæ deuotionis, & feruoris. & quòd per hoc ſacramentum præſeruatur homo à peccatis futuris. Mouens autem quæſtionem, Vtrùm per ueniale peccatum impediatur effectus huius ſacramẽti? determinat, quòd peccata uenialia, prout ſunt præterita, nullo modo impediunt effectum huius ſacramenti: quia poteſt contingere, ut aliquis poſt multa peccata uenialia cõmiſſa, deuotè accedat ad hoc ſa-

cramentum,

cramentum, & plenè huius ſacramenti conſequatur effectū. Peccata uerò uenialia, prout ſunt actu exercita, impediunt effectum huius ſacramenti quantum ad actualem refectionem ſpiritualis dulcedinis, dum aliquis accedit ad hoc ſacramentum per peccata uenialia, mente diſtractus: non autem impediunt effectum huius ſacramenti quantum ad augmentum habitualis gratiæ uel charitatis.

Dicit igitur multa egregia, ſanctus ille doctor, de effectibus ſeu fructibus ſacræ, diuinæque Euchariſtiæ: ſed cùm ipſe ubique fateatur ſacram Euchariſtiam unam & eandem rem, eſſe ſacamentum & ſacrificium, ſecundum aliam & aliam rationem, ut conſtat ex dictis ſuis ſuprà alleg. id ſolùm uidetur iſte glorioſus doctor omittere, quòd non ita palàm diſcernit quos effectus habet ſacra Euchariſtia ut ſacramentum, & quos habet ut ſacrificium. Hoc enim uidetur poſſe deſiderari in illo, ad plenam cognitionem totius materiæ, quàm ipſe utique tractat ſic exactè, ut nihil ſuprà. Omiſit autem forte, uel quia occupatiſsimus, uel quia ea diſcretio aut diſtinctio non ſibi uiſa eſt multum neceſſaria, uel quia etiam quoad hoc iudicauit ſufficere, quod dicebat, & docebat.

Ipſe enim auctor, ita dicit, Dicendum, quòd hoc ſacramentum ſimul eſt ſacrificium & ſacramētum. Sed rationem ſacrificij habet inquantum offertur; rationem autem ſacramenti, inquantum ſumitur. Et ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit: effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, uel in his, pro quibus offertur. Si igitur conſideretur ut ſacramentum, habet effectum dupliciter. Vno modo, directè ex ui ſacramenti; alio modo quaſi ex quadam concomitantia: ſicut & circa continentiam ſacramenti, dictum eſt. Ex ui quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad CHRISTVM & ad membra eius: ſicut & nutrimentum unitur nutrito. Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſsionem non ſolùm culpæ, ſed etiam pœnæ; inde eſt, quòd ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo

Euchariſtia unde habet rationē ſacrificij. Vnde habet rationē ſacramenti.

Vis Euchariſtiç, ut eſt ſacramentum.

conſequitur remiſsionem pœnæ, non quidem totius, ſed

Vis Euchariſtiæ, ut eſt ſacrificium.

ſecundum modum ſuæ deuotionis, & feruoris. Inquantum uerò eſt ſacrificium, habet uim ſatisfactiuam. Sed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quàm quantitas oblationis. Vnde & Dominus dicit de uidua

Lucæ.21. quæ obtulit duo æra, quòd plus omnibus miſit. Quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna: tamen fit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, uel etiam offerentibus, ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pœna. Hæc ille.

Ecce ſicut S. Thomas diſtinguit in ſacra Euchariſtia duas rationes, id eſt, rationem ſacramenti, & rationem ſacrificij: ſic confitetur in ſacra Euchariſtia duas uires, quia alteram habet Euchariſtia ut eſt ſacramentum, alteram habet ut ſacrificium. idque intelligendo de ipſis Euchariſtiæ uiribus, mediatis & directis: quicquid ſit de eo quod ſacra Euchariſtia habet ſecundum concomitantiam, & per quandam conſequentiam inter ſuos effectus. Quæ eſt uis Euchariſtiæ ut eſt ſacramentum, immediata & directa? Eſt uis unitiua & nutritiua. Quæ eſt uis Euchariſtiæ ut eſt ſacrificium, immediata & directa? Eſt uis ſatisfactiua. Hæc eſt doctrina S. Thomæ uera, clara, catholica.

Quid igitur? nunquid ſecundum doctrinam S. Thomæ, ſacra Euchariſtia inquantum eſt ſacrificium, ſolùm habet quòd ſatisfacit? Non uulgaris eſt quæſtio, nec plenè facilis. Vt deuitem longitudinem, dicam breuiter quod ſentio. Videtur, (ſaluo meliori iudicio) quòd quemadmodum S. Thomas docet ſacram Euchariſtiam ut ſacramentum, directè quidem & immediatè unire ac nutrire, ſed mediatè & per quandam concomitantiam ſatisfacere: ita ſentit ſacram Euchariſtiam ut ſacrificium, directè quidem & immediatè ſatisfacere, ſed mediatè & per quandam concomitantiam unire ac nutrire. Eſt nota demonſtratio, ſi dicimus quòd Euchariſtia ut ſacrificium, liberat à pœnis debitis & ſatisfacit pro illis; eſtque ſatisfactiua pro peccatis,

1. Pet. 4. infundendo aut impetrando charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum. Sicut etiam peccatrici remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Nāq; S. Thomas

paulò pòſt Euchariſtiæ etiam ut ſacrificio uidetur tribuere collationem, ſeu impetrationem gratiæ. Determinat enim quòd Euchariſtia ut eſt ſacrificium, proſit aliis quàm ſumentibus. Opponit contra ſe, ſic, Effectus huius ſacramenti, eſt adeptio gratiæ & gloriæ, & remiſsio culpæ ad minus uenialis. Si ergo hoc ſacramentum haberet effectum in aliis, quàm in ſumentibus, poſſet contigere quòd aliquis adipiſceretur & gratiam & gloriam & remiſsionem culpæ, abſque actione & paſsione propria, alio ſumente uel offerente hoc ſacramentum. Huic autem obiectioni, ita reſpondet, Dicendum quòd ſicut paſsio CHRISTI prodeſt quidem omnibus, quantum ad ſufficientiam, & ad remiſsionem culpæ, & adeptionem gratiæ & gloriæ; ſed effectum non habet niſi in illis, qui paſsioni CHRISTI coniunguntur per fidem & charitatem: ita & hoc ſacrificium quod eſt memoriale Dominicæ paſsionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatem. Vnde & Auguſtinus dicit ad Renatum, Quis offerat corpus CHRISTI, niſi pro his qui ſunt membra CHRISTI? Vnde & in Canone Miſſæ non oratur pro his qui ſunt extra Eccleſiam: illis tamen prodeſt plus uel minus ſecundum modum deuotionis eorum. Hæc ille. Ecce hoc diuinum ſacrificium etiam in non ſumentibus, ſed abſentibus diſpoſitis tamen pro quibus offertur, ſecundum S. Thomã habet effectum adeptionis gratiæ & gloriæ, & remiſsionis culpæ. Quamobrem ipſa uis ſatisfactiua Euchariſtiæ pro ut eſt ſacrificium, non uidetur eſſe ſolùm quoad pœnam peccati iam remiſsi, quin etiam & quoad ipſum peccatum, contra quod etiam ſolebant fieri alia ſacrificia.

ubi ſupra art. 7.

Ibid. arg. 2.

Ibid. ad ſecundum arg.

Dominicus Soto, uir quidem catholicus, & in doctrina S. Thomæ ualde doctus & plurimùm uerſatus, in ſuo libro quarto ſententiarum, ita dicit, Stat ergo firma orthodoxa concluſio, Sacroſanctum Euchariſtiæ myſterium non tantùm ſacramentum exiſtere, uerùm etiam ſacrificium, idemque ſi legitimam ſacrificij rationem ſpectes, Chriſticolis unicum. Deinde paulò poſt ait, Et quemadmodum hoc Euchariſtiæ myſterium quatenus ſacramentum eſt, ſua habet propria nomina, dicitur enim Synaxis, hoc eſt, com-

Dominicus Soto.

diſt. 13. qò. 2. art. 1.

munio, & uiaticum, & Euchariſtia: ſic & inquantum ſacrificium, dicitur Miſſa. Poſtea loquitur de effectibus Euchariſtiæ ut eſt ſacramentum; & tandem de effectibus eius ut eſt ſacrificium, dicit, Effectus autem quatenus eſt ſacrificium, pari modo eſt duplex, ut quatenus eſt ſacramentum; ſcilicet uirtute operis operantis; nempe, deuotionis & orationis ſacrificantis. & uirtute operis (quod aiunt) operati, hoc eſt, uirtute hoſtiæ, & uictimæ quæ offertur: ſicut in ſacramento uirtute ſacramenti, quod ſuſcipitur. Notat quòd offerentes, uel ſunt ſacerdotes, qui immediatè, hoc eſt per ſe tanquàm publici Eccleſiæ miniſtri ſacramentum conſecrant, offerunt & conſumunt, propriam CHRISTI perſonam repræſentantes: uel totus Chriſtianus populus, qui quodam modo ſingulas Miſſas offerunt generaliſsimè & mediatè, hoc eſt, per ſacerdotem: particularius uerò, ſed tamen etiam quodam modo generaliter, omnes, qui aliquem actum ſpecialem circa hoc ſacrificium exercent, ut circunſtantes, quorum ideo generaliter fit in Canone mentio: & illi qui ſacerdoti celebranti alimenta & ſubſidia miniſtrant: ſpecialiſsimè etiam, illi qui peculiarem eleemoſinam in hanc Miſſam conferunt, ut pro ſe & ſuis offeratur: uel etiam largo modo illi, qui pecuniam pro Miſſarum oblatione reliquerunt. Ex quo fit conſequens, ſicut infert, ut multi ſint & offerentes & ſimul pro quibus offertur: ut illi qui eleemoſynam largiti ſunt, & circunſtantes. Tunc dicit, Iſti ergo omnes offerentes unuſquiſque in ſuo ordine dummodo in gratia ſint, quando offerunt (quod eſt apprimè animaduertendum) triplici modo & uia ualorem & fructum ſacrificij conſequuntur; ſcilicet, per modum meriti, per modum ſatisfactionis, & per modum impetrationis. Per modum, inquam, meriti, tam de congruo quàm de condigno. Merentur enim de congruo per hanc ſanctam oblationem, ſoſpitatem & ſalutem corporis, & reliqua id genus ſubſidia & temporalia bona: nam & illhic panem petimus quotidianum. Huiuſmodi nanque caduca bona ſub merito de condigno non cadunt: nempe, ut certa & infallibili lege ſemper petentibus & merentibus concedantur, ſed prout Deus expedire nouerit tanquam remedia ſalutis animæ. Merentur

præterea de condigno augmentum gratiæ, non modò per deuotionem, & orationes, quas illhic fundunt, ſed etiam uirtute operis, ſcilicet ratione hoſtiæ, quam offerunt. Itaque ſicut offerens in gratia panem & nummos ſacerdoti, & alias largiens eleemoſynas, de condigno meretur augmentum gratiæ; ita, immo multo locupletius offerendo corpus & ſanguinem CHRISTI. Ex quo fit, ut illhic effectus meriti operantis comiſceatur cum effectu operis operati, id eſt, hoſtiæ quæ offertur. Secundum effectum offerentes adipiſcuntur per modum ſatisfactionis. Per illam ſiquidem uictimam ſatisfaciunt pro pœnis delictorum, quæ ſibi quoad culpam remiſſa ſunt. Et hæc etiam ſaſtisfactio fit certa & infallibili lege, ſicut in merito de condigno. Nam iſte eſt proprius effectus operis operati, id eſt, hoſtiæ oblatæ. Tertiò aſſequuntur & alios effectus per modum impetrationis, & ſuffragij: nempe, defunctis releuationem tormentorum purgatorij, aut prorſus liberationem, quæ non fit ex rigore iuſtitiæ per modum meriti de condigno, ſed per modum deprecationis, ſi Deus acceptauerit, & per modum applicationis ſacrificij ad ſatisfaciendum pro ipſis, etiamſi ſingularem eleemoſynam non reliquerint. De quibus ſuffragiis infrà diſtinctione, 45. Perpende quantum detrimenti patiantur, qui peccatorum labe ſordent: omnibus enim huiuſmodi fructibus uacui ſunt. Ex his fit conſequens omnes huiuſmodi effectus ſecundum quantitatem deuotionis offerentis, eſſe plus minus'ue uberes, Hæc ille.

RVARDVS Tapper.

Ruardus Tapper dicit, Certum eſt autem quòd olim ad oblationem ſacrificij, & ſacerdotis oblationem, reatus peccatorum remittebatur poſt dimiſſam culpam remanens: & propterea nihil dubitandum, quin ad huiuſmodi peccatorum remiſsionem ualeat, Sed, An culpa mortalis & reatus pœnæ æternæ per noſtrum præcipuè ſacrificium remittantur, non eſt conſentiens Scholaſticorum doctorum ſententia. Quidam enim interpretantur dicta ſanctorum docentium ſacrificia oblata ad remiſsionem criminum ualere, de reli- art. 16. tom 2.

Martinus Pereſius Aiala de diuinis & Apoſt.traditionib.

quiis eorum quæ in nobis remanent poſt culpæ indulgentiam. Verùm ſcripturis & patribus magis eſt conſentanea ſententiam contraria. Nam Leuiticus dicit ſimpliciter, quòd oblato ſacrificio & orante ſacerdote peccata dimittebantur. Et Apoſtolus Paulus quòd ſacerdotis eſt offerre ſacrificia pro peccatis. Peccata autem propriè uocantur culpæ, & non earum reatus, niſi ſecundum tropum quo effectus ſignificatur nomine cauſæ. Et cum idem ſit ſacrificium altaris, & uictima crucis, idemque CHRISTVS offeratur Patri in altari, qui in cœlis: ſicut oblatio quam ſancta ſanctorum ingreſſus uultui Patris pro nobis apparens, operatur remiſsionem peccatorum mortalium; ita & ea, quæ fit in altari. Ad omnia nanque ualere uidetur ſacrificium altaris, & oblatio, quam CHRISTVS facit in cœlis: ad eadem ſcilicet, ad quæ ualebat uictima crucis. Atque hæc uidetur patrum ſententia. Nam Alexander quintus à Beato Petro Pontifex ſcribit, quòd crimina atque peccata oblatis his domino ſacrificiis delentur, quodque talibus hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim, inquit, in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis CHRISTI, nec ulla oblatio hac potior eſt. Eadem ſcribit Iulius primus. Et beatus Cyprianus dicit ſacram Euchariſtiam eſſe holocauſtum ad purgandum iniquitates. Idem quoque habet Ambroſius, & Chryſoſtomus, Sacerdos, inquit, pro uniuerſo Orbe Legatus, intercedit, eſtque apud Deum deprecator, ut omnium non uiuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis fiat propitius. Modũ autem quo mortalia peccata per ſacrificij noſtri oblationem remittuntur, declarat beatus Thomas, Euchariſtia, inquit, non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam ſacrificium; Inquantum autem ſacramentum eſt, in ſolo uiuente effectum habet. Requirit enim uitam præexiſtere. Sed inquantum eſt ſacrificium, effectum habet etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit uitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantùm. Et ideo ſi eos diſpoſitos inueniat, gratiam eis obtinet uirtute illius ueri ſacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit: & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed

Alex.epiſto.ad omnes orthod.

Epiſt.ad epiſc.per Ægyp. Iulius. Cypria. Ambro. lib 1. officiorũ. cap. 48. Chryſoſt. lib. 6. De ſacerdotio. S.Tho. lib. 4. diſt. 12. qõ. 2. art. 2. in ſolu. 4. arg.

inquantum gratiam contritionis impetrat. Proxima nanque cauſa remiſsionis peccatorum, eſt baptiſmus & pœnitentia, ſaltem deſiderata. Quo modo peccata mortalia delet etiam oblatio ſacrificij crucis. Vnde manifeſtum ſit, quòd hoc ſacrificium non ſolùm eſt Euchariſticum, ſed uerè expiatorium & propitiatorium, ſuper reatu peccatorum etiam mortalium. Immo probabile eſt quòd ſuper remiſſione culpæ mortalis, & reatus pœnæ æternæ. Non tamen definire auderem, quòd quaſi ex opere operato ex Dei ordinatione ſemper peccata remittantur ei, pro quo ſacra Euchariſtia offertur, etiam ſi diſpoſitus ſit, ſicut per ſacramenta baptiſmi & pœnitentiæ remittuntur. Certum eſt enim nulla peccata mortalia remitti ſine horum ſacramentorum deſiderio. Eſſe autem uarios modos expiandi peccata mortalia tempore Euangelij, docet Origenes ex ſcripturis. Hæc ille.

Ecce igitur quomodo intelligitur aut intelligi debet illa uis ſatisfactiua, quã habet ſacra Euchariſtia prout eſt ſacrificium. Quia non uidetur uelle S. Thomas quòd Euchariſtiæ ſacrificium habeat iſtam uim ſatisfactiuam directè ſolùm contra pœnam debitam pro peccatis iam dimiſsis: immo potius uidetur quòd iſtam uim ſatisfactiuam huius diuini ſacrificij, ponit S. Thomas contra ipſum peccatum; ut ratione illius noſtra Euchariſtia uerè atque maximè propriè ſit ſacrificium expiatiuum & propitiatorium, in uirtute meritorum Christi. Videantur bene uerba ipſius, tum, Par. 3.
quæ dicit in partibus probando quòd Euchariſtia proſit aliis qõ. 79.
etiam, quàm ſumentibus: tum, quæ dicit in quarto ſcri- art. 7.
pto, loco paulò ante allegato, in dictis Gabrielis.

Porrò quòd ſancta Mater Eccleſia ab antiquiſsimis temporibus, etiam à tempore Apoſtolorum, immo & eorum ordinatione ſemper habuit in uſu inter Miſſarum ſolennia commemorationem defunctorum fidelium habere, & pro eis hoc diuinum, tremendum, uenerandum, atque amandum ſacrificium offerre; oſtenditur inferius latius: ubi ad iſtam catholicam ueritatem multa afferuntur patrum ſan- art. 13.
ctorum, & antiquiſsimorum præclara teſtimonia.

Proſequendo præcedentia; quæritur de modo quo ſacra Euchariſtia uim habet ſatisfactiuam, & diſſidentes in hac re Theologorum ſententiæ referuntur. Agitur de earum conciliatione, deque per hoc diuinum ſacrificium à peccatis, & eorum reatu expiatione. CAP. XIII.

Ergo conſtans ſententia eſt apud doctores catholicos, conformis & una omnium, quòd hoc diuinum ſacrificium, ſeu ſacra Euchariſtia prout ſacrificium eſt, habet uim ſatisfactiuam, & potens eſt contra peccatum, ex inſtitutione Christi. De modo autem quo habet uim ſatisfactiuam, & quo potens eſt contra peccatum, non eſt ita conformis doctorum Theologorum & catholicorum ſententia. Quidam enim exiſtimant, quòd hoc diuinum ſacrificium oblatum ualeat ad remiſsionem criminum, de reliquiis eorum quæ in nobis remanent poſt culpæ indulgentiam: quaſi tantùm iſto modo intelligant uirtutem huius ſacrificij ſatisfactiuam & propitiatoriam, non aliàs; ut ualeat contra crimina iam dimiſſa, quoad reatus tẽporales remanentes: non autem contra ipſa crimina, ante eorũ remiſsionẽ, nec contra reatus æternos. Alij è cõtra abundantiorem credunt huius diuini ſacrificij uirtutem ſatisfactiuam, contra peccatum: uidelicet ut non ſolùm ualeat contra peccatum iam remiſſum, ſed etiã contra peccatum remittendum. Poſuimus ſententias doctorum ita uariè ſentientium, uideat lector & iudicet inter illas, quæ ſit, quæ plus habet ueritatis, uel apparentiæ. Magiſter ſenten. expreſsè fatetur uirtutem huius ſacrificij contra peccata uenialia.

Magiſter lib. 4. diſt. 13.

Nos interim quid ſentimus? Graue eſt, in re huiuſmodi agere iudicem. Eò uidelicet, quòd quæſtio eſt & diſceptatio inter doctores catholicos, quorum utrinque ſunt ſua fundamenta non contemnenda. Sed ne omnino taceamus, ita ſine ſcrupulo uidetur poſſe nunc dici. Prima opinio in prima fronte uidetur plus habere probabilitatis. Secunda opinio in prima fronte uidetur plus habere pietatis. Cum tamen utraque fortaſsis contineat probabilitatem, ac pietatem.

tem. Ad primam opinionem uidetur facere, quòd ſacra Euchariſtia prout eſt ſacramentum, requirit diſpoſitionem ac præparationem in ſuſcipiente, ut in illo ſuum operetur effectum, unitiuum & nutritiuum: & communiter dicimus, quòd ſuſcipiens Euchariſtiæ ſacramentum debet accedere in gratia, ut ibi recipiat gratiam. Ita ergo uidetur dicendum, quòd ſacra Euchariſtia prout eſt ſacrificium, requirit diſpoſitionem in eo pro quo offertur, ut in illo operetur ſuũ effectum, ſatisfactiuũ: & non uidetur quòd minorem diſpoſitionem requirat ut ſacrificium, quàm requirit ut ſacramentum. Deinde ſi is pro quo offertur habet reatum æternum, hoc ideo eſt, quia mortaliter eſt conuerſus ad bonum commutabile: ſtante autem iſta conuerſione ſuæ uoluntatis ad malum, quomodo iſtud mirabile ſacrificium pro ſuo reatu æterno ex opere operato ſatisfaciet? S. Thomas uidetur confirmare hoc, dum non ponit quòd is pro quo offertur hoc ſacrificium, acquirat effectum eius, niſi copuletur ei per fidem & charitatem. Poſſent alia multa induci pro illa ſententia, ſed hæc modò ſufficiant. Ad ſecundam opinionem uidetur facere excellentia huius diuini ſacrificij, & uirtus eius ſatisfactiua pro peccato, quam habet ex inſtitutione CHRISTI. Faciunt etiam pro ea omnes illæ rationes, quas formauit & adduxit ille doctor catholicus Ruardus, de quo paulò ante. S.Tho. part. 3. q6.79. art. 7. ad ſecũdũ arg.

Accedendo magis ad ſolutionem quæſtionis, quid dicendum? Non uidetur ſatis quomodo poſsit dici, quòd hoc diuinum ſacrificium habet uim ſatisfactiuam efficacem, id eſt, efficaciter ſatisfaciendi pro reatu æterno peccati mortalis eorum pro quibus offertur: niſi ſimul dicatur, quòd hoc diuinum ſacrificium habet uim efficacem productiuam quaſi inſtrumentalem uel impetratiuam, id eſt, producendi aut impetrandi aut aliquo modo faciendi ſufficientem diſpoſitionem & motum interni animi in illis pro quibus offertur: quo motu uel diſpoſitione mediante, Deus illis gratiam gratum facientem præſtet, & peccatum mortale dimittat. Hac uirtute poſita in hoc diuino ſacrificio, iam palàm erit & notum, quòd aliquo modo, immediatè uel mediatè, directè uel indirectè habet uim efficacem contra peccatum

mortale exiſtens, & ſatisfacit pro reatu æterno. Quod ſi ita eſſet, magnum quid profectò eſſet: & quo omnes multum gaudere deberemus, multumque lætari lætitia inenarrabili. Sed ſi ita eſſet, hæc duo ſequerentur, Alterum, quòd omnis pro quo offertur, deberet eſſe certiſsimus de ſua iuſtificatione: uel ſaltem ſacerdos offerens deberet eſſe certiſsimus de iuſtificatione illorum omnium, pro quibus offert. Alterum, quòd hoc diuinum ſacrificium haberet effectum iuſtificationis aut ſalutis in nobis, quem nos ipſi experiremur, & pro ſufficiente iudicare teneremur: uidelicet illum motum animi, quem acquireret ille, qui in peccato mortali exiſtens, pro ſe offerri fecit. Non enim eſt dubium: quin ille motus animi, ſiue ſit in Deum per fidem & amorem, ſiue ſit in peccatum per odium, dolorem, aut deteſtationem, ſit experibilis in habente. Clarè nanque ſcimus & mente uidemus nos credere, ſperare, amare, odio proſequi: dum credimus, ſperamus, amamus, odio proſequimur. Nec aliud requiritur ad hoc, niſi ut mentem noſtram ſuper ſe & ſuos actus reflectamus. Pulcherrimè docuit Auguſtinus de hac re ueriſsima.

Videat autem, precor, quiuis animus Chriſtianus, An forte iſtas duas ſententias differentes, ſine inconuenientibus conciliare poſsimus: Videlicet ſi dicamus de noſtra ſacra Euchariſtia pro ut eſt ſacrificium, quod S. Thomas dixit & nos omnes dicimus de illa pro ut eſt ſacramentum. Mouet S. Thomas quæſtionem, Vtrùm effectus huius ſacramenti ſit remiſsio peccati mortalis? Primùm determinat quòd non; aſſerens, quòd ille qui eſt in peccato mortali, per hoc quòd accipit hoc ſacramentum, magis accumulat ſibi peccatum, quàm remiſsionem ſui peccati conſequatur. Et probat iſtam determinationem ex illis Apoſtoli uerbis, Qui manducat & bibit, indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, atque Gloſs. in eo loco ſuper Apoſtolum: quam tamen determinationem intelligit de illo qui recipit hoc ſacramentum in peccato mortali, cuius habet conſcientiam, ut ibi declarat. Deinde uerò dicit, Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſsionem peccati dupliciter, Vno modo, non perceptum actu, ſed uoto: ſicut cùm quis prius iu-

S. Tho. par. 3. q6. 79. art. 3.
1. Cor. 11

ſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primò non fuit ſufficienter contritus: ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionē perficiet & remiſsionem peccati. Hæc ille. Nunc igitur uideat quiuis, An ita dicere debeamus de noſtra ſacra Euchariſtia, pro ut eſt ſacrificium. Et profectò uel eſt manifeſta ueritas; uel eſt magna apparentia, quòd ſic. Sicut enim conſiderando uirtutem Euchariſtiæ ſacramenti ſecundum ſe; ſic hoc ſacramentum habet uirtutem ad remittendum quæcunque peccata ex paſsione Christi, quæ eſt fons & cauſa remiſsionis peccatorum. Ita conſiderando uirtutem Euchariſtiæ ſacrificij ſecundum ſe, ſic hoc ſacrificium habet uirtutem ad ſatisfaciendum pro peccato ex paſsione Christi, quæ eſt fons & cauſa remiſsionis peccatorum, ut conſtat. Rurſusque, Sicut Euchariſtia exercet effectum ſacramenti, in eo à quo ſumitur: ſic Euchariſtia exercet effectum ſacrificij, in eo pro quo offertur. Quia ſicut uſus Euchariſtiæ ut ſacramentum, eſt ut ſumatur, uel ſumptio: ſic uſus Euchariſtiæ ut ſacrificium, eſt ut offeratur, uel oblatio pro aliquo uel aliquibus. Hæc ſunt quidem bene notata, benequè dicta: ſed adhuc uidendum ſupereſt, an ex toto eliminent, amoueantque difficultatem.

Ratio enim aut radix difficultatis in eo decumbit, quòd uis ſeu uirtus ſacræ Euchariſtiæ pro ut eſt ſacrificium, eſt ſatisfactiua. Vis autem ſeu uirtus ſatisfactiua ut ſic, ſolùm uidetur ponere ſatisfactionem: ſatisfactio uerò ut ſic, ſolùm uidetur tollere pœnam, ſeu reatum pœnæ. Hæc eſt radix difficultatis. Sed hæc ſublata erit tota, ſi dicamus ut profectò uidetur dicendum, uirtutem huius ſacrificij eſſe non ſolùm ſatisfactiuam, ſed etiam expiatiuam: ut concernat non ſolùm remiſsionem aut ſatisfactionem pœnæ, ſed etiam remiſsionem culpæ, modo ſupra expoſito. Eſt enim hoc ſacrificium, ſacrificium Christi: & quantum ad hoſtiam, uictimam, aut rem oblatam, eſt idem ſacrificium, quod fuit in cruce: nos etiam ſacerdotes Christi ſumus, & ſuum ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech in.

perſona ſua exercemus. De effectu ſacerdotij Christi
S.Tho. par. 3. q6.22. art.3. probat S.Thomas quòd ſit expiatio peccatorum, ex Apoſtolo ad Hebræos, Sanguis Christi, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, &c. Deinde decla-
Hebr.9. rando dicit, Ad perfectam emundationem duo requiruntur, ſecundum quòd duo ſunt in peccato; ſcilicet macula culpæ, & reatus pœnæ. Macula quippe culpæ deletur per gratiam, qua cor peccatoris conuertitur in Deum: reatus autem pœnæ, totaliter tollitur per hoc, quòd homo Deo ſatisfacit. Vtrunque autem horum effecit ſacerdotium Christi. Nam uirtute ipſius gratia nobis datur, qua corda noſtra con
Rom.3. uertuntur ad Deum, ſecundum illud, Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Christo Ie-
Eſa.53. ſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Ipſe etiam pro nobis plenariè ſatisfecit, inquantum ipſe languores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Vnde patet, quòd Christi ſacerdotium habet plenam uim expiandi peccata. Hæc ille. Qui doctor ſanctus, ambas iſtas proprietates quas ſacerdotio Christi tribuit, in diuinis ſcripturis cognouit, & ex illis adduxit, atque per illas probauit.

An uirtus expiatiua in Miſſæ ſacrificio agnoſcenda ſit, diſquiritur, & eorum, quæ hactenus ſuper Concluſionibus ad Articulum quartum probata ſunt, fit anacephalæoſis. CAP. XIIII.

SI ergo in noſtro iſto diuino ſacrificio iſta uirtus expiatiua recognoſcitur, & conceditur; ſoluitur tota quæſtio, aufertur, atque omnino radicitus auellitur tota difficultas. Vt autem uideamus, An iſta uirtus expiatiua in eo ſit cõcedenda? Animaduertendũ uidetur, quòd noſtrum ſacerdotium eſt Christi ſacerdotium, quod nos exercemus in ipſo & in perſona ſua, uel ipſe exercet per nos: quòd uirtus in qua offerimus, eſt ſua uirtus, uel ab ipſo: quòd noſtrum ſacrificium eſt ſuum ſacrificiũ, quia in nobis principaliter ipſe offert: quòd eadem eſt uictima ſeu ho-

ſtia, quam ipſe per ſe Patri obtulit in cruce, quam Patri per ſe oſtendit in cœlo, & quam Patri per nos offert in Miſſa: & inſuper quòd tempus expiationis durat, ut iam ſuperius ex parte notauimus. Grauiſsimum eſt negocium, ſed etiam ad grauiſsima negocia determinanda paratiſsimus eſt Deus præſtare nobis gratiam ſuam, nobis neceſſariam, & nobis ſufficientem. Si nullus deſit gratiæ Dei, gratia Dei nulli deeſt: quia defectus non eſt gratiæ, ſed hominis contemnentis, negligentis, aut nolentis gratiam. Ob quod Apoſtolus monet, Ne quis deſit gratiæ Dei. Hebr. 12.

Quid ergo dicendum, ſi hæc uirtus expiatiua ponatur in hoc diuino ſacrificio? Nunquid tunc dicendum erit, quòd effectus huius ſacrificij ſit remiſsio peccati mortalis etiam quoad reatum æternum? Reſpondemus, Tunc dicendum erit de Euchariſtiæ ſacrificio, quod dicit S. Thomas de Euchariſtiæ ſacramento. Quid dicit ille de hac re? Dicit quæ ſequuntur. Dicendum quòd uirtus huius ſacramenti poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum ſe, & ſic hoc ſacramentum habet uirtutem ad remittendum quæcunque peccata ex paſsione CHRISTI, quæ eſt fons & cauſa remiſsionis peccatorum. Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum qui recipit hoc ſacramentum, pro ut in eo inuenitur uel non inuenitur impedimentum percipiendi huius ſacramenti effectum. Quicunque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum huius ſacramenti, eo quòd non eſt conueniens huic ſacramento: tum quia non uiuit ſpiritualiter, & ita non debet ſpeciale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi uiuentis: tum quia non poteſt uniri CHRISTO (quod fit per hoc ſacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter. Et ideo, ut dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus, ſi mens in actu peccandi eſt, grauatur magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificetur. Vnde hoc ſacramentum in eo qui ipſum percipit in conſcientiam peccati mortalis, non operatur remiſsionem peccati. Poteſt tamen hoc ſacramentum operari remiſsionem peccati dupliciter. Vno modo non perceptum actu, ſed uoto, ſicut cùm quis prius iuſtificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo,

S. Thô. part. 3. q6. 79. art. 3.

qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet. Forte enim primò non fuit ſufficienter contritus: ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſsionē peccati. Hæc ille. Dicimus igitur quòd illa uirtute expiatiua poſita in iſto ſacrificio diuino, debemus dicere de Euchariſtiæ ſacrificio ſecundum ſe, & per cōparationem ad illum pro quo offertur, omnino quæ dicit S. Thomas de Euchariſtiæ ſacramento ſecundum ſe, & per comparationem ad illum qui ſuſcipit. Quandoquidem ſicut Euchariſtia eſt ſacramentum, ita eadem Euchariſtia eſt ſacrificium. Rurſus etiam ſicut uſus Euchariſtiæ prout eſt ſacramentum, eſt quòd ab aliquo ſumatur: ita uſus Euchariſtiæ prout eſt ſacrificium propitiatorium, eſt quòd pro aliquo offeratur.

An datur aliqua ratio de fide, aut demonſtratiua, aut topica magis probabilis uel ſufficiens, qua uſus ſacræ Euchariſtiæ prout eſt ſacrificium, ponatur minus potens contra peccatum, quàm ponitur uſus eiuſdem ſacræ Euchariſtiæ prout eſt ſacramentum? Alius iudicet. Iam dixi ſatis.

Conſulendi ſunt ſancti patres; & conſideranda uidentur
Diony. nomina, quibus ipſi hoc diuinum ſacrificium nominant.
Epiſt. 8. Etenim Dionyſius Areopa. in Epiſt. ad Demophilum, hoc
Euſeb. lib. 1. cap. ſacrificium appellat ſanctiſsimum. & in De Eccleſiaſtica
Chryſoſt. Hierarchia appellat Cœleſte myſterium. Euſebius Pamphili
Hom. 41. in De demonſtratione Euangelica appellat, ſacroſanctum ſa
1. ad Cor. crificium Deo plenum. Chryſoſtomus, Sacrificium tremen
Homil. 6. dum, & mortis Christi celebrationem. Theodoretus in
ad Antiochen. Exod. appellat, ſacrificationem Agni Dominici, & in Re
Theodoretus in ligioſa hiſtoria, oblationem ſalutaris ſacrificij. Cyrillus
hiſtoria. contra Neſtorium, uocat illud, ſacrificium ſanctum, uiuifi
cap. 20. cum, incruentum. Damaſcenus in uita S. Balaami, appel
Cyrillus. lat, ſacrificium incruentum, & ſacramentum tremendum,
Damaſc. impollutum, uitaleque. Ecce ſancti patres appellant hoc ſacrificium, cœleſte myſterium, ſacrificium ſanctiſsimum, ſacrificium Deo plenum, mortis Christi celebrationem, & ſacrificium tremendum, ſacrificium ſalutare, ſacrificium ſanctum & uiuificum, ſacramentum uitale. Non ſunt autem

iſta nomina uana, nec ſunt à uanis hominibus ficta, nec huic tanto myſterio uanè impoſita. Sed habent iſta nomina in ſeipſis ſuam ſignificationem, & in ſuo ſignificato, id eſt, in hoc ſacroſancto ſacrificio, habent proprietatem, reſpondentem ſignificationi. Dicta iſtorum ſanctorum patrum de huiuſmodi nominibus, poſuimus ſuprà latius.

S. Thomas uidetur omnia iſta exactè conſideraſſe, quando in ſcriptis dixit, Eucharistia inquantum eſt ſacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur: in quibus non præexigit uitam ſpiritualem in actu, ſed in potẽtia, &c. Nunquid S. Thomas in hoc uoluit dicere, quòd ſacra Euchariſtia prout eſt ſacrificium nullam diſpoſitionem aut præparationem requirit in eo pro quo offertur, ut in illo ſuum operetur effectum? Abſit. Quid ergo in illis uerbis uoluit, aut docuit? Quantum nunc apparet, idem docuit prius S. Thomas in ſcriptis de ſacra Euchariſtia prout eſt ſacrificium, quod docuit poſterius in partibus de ſacra Euchariſtia, prout eſt ſacramentum. S. Tho. lib. 4. diſt. 12. qõ. 5. art. 2.

Gabriel Biel, ut iam poſuimus in dictis eius, ſecutus eſt S. Thomam. Vnde talem poſuit concluſionẽ, & talem eiuſdem concluſionis probationem. Concluſio ſua eſt, In primis, ſacramentum Euchariſtiæ uelut ſacrificium ſummo Patri oblatum, nedum ueniale, ſed et mortale, non dico ſumentium, ſed omnium eorum pro quibus offertur & quantum ad reatum culpæ & pœnæ plus, uel minus ſecundum diſpoſitionem eorum pro quibus offertur, tollit. Hæc eſt ſua concluſio. Ad probationem autem huius ſuæ aſſertionis inquit, Vnde ut dicit beatus Thomas, Euchariſtia inquantum eſt ſacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur: in quibus non præexigit uitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia. Et ideo ſi eos diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet: uirtute illius ueri ſacrificij, à quo omnis gratia in nos fluxit: & per conſequens, peccata mortalia in eis delet. Non ſicut cauſa proxima, ſed inquantum gratiam contritionis eis impetrat. Nec contra illud eſt, quòd Auguſtinus ad Renatum dicit, Quis offerat corpus CHRISTI, niſi pro his qui ſunt membra CHRISTI? Intelligitur enim pro membris CHRISTI offerri, quando offertur pro aliqui- Gabriel ſup cano. lect. 85. litera L. Idẽ auct. ibid.

bus, ut ſint membra CHRISTI. Sic etiam inquantum eſt ſacrificium, accipit rationem ſatisfactionis: & ſecũdum hoc, in pare uel in toto pœnam tollit, ſicut & aliæ ſatisfactiones, ſecundum menſuram pœnæ debitæ pro peccatis & deuotionis, qua ſacramẽtum offetur, & uirtus ſacrificij his pro quibus offertur ab offerente applicatur: & ita, non ſemper uirtute huius ſacrificij tota pœna tollitur. Hæc ille dicit eo loco, & multa alia, quæ iam ſuperius retulimus.

Ergo poſt omnia diligenter conſiderata, profectò uel in iſta ſententia ſunt expreſsè, uel in ea magis uidentur eſſe ſanctus Thomas in ſcriptis, Gabriel ſuper canonem Miſſæ, & Ruardus Tapper in Explicatione articulorum uenerandæ facultatis ſacræ Theologiæ generalis ſtudij Louanienſis.

Quantum igitur pertinet ad iſtas noſtras concluſiones, arbitror eas plenè probatas eſſe. Primùm, ut ſacra Euchariſtia ſumentibus proſit ut ſacramentum & ut ſacrificium; non ſumentibus autem proſit ut ſacrificium tantùm. Secundum, ut hoc diuinum ſacrificium poſsit offerri, etiam pro non ſumentibus, pro peccatis, ſatisfactionibus, & aliis neceſsitatibus fidelium uiuentium, etiam & pro fidelibus defunctis. Aduertendum eſt tamen, circa quæ bona efficienda aut mala deuitanda, credimus hoc diuinum ſacrificium habere uim, uirtutem, atq; efficaciam, ex meritis CHRISTI & ſua inſtitutione: uidelicet ut circa rem huiuſmodi habeat effectum in nobis, ex opere operato, aut ex certa & infallibili ſeu efficaci impetratione. Quia profectò non omnia bona, nec omnia mala, nec omnes noſtræ neceſsitates ſunt eiuſdem ſpeciei, aut generis, qualitatis, aut rationis. Bona enim temporalia ſecundum ſe conſiderata, non cadunt ſimpliciter ſub merito, licèt aliquo modo uidelicet ſecundum quid ſub merito cadant: ut bene notauit S. Thomas, declarauit, docuit, & probauit. Idem uidetur de malis ſeu aduerſitatibus, aut pœnis, uel laboribus temporalibus, aut corporalibus: hoc eſt, de eorum uitationibus, aut ab illis, liberationibus. Videntur, & ſunt notanda, quæ Magiſter Dominicus Soto dixit circa iſtam bonorum diuerſitatem. Similiter & quæ S. Thomas multis annis, multiſque temporibus ante illum dixit, ubi quæſiuit, Vtrùm temporalia

T. Tho. Prima ſecũdę quęſti. 114. art. 10.

Dominicus Soto. lib. 4. ſenten. diſt. 13. qó 2.

S. Tho. ubi ſupra

poralia bona cadant ſub merito? De qua re etiam & nos multa diximus in Quadripartita iuſtitia. Par. 2. lib. 1.

Vnica ad Articulum quintum Concluſionis fundamenta iaciuntur, ac manifeſtè probatur, Miſſarum priuatarum uſum, eſſe antiquiſſimum, ſanctèque receptum, multiſque magnopere prodeſſe, & nequaquam reiiciendum. C A P. X V.

QVinto Articulo obtigit unica concluſio, quæ eſt in hæc uerba, Miſſæ priuatæ, in quibus ſcilicet ſolus Sacerdos, & non alij communicant, licitæ ſunt, iuſtæ, ac ſanctæ, multiſque aliis etiam proficuæ: & nequaquam ſunt abrogandæ, ſed potius ualdæ commendandæ.

Probatur iſta concluſio primùm ex natura rei, & ſecundò ex antiquiſsima conſuetudine Eccleſiæ, quæ à tempore, cuius non extat memoria, ſemper uiguit atq; obſeruata fuit. Ex natura rei probatur, quia & in Miſsis priuatis, & in Miſſis publicis idem eſt ſacrificium, idem ſacramentum, eadem hoſtia, uictima, & oblatio CHRISTI: idemq; ſacerdos principalis CHRISTVS, in cuius perſona nos miniſtri eius conficimus. Vnde ex natura rei, quantum eſt ex re oblata, eadẽ eſt iuſtitia, ſanctitas, bonitas: & ſic tam Miſſæ priuatæ, quàm Miſſæ publicæ, ſunt licitæ, iuſtæ, ſanctæ, ac expedientes, omnes obſeruandæ, nullæ abrogandæ. Ex antiquiſsima conſuetudine probatur etiam, quia cùm iſte mos ſic priuatè celebrandi ac offerendi, ſit antiquiſsimus à temporibus Martyrum, & ſanctorum confeſſorum, immo & Apoſtolorum; profectò ſi aliquid mali in eo eſſet, id ſancti patres præcauerent, & præcauiſſent ſine dubio. Non autem has ſacras Miſſas nec iſtum modum celebrandi abrogarunt, ſed ordinarunt, ſeruauerunt, & laudauerunt.

Si ad antiquos patres reſpicimus, duplex eſt Miſſa ſecundum ipſos, uel potius duplex modus celebrandi Miſſam. Quædam enim eſt Miſſa quæ dicitur conuentualis ſiue popularis, quæ tanquã principale diei officium in cõuentu totius populi ſeu parochianorum diebus ſingulis, ſaltem in principalibus eccleſiis celebratur; quæ & parochialis Miſſa, ſolẽ- Duplex modus celebrandi, ſiue offerendi. Publicè,

nis, publica, uel ſumma, quandoque appellatur. Alia eſt Miſſa, que dicitur priuata, peculiaris, uel uotiua, quæ à ſacerdotibus ex ſpeciali inſtitutione, beneficio, uel deuotione, non ſic pro toto populo celebratur. De primis Miſsis, ſeu de primo modo celebrandi, id eſt, publicè, coram populo & pro toto populo, habemus in De parochiis. De ſecundis autem Miſsis, ſeu de ſecundo modo celebrandi, id eſt, priuatè, ſeu non ita publicè, habemus in De celebratione Miſſarum.

Priuatè.

c. Vt dominicis.

c. Quid laicorũ.

Auguſt.

Auguſtinus de omnibus iſtis Miſsis ſacratiſsimis loquitur expreſsè, ſeu de iſtis duobus celebrandi modis, dicẽs, Attendendũ, ut Miſſæ peculiares, quæ per dies ſolennes à ſacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus à publicis Miſſarum ſolenniis, quæ hora tertia canonicè fiunt, abſtrahatur. Sed ſacerdotes qui in circuitu urbis aut in eadem urbe ſunt, & populus in unum ad Miſſarum publicam celebrationem conueniant. Ecce Auguſtinus loquitur de iſto modo celebrandi, tanquam de eo qui iam erat in uſu Eccleſiæ: neque illum prohibet aut abrogat, ſed ordinat. Natus fuit autem Auguſtinus, anno Domini, trecenteſimo ſexageſimo, & migrauit ab iſto ſæculo, anno Domini, quadringenteſimo trigeſimo ſexto: nonnullis ſæculis ante natum Gregorium primum & magnum, ſummum Pontificem. Quæ nunc hîc dico, ut appareat antiquitas huius rei, & modi celebrandi.

Habetur. De conſecra. diſtinct. 1. c. Et hoc.

Soter Papa etiam fortaſsis iſtum modum celebrandi uidens, & ordinare uolens, ita inſtituit, Vt nullus presbyterorum Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus, & ipſe tertius habeatur: quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus uobiſcum, & illud in ſecretis, Orate pro me, &c. aptiſsimè conuenit, ut ipſius reſpondeatur ſalutationi. Circa iſtam autem conſtitutionem ita dicit Alexander de Ales, Dicendùm quòd quædam retroactis temporibus ſtatuta erant ob reuerentiã tanti myſterij, quæ poſtea abrogata ſunt per uſum, & propter neceſsitatem, & utilitatẽ. Multiplicato enim numero presbyterorum, neceſſe fuit & utile, ne frequenter ceſſarent à Miſſarum ſolenniis, uno aſsiſtente celebrare. Sacerdos ue-

Soter Papa.

Habetur. De conſecra. diſtinct. 1. c. Hoc quoq; ex conſtitu.

Alexand. de Ales. par. 4. qõ. 36. mẽbro 5.

rò dicendo, Dominus uobiſcum, &, Orate pro me, loquitur Eccleſiæ, & ad Eccleſiam debet conuertere intentionem. Innocentius etiam reſpondet prædicto decreto, Aliud eſt neceſsitatis articulus, & aliud religionis contemptus. Piè quoque credendum eſt, & ſatis auctoritatibus ſacris comprobatur, quòd angeli Dei comites aſsiſtunt orantibus. In conſpectu angelorum pſallam tibi, Deus meus. Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. Ad idem eſt & poteſt uideri beatus Gregorius in ſuis Dialogis, ſimiliter & diuus Bernardus in ſermone De dedicatione.

Gabriel Biel ſuper Canonem probat, & confirmat iſta omnia: agitque latè de iſtis duobus ſanctiſsimis modis celebrandi, & de horis atque temporibus in quibus celebrare debemus. Quidem de loco & tempore, quibus nos celebrare oportet, multa dixerunt ſancti patres: ut Clemens Martyr, Teleſphorus Martyr, Iulius Papa, Fœlix IIII. Papa. Quemadmodum concilium Aurelianen. 3. quod celebratum eſt tempore Childeberti Regis, dixit, De Miſſarum celebritate in præcipuis duntaxat ſolennitatibus, id obſeruare debemus, ut hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur. Sed iſte modus celebrandi priuatè, aut minus publicè, nunquam fuit interdictus: Immo fuit ſemper probatus, laudatus, obſeruatus.

S. Thomas etiam de iſtis duobus modis celebrandi loquitur, uidelicet dum aut ſolenniter, aut priuatè celebramus. An damnat aliquem illorum? Abſit. Quin potius probat. Determinat quòd in ſolenni celebratione Miſſæ, plures debent adeſſe. iuxta allegatam determinationem Soteris Papæ: & ita illam determinationem intelligit, tanquam de ſola celebratione ſolenni loquatur. De modo autem celebrandi priuatè, dicit, In Miſsis tamen priuatis ſufficit unum habere miniſtrum, qui gerit perſonam totius populi catholici: ex cuius perſona, ſacerdoti pluraliter reſpondet. Hæc & alia ille doctor ſanctus dicit in eo loco, prout apud ipſum omnia facilè poſſunt uideri: in quo ut conſtat ex dictis, ſpecialem facit mentionem, tum de Miſſa ſolenni, tum de Miſſa priuata.

Innocen.
Pſal.
Tobię 12.
Grego. lib. 4.
Bernar. in quodam ſermone.
Gabriel. lect. 14.
Clemens epiſto. 3.
Teleſph. epiſt. 1.
Iulius in ſuis decr.
Fœlix epiſt. 1. cap. 1.
Conciliũ Aurelian. cap. 11.
S. Tho. par. 3. q6. 83. art. 5. ad duodecimũ arg.

Quid multa? Iſtam differentiam celebrandi publicè, uel non publicè, reperimus etiam in Concilio Vaſenſi, celebrato circa annum Domini 450. cuius determinatio eſt quæ ſequitur.

Conciliū Vaſenſe. Canon 6.

Et in omnibus Miſsis, ſiue matutinis, ſiue quadrageſimalibus, ſiue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt; ſemper, Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad Miſſas publicas, dici debeat: quia tam dulcis & deſiderabilis uox, etiam ſi die noctuque poſsit dici, faſtidium non poterit generare.

Ecce Concilium Vaſenſe celebratum circa annum Domini 450. ferme ante 1112. annos, iam memorat modos celebrandi diſtinctos: uidelicet celebrare publicè, ac etiam non publicè: quia refert Miſſas publicas, & alias, id eſt, matutinas, quadrageſimales, aut pro defunctis, tanquam non publicas: Nunquid damnat, aut prohibet aliquas illarum, uel aliquem modum celebrandi illorum? Minimè. Quin potius ordinat, ut in omnibus dicamus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Ergo certiſsimum eſt, & in Eccleſia Dei firmiſsimè credendum, quòd Miſſæ priuatæ ſunt bonæ, iuſtæ, ac ſanctæ: nec ullo modo ſunt abrogandæ, ſed ſunt obſeruandæ, laudandæ, & continuandæ. Siue dicantur priuatæ, quia non dicuntur ſolenniter, ſiue quia populus ad illas non uocatur pulſatione ſignorum, ſiue quia populus non concurrit etiam uocatus, ſiue quia ſunt peculiares & non publicæ, ſiue quia in illis ſolus ſacerdos conſecrans & offerens communicat. In omnibus enim illis, etiam in illis quæ præ aliis priuatiſsimæ dici poſſent, offertur Deo ſacrificium ſibi gratiſsimum, colitur ipſe Deus, oratur pro toto populo Chriſtiano, & communicat ſacerdos offerens. Vnde igitur in illis poteſt eſſe aliquod malum, uel aliquid, quo ſint abrogandæ? Profectò ex nulla parte. Sed potius omnes illæ probantur & confirmantur ex illo uerbo Domini ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores in ſacerdotio, Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ.22.

Ad iſtam ueritatem eſt manifeſtè, ipſa Saluatoris inſtitutio Miſſæ. Ipſe nanque primus Miſſam celebrauit, in qua

conſecrauit, & obtulit, ut eſt monſtratum: de ipſa conſecratione ſiue oblatione ſumpſit, & Apoſtolis dedit, dicens, Accipite & comedite. Deinde dans eiſdem Apoſt. poteſtatem celebrandi ſeu continuandi celebrationem Euchariſtiæ in Eccleſia ſua Chriſtiana, dixit eis, Hoc facite in meam commemorationem. Vt intelligamus prius fuiſſe ſacram Euchariſtiam à Domino inſtitutam ſeu celebratam, & deinde fuiſſe poſtea ipſius celebrationis continuationem ordinatam atque præceptam. Iſta eſt noſtræ ſacræ Miſſæ inſtitutio, ordinatio, præceptio, ut conſtat apud Matth. Marc. & Luc. Nec nos aliam huius ſacræ rei inſtitutionem poſſumus afferre, præter iſtam prædictam, quam in ſacris literis ſancti Euang. legimus, & à ſanctis patribus accepimus. Lucæ.22 Matth.26 Mar.14. Lucæ 22.

At uerò nuſquam legimus alicubi, quòd Saluator noſter ita inſtituerit, ut nullus ſacerdos poſſet celebrare ſeu ſacram Euchariſtiam conſecrare & offerre, niſi quando aliquis alius à ſacerdote conſecrante & offerente, eſſet communicaturus. Quin potius legimus hanc mirabilem poteſtatem celebrandi, à Saluatore noſtro datam eſſe Apoſt. & eorum in ſacerdotio ſucceſſoribus liberè, & abſolutè: non ut ipſi non poſſent celebrare, niſi alij communicare de manu illorum uellent: ſed ut ipſi pro ſeipſis & pro aliis offerrent, utque ſeipſos (ita dicam) communicarent primùm, deinde alios, ſi alij communicare uoluiſſent.

Quid, quæſo, dicendum eſt, ſi in aliquo certo populo nullus laicus in aliqua die, uel per totam hebdomadam, uel per totum menſem communicare uellet: & ſacerdos ipſius populi ex corde ſacroſanctam Euchariſtiam deſideraſſet illo tempore, die, hebdomada, uel menſe? Nunquid conſecrare poſſet, ut ſolus ſacramentũ ſumeret? In conſcientia mea loquor, non uideo quare id negetur. Poteſt igitur ſine dubio. Nunquid ſic celebrans, faceret contra CHRISTI inſtitutionem? Abſit. Quidem poteſtatem dedit CHRISTVS Apoſto. qua poſſent celebrare, conſecrare, offerre, ſeipſos aliosque communicare. Modum autem celebrandi, uidelicet publicè, aut priuatè eis nõ præfixit: quin potius in eo eos liberos reliquit, ut unum uel alium modum celebrantes ſeruarent, prout bene ipſis uideretur.

Iſta eſt libera Christi inſtitutio circa noſtram ſacroſanctam Euchariſtiam, nobiſque profectò magis utilis & magis fauorabilis: quàm iſto modo libero: & non ſecus intellexerunt ſemper omnes ſancti patres, quotquot ad hanc uſque diem in catholica Dei Eccleſia fuerunt, ut ſatis conſtat ex dictis. Auguſtinus ad Ianuarium dixit, Nanque Saluator quo uehementius commendaret myſterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus ad paſsionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Hæc ille. Satis conſtat ex dictis Auguſt. ſupra citatis, Miſſas priuatas fuiſſe ſuo tempore in obſeruantia laudabili. Et Gregorius Nazianz. inuentus eſt in paruo oratorio celebrans, quando communi Epiſcoporum conſenſu in Epiſcopum fuit aſſumptus.

Auguſt. Epiſt. 118 tom 2.

Auguſt. De Ciui. Dei. lib. 22. cap. 6. tom. 5.

De Miſsis autem priuatis, & de earum uſu quòd ſit antiquiſsimus, item earundem applicatione, docet in Auctario Enchyrid. Ioan. Eckius, item in Apologia aduerſus Bucerum, circa ſcripturam proteſtantium in colloquio Ratiſponenſi: qui de ſacrificio Miſſæ ſcripſit tres lib. quibus exactiſsimè aduerſariorum dogmata conuincit; in quorum primo ex ſcripturis docet & probat in Miſſa uerum fieri ſacrificium, in ſecundo ex patribus & conciliis. tertio eorum reſpondet argumentis. Idem rectè declarat in annotat. circa librum oblatum, quòd Deum honore & cultu debito priuant qui in Miſſa ei defertur, totamque Eccleſiam ac fidelium defunctorum animas multa utilitate, fructu & præſidio fraudant, qui tanquam Christi inſtitutioni contrarias, Miſſas priuatas, abolendas docent.

Ioannes Eckius.

In actis Comitiorum Ratiſp.

Confeſsionis Vuittimbergenſis error cum præcipuis eius contra priuatas Miſſas erroribus refertur, & ſolidis, catholicisque reſponſionibus refellitur. CAP. XVI.

Confeſsio Vuittimbergen. omninò aberrans à ueritate, ſic habet, Itaque ad rectam Euchariſtiæ actionem requiruntur ad minus duo, uidelicet miniſter Euchariſtiæ benedicẽs, & is cui Euchariſtiæ ſacramentum diſpenſetur. Hoc illa habet; tanquam ſacerdos non poſsit rectè conſecrare, niſi adſit ſaltem unus alius, cui ſacerdos conſecrans & cõmunicaturus, diſpẽſet etiam ſacramentum. Quia uerò iam conſtat ex dictis quàm falsè illa confeſsio ita aſſerat, modò de illa & de huiuſmodi eius errore plura in medium non uidentur eſſe afferenda. Verùm, quia illa confeſsio non ſolùm ita falsè aſſerit, ſed & ſuam falſitatem probare nititur, placet ſuas argumentationes formare, ſaltem præcipuas & illis reſpondere.

Prima eius ratiocinatio eſt, quia CHRISTVS inſtituit Euchariſtiam, non ut eſſet priuata unius actio, ſed ut eſſet, Eccleſiæ communio. Reſpondemus, Primùm, quouis modo quis celebret, publicè, aut priuatè, ſemper ſacra Eucha riſtia eſt communio: nec perdit nomen, nec perdit rem nominis ullo modo, ob id quòd priuatim celebratur. Semper enim talis eſt, ex ſua inſtitutione, etiam ſi ab uno ſolo ſumatur: & quod plus eſt, ſed etiam uerum, etiam quando à nullo ſumitur, ſed in ſacrario pro infirmis ſeruatur. Secundò dicimus, Actio ſacerdotis etiam priuatè celebrantis non eſt actio priuata, ſed uerè eſt actio publica: tum quia eſt actio ſacerdotis, non ut hominis cuiuſdam particularis, ſed ut miniſtri Eccleſiæ, qui eſt ex hominibus aſſumptus & pro hominibus conſtitutus in iis quæ ſunt ad Deum; ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis: Tum quia & tota Eccleſia offert quodam modo per illum. Itaque actio ſacerdotis celebrantis nullo modo eſt priuata, etiam ſi ipſe priuatim celebret, & ſolus communicet. Sacerdos enim ſummus cum ſanguine ſancta ſanctorũ ingreſſus ſecretè omnia ſolus Hebr. 5.

agebat coràm propitiatorio, totius tamen populi cauſam agebat: atque propterea ut publica erat perſona in cauſa communi publica etiam erat & actio, quamuis ſecreta ſine teſtibus perageretur.

Secunda eius ratiocinatio eſt, quia, cùm CHRISTVS hoc ſacramentum inſtitueret, non ipſe ſolus ueſcebatur, ſed diſpenſabat Eccleſiæ ſuæ quam tum præſentem hebebat; Accipite, inquiens, manducate, &c. & bibite ex eo omnes. Reſpondemus, Ita quidem tunc factum eſt, quod Saluator noſter conſecrauit, obtulit, ſumpſit ſibi ſacramentum, & diſpenſauit aliis, id eſt, Apoſtolis duodecim, qui ſoli cum ipſo erant in menſa, ut conſtat ex ſancto Euangelio. Ita igitur tunc in facto fuit. Sed profectò hoc non probat, quominus ipſe Saluator potuerit alio modo etiam idem ſacramentum conficere: id eſt, conſecrando, offerendo, ſumendo, & non diſpenſando. Sic & nos ſacerdotes ſui facimus de facto, quod conſecramus, offerimus, ſumimus, & aliis præſentibus communicare uolentibus diſpenſamus. Si autem nullus præſens adeſt, qui communicare uelit, nihil prohibet quominus nos ſacerdotes rectè poſsimus celebrare, conſecrare, offerre, ſumere: nec nos inuitis, aut his qui ſacram Euchariſtiam non deſiderant, eam obtrudere debemus, nec propter defectum aliorum nos ſacerdotes à celebratione ceſſare tenemur. Ita igitur Saluator tunc fecit. Verùm manifeſtum eſt, tum quòd non omnia facta ipſius nos obligant, ſed bene quidem omnia eius præcepta: tum quòd Saluator non inuitis, ſed uolentibus, præparatiſque diſpenſauit. Sic & nos facimus.

Tertia ratiocinatio eius eſt, quia, hoc CHRISTI inſtitutum, uetus & uera catholica Eccleſia tam ſeueriter ſeruauit, ut eos, qui in hoc ſacro præſentes non communicarent, excommunicauerit. Ait Papa Anacletus, Peracta conſecratione omnes communicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Et addit, Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Reſpondemus, Nec eſt, nec fuit unquam inſtitutum CHRISTI, ut omnes præſentes celebrationi communicarent, tanquam aliàs non poſſent licitè celebrationi eſſe præſentes. Quandoquidem ſi

aliquod tale fuiſſet Christi inſtitutum, foret profectò in obſeruantia, & nullo modo ſancta Dei Eccleſia contra inſtitutum Christi admitteret non communicaturos ad Miſſæ celebrationem, atque quoquomodo intruſos & non communicantes puniret. Hunc ergo modum tunc olim ſeruabat Eccleſia ex Apoſtolorum, (dicit Anacletus Papa) conſtitutione. Sed quia Christi non erat præceptum, ex cauſa per præpoſitos & per Eccleſiam contraria conſuetudine tolli & mutari poterat; Sicut mutatum eſt & abrogatum ſolenne hoc Apoſtolorum decretum de abſtinentia à ſuffocato & ſanguine, quod in actis Apoſtolorum legimus. Multa etiam alia in primitiua Eccleſia tempore Apoſtolorum obſeruabantur, dum charitas eſſet feruens, quæ poſtea refrigeſcente charitate in deſuetudinem abierunt. non quidem quia non eſſent bona, ſed quia nos à perfectione charitatis illius temporis defecimus, & minus feruidi, ac ſic etiam minus boni ſumus. Act. 15.

Conſtat igitur, quòd nihil ualent illius confeſsionis Vuittembergenſis ratiocinationes, ſed omnes ſunt ſicuti ſagittæ paruulorum, aliquid præſeferentes, & nihil efficientes: & ſic infirmatæ ſunt linguæ eorum, qui talem fecerunt confeſsionem.

Aut dicant nobis auctores illius confeſsionis, ſi illud factum Saluatoris noſtri in cœna nouiſsima fuit ſua inſtitutio celebrationis ſacræ Euchariſtiæ in Eccleſia, quam ſemper obſeruare tenemur, & à qua nullo modo recedere licet in ullo caſu: unde eſt, quòd cum tunc Christus in cœna celebrauerit communicaturos duodecim præſentes Apoſtolos, & eos omnes communicauerit, ipſi auctores nunc dicunt, quòd ſacerdos poteſt rectè celebrare, diſpenſaturus ſacramentum uni tantùm; & ſumpturus ſibi? Non enim Christus ſic fecit unquam, ut celebraret, ſumeret, & uni ſoli alteri diſpenſaret: ſed quando celebrauit in cœna, duodecim aliis diſpenſauit. Oporteret igitur ex illo exemplo, ut nullus celebraret ſacerdos, niſi præſentes haberet duodecim, quibus ſacramentum eſſet diſpenſaturus. At uerò nullus Chriſtianus ita dicit, nec etiam ipſi aduerſarij, qui, ut uidimus ſtatim, concedunt poſſe ſacerdotem celebrare, ſal-

tem coràm uno alio, qui communicaturus ſit cum ipſo ſacerdote. Deſinant igitur facere argumentum ex illo facto Christi, contra Christum, & contra Christi inſtitutionem, nec abutantur diuinis, contra diuina.

Duo ſunt potiſsima inter multa, quibus conſideratis & creditis, conſtat omnibus iſta noſtra ueritas Chriſtiana & uerè catholica. Alterum eſt, quòd ſacra Euchariſtia non eſt ſolùm ſacramentum, ſed eſt ſacramentum & eſt ſacrificium: ob quod pariter & duos uſus habet; quia ut eſt ſacramentum, habet uſum ut ſumatur & diſpenſetur: ut autem eſt ſacrificium, habet uſum ut offeratur. Alterum eſt, quòd poteſtas celebrandi ſacram Echariſtiam, conſecrandi, & offerendi illam in Eccleſia Dei, non eſt limitata, ut iam diximus, ad aliquem modum celebrandi in particulari; publicè, aut priuatè, ſolenniter, aut ſimpliciter, ad communicandum alios, uel ad offerendum & ut ſacerdos ipſe ſumat; Qui hæc intelligit, credat: qui uerò non intelligit, aut non credit, oret ut credat, atque intelligat, dicens, Domine, adauge nobis fidem, adauge nobis intelligentiam. Et hoc enim donum Dei eſt. Qui autem hæc duo crediderit, nullam in hac materia ſentiet eſſe difficultatem.

Omnis Miſſa eſt publica, ex multis rationib.

Ad priora quod attinet, Miſſa quantum eſt ex parte rei, non priuata, ſed publica dicenda eſt, quia cõmune omnium eſt ſacrificium, ſeu cõmunis omnium hoſtia, Christus Dominus omniũ; communis miniſter, ſacerdos; cõmunis Eccleſia, ſeu catholica omnium fideliũ, quæ per ſuos miniſtros offert communes preces Canonis pro tota Eccleſia, pro regibus, pro circumſtantibus, &c. Publica eſt etiam omnis Miſſa, cùm liceat unicuique fideli uolenti, intereſſe, cum ſacerdote beneficia Christi recolere, &c. Communis igitur eſt omnis Miſſa, ex multis: quamuis tamen nonnullæ Miſſæ aliis de cauſis iuſtiſsimis dicãtur priuatæ: uidelicet aut quia non ita ſolenniter celebrantur, aut quia ſacerdos pro aliquibus in particulari offert: quo tempore etiam nullo modo fraudat Eccleſiam ſuo fructu.

Celebrationes autem Miſſarum paſsim fieri in Eccleſia Dei, in quibus populus non communicabat, nec communicare tenebatur, conſtat ab antiquiſsimis temporibus. Et-

enim ante mille centum, & amplius annos, in Agathenſi concilio cautum eſt, ut ſæculares, qui in natali Domini, Paſcha, & Penthecoſte, non communicaſſent, Catholici non crederentur, nec pro Catholicis haberentur. Quod tamen propè ducentis ante annis, itidem à Fabiano Pont. ſancitum, Burchardus Epiſc. Vormatienſis, Iuo Epiſc. Carnoten. Gratianus, in ſuos decretorum libros retulerunt. At uerò in eodem Agathenſi concilio, in quo, ut ter in anno communicarent ſæculares, ſancitum eſt; præceptum fuit, ut die dominica Miſſas audirent: unde tenebantur ſingulis dominicis diebus Miſſas audire, non tamen tenebantur ſingulis dominicis diebus communicare. Qui autem ſub iiſdem temporibus, quibus habitum eſt Agathenſe concilium, uixerunt, Chryſoſt. Auguſt. Ambr. non obſcurè ſuis iudicant ſcripturis, quòd ſuo quoque ſæculo ſic refrigeratus erat feruor ille Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ, quòd uix, ut ſemel in anno uel etiam biennio communicarent, adducerentur: idque caſu magis, & conſuetudine quodammodo, ſiue lege, quàm ex animo. Agathen. conciliū. cap. 18. Burchar. Vormat. Iuo Carnotenſis. Gratian.

Chryſoſtomus in Ora. de B. Philogo. Communionis inquit, tempus, non eſt feſtum, neque celebritas; ſed conſcientia pura, uitaque à peccatis repurgata. Quemadmodum enim, qui ſibi nullius mali conſcius eſt, hunc oportet ſingulis diebus accedere: ſic qui peccatis occupatus eſt, nec pœnitet, cum nec in feſtis quidem accedere tutum eſt. Neque enim ſemel in anno accedere, liberat nos à peccatis, ſi indignè acceſſerimus: quin hoc ipſum potius auget damnationem, quòd cum ſemel tantùm accedamus, ne tum quidem purè accedimus. Idem in comment. ſuper Epiſto. ad Ephe. Quos magis acceptabimus, eoſ'ne, qui ſemel, an qui ſæpius, an qui raro accipiunt? Neque illos, qui ſemel, neq; qui ſæpius, neque qui rarò; ſed eos, qui cum munda cõſcientia, qui cum mundo corde, cum uita irrepræhenſibili, iſti ſemper accedant: qui uerò tales non ſunt, neque ſemel. Chryſoſt. tom. 3. Idē auct. Serm. 3.

Auguſt. in De uerbis Domini ſecundum Lucam, Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumas? quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit: ſic uiue, ut quotidie merea- Auguſt. Hom. 28.

ris accipere: qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere. Idem Auguſt. hac de re in epiſto. ad Ianuarium, non ſecus loquitur, ibi uideri poteſt.

Idem epiſt. 118

Ambr. lib. 5. cap. 4.

Ambr. in De Sacramentis, eandem ſententiam, quam ex Auguſt. ſtatim poſuimus, explicat totidem uerbis. Vt ſic conformes ſint, Chryſoſt. Auguſt. Ambr. apud quos reperitur abſque dubio ſanctitas, antiquitas, doctrina.

Sic ſancti patres, cum uiderent elanguiſſe pietatem hominum, hortabantur eos ad frequentandum Euchariſtiæ ſacramentum; non quòd repræhenderent, ſiquis id ſemel in anno feciſſet, ſed quòd ut crebrius fieret, ſatius eſſe docerent. Quod autem ad hanc noſtram præſentem ueritatem pertinet, frequenter Miſſas celebrabant, in quibus non cõmunicabat populus, nec aliquis è populo.

Quòd Miſſa dicta priuata ratione loci, à tẽpore antiquo ſit in uſu.

Leont. in uita Ioã. Alexand.

Quòd ſi priuata Miſſa dicatur, quæ in oratorio habetur, tales etiam habitas à mille & amplius annis, in Eccleſiaſtica hiſtoria reperire licet. Mille propè anni interceſſerunt, cùm Leontius Epiſcopus Neapolis inſulæ Cypri, ſeptimæ Synodi Nicenæ ſecundæ teſtimonio comprobatus, poſt Ioannem & Sophronium ſcripſit Græcè uitam Ioannis Alexandrini Patriarchæ, qui propter inſignem liberalitatem, qua uſus eſt in pauperes, uocatus eſt Miſericors, ſiue Eleemoſynarius. Narrat de hoc, quòd cùm ſacris operaretur, uideretque populum lecto Euangelio, è templo exiuiſſe, ac ocioſis in Cæmeterio fabulis uacare; exiuerit ipſe quoque, & cũ turba conſederit. Cumque ſtupore affecti eſſent omnes; his eos uerbis affatus ſit, Filioli, ubi oues, illhic & paſtor: aut intrate intro, & ingrediemur: aut manete hîc, & ego quoque manebo. Ego propter uos deſcendo in ſanctam Eccleſiam, nam poteram facere mihi Miſſam in Epiſcopio.

Hiſto. Tripartita de Gregorio Nazianz. lib. 9. cap. 8.

De conſecra. diſtinct. c. Hoc eſt

Ecce tunc olim mos erat etiam in Epiſcopiis, ſeu oratoriis, Miſſas celebrare. Tripartita hiſtoria narrat de Gregorio Nazianzeno, eum in paruo quodam oratorio ſacra celebraſſe. Soter Pont. Romanus & ſummus, ita ſuo decreto ſtatuit, ut nullus Presbyterorum, Miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus præſentibus, ſibique reſpondentibus. non dicit, communicantibus, ſed præſentibus, ac reſpondentibus tantùm. Vnde ſi priuata Miſſa eſt, quæ duobus

tantùm in præſentibus celebratur, ipſis etiam Apoſtolorum temporibus, priuatæ Miſſæ uſus, fuiſſe uidetur.

Anacletus dixit, Perfecta autem conſecratione, omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Circa uerba autem, & determinationem Anacleti, conſideranda ſunt multa; Primum, quòd Anacletus fuit in primitiua Eccleſia, uel ei propinquiſsimus, quando feruente charitate, omnes Chriſtiani ſingulis diebus communicabant. Secundum, quòd Anacletus ibi loquebatur non de conſecratione peracta quibuſuis diebus, ſed in diebus ſolennioribus. Tertium, quòd non de omnibus adſtantibus ſimpliciter erat ſermo, ſed de miniſtris Epiſcopi celebrantis. Sic enim ait Anacletus, Epiſcopus Deo ſacrificans, teſtes ſecum habeat, & plures quàm alius ſacerdos: In ſolennioribus, quippe diebus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti ueſtimentis, in fronte & à tergo, & Presbyteri è regione dextra leuaque corde contrito & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent uultu, cuſtodientes eum à maleuolis hominibus, & conſenſum eius præbeant ſacrificio. Perfecta conſecratione, omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere liminibus, Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia. Ecce de miniſtris agebat, qui in ſacris peragendis Epiſcopo ſeruiebant; diebus uidelicet ſolennioribus. Anacle. epiſt. 1.

Ergo hoc noſtrum iuge ſacrificium, nullo unquam die intermittendum eſt, ſed quotidie celebrandum: ſiue alij à ſacerdote communicent, ſiue non. Alium enim uſum habet, præter eum qui eſt in manducatione. Habet nanque uſum, qui eſt in oblatione. Quòd & ſi nullum alium uſum haberet, niſi ut manducaretur: adhuc poterat quilibet ſacerdos quotidie celebrare, ut ſaltem ipſe ſolus ſumeret, & corpore atque ſanguine Domini reficeretur. Et ipſe nanque eſt de Eccleſia Chriſtiana, pars eius, & miniſter. Coſecrauit enim Christus, ſumpſit, & dedit diſcipulis duodecim, ſed nuſquam & nunquam præcipit, ut ſacerdotes non conſecrarent, niſi cùm communicaturi eſſent alios, uel alium à ſe ipſis.

Attendamus naturam rei, quia hoc eſt iuge ſacrificium: attēdamus Eccleſiaſticas traditiones antiquiſsimas, ex quibus ſcimus teneri populum ſingulis diebus Dominicis audire Miſſas, cum tamen non teneantur, nec tenerentur tunc ſingulis diebus Dominicis communicare: & uidebimus luce clarius, eas Miſſas, in quibus ſolus ſacerdos communicat, non eſſe illicitas, nec abrogandas.

Errat igitur grauiſsimè confeſsio Vuittembergenſis in eo quòd docet non poſſe ſacerdotem rectè celebrare ſacram Euchariſtiam, niſi ſit diſpenſaturus ſacramētum quibuſdam aliis, aut ſaltem uni alij, à ſeipſo ſacerdote celebrante.

Probantur Concluſiones, quibus Articulo ſexto reſpondetur; & aquæ uino admiſtionem nullo pacto CHRISTI *Seruatoris inſtituto aduerſari, quin ei maximè conuenire, licèt neceſſariò ad Euchariſtiæ ſacramentum non requiratur, optimè demonſtratur.* *CAP. XVII.*

SExto Articulo duas adſtruximus concluſiones. Prior eſt, Quòd in Miſſa aqua uino admiſcetur, nullo modo pugnat cum CHRISTI inſtitutione; quin potius cum illa magis conuenit, & ratione rei, & ratione myſterij. Poſterior uerò, Permiſtio, ſeu admiſtio aquæ, non eſt de neceſsitate ſanctiſsimi ſacramenti Euchariſtiæ; ſed ſit, & præcepta eſt, ob iuſtas, rationabiles, honeſtáſque cauſas, ſeu rationes.

Quòd, uino aqua admiſcenda ſit in Miſſæ ſacrificio, ita notum eſt & notum fuit ſemper patribus, ut nulla poſsit de hac re ſuboriri querela iuſta, aut rationabilis dubitatio. Sed ut quemadmodum hoc notum eſt in ſe, ita notum fiat omnibus, placuit nōnulla patrum antiquorum & recentiorum dicta referre, quibus luce meridiana clarius conſtat, iſtum ritum eſſe antiquiſsimum.

ALEXANDER Martyr.

Epiſt. 1. Alex. Martyr, Nō debet, inquit, ut à patribus accepimus,

in calice aut uinum ſolum, aut aqua ſola offerri: ſed utrunque permiſtum, quia utrunque ex latere eius in paſsione profluxiſſe legitur.

Ivstinvs Martyr.

Iuſtinus Martyr dixit ad Antoninum Pium, Vbi deſitum eſt à precibus, adfertur Antiſtiti fratrum, panis & calix aquæ & uini diluti, atque ita is capiens, laudem & gloriam Patri omnium rerum per nomen Filij & Spiritus ſancti enuntiat, offert, pariterque benedictionem in longum facit, ut digni ab eo iſtis rebus habeamur. Apolo. 2

Irenevs Martyr.

Ireneus Martyr dixit, Quando ergo & miſtus calix, & fractus panis, percipit uerbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Christi. Ecce miſtus calix debet eſſe & Ireneus miſtum calicem præparabat. Aduerſus Valẽtini hæreſes. lib. 5.

Cyprianvs Martyr.

Cyprianus Martyr, Quando autem in calice uino aqua miſcetur, Christo populus adunatur: & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & uini ſic miſcetur in calice Domini, ut commiſtio illa non poſsit ab inuicem ſeparari. Infrà, Sic autem in ſacrificando calice Domini, offerri aqua ſola non poteſt, quomodo nec uinum ſolum. Nam ſi uinum tantùm quis offerat, ſanguis Christi incipit eſſe ſine nobis. Si uerò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Christo. Quãdo autem utrunque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur: tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur. lib. 2. Epiſt. 3.

D. Avgvstinvs.

Auguſtinus in lib. De Eccleſiaſticis dogmatibus, In Eu-

cap. 75. tom. 3. post Enchirid.

chariſtia non debet pura aqua offerri, ut quidam ſobrietatis falluntur imagine; ſed uinum cum aqua miſtum: quia & uinum fuit in redemptionis noſtræ myſterio, cum dixit, Non bibam à modò de hoc genimine uitis. Et aqua miſtum, non quòd poſt cœnam dabatur, ſed quòd de latere eius lancea perfoſſo, aqua cum ſanguine egreſſa, uinum de uera eius carnis uite cum aqua expreſſum oſtenditur. Vel ſi quiſpiam dixerit illud opus non eſſe Auguſtini; prorſus nihil facit; nec quidquam infirmat, quia alibi habemus Auguſtini ſuppetias ad iſtam ueritatem, in libris ſuis cognitis: nempe in De doctrina Chriſtiana. Ibi enim refert nonnulla uerba diui Cypriani, quibus Cyprianus quæſtionem hanc terminauit: refert, inquam, Auguſtinus, & non dubium quin probet, licèt ad aliud propoſitum ea uerba Cypriani introduxerit. Dicit ergo Auguſtinus, Soluitur quippe ibi quæſtio in qua quæritur, Vtrùm calix Dominicus aquam ſolam; an eam uino miſtam debeat habere? Sed exempli gratia aliquid inde ponendum eſt. Poſt principium ergo Epiſtolæ, iam ſoluere incipiens propoſitam quæſtionem, Admonitos autem uos ſciatis, inquit, ut in calice offerendo Dominica tradito ſeruetur, neque aliud fiat à nobis quàm pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemorationem eius offertur, uino miſtus offeratur. Hæc ille.

lib 4. cap. 31.

D. AMBROSIVS.

lib. 5. cap. 1.

Ambroſius ad idem tradit, quòd uino aqua miſcenda eſt in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacrificio: & explicat, qua ratione in calice aqua admiſceatur uino, & de myſterio illius. Dicit enim in De ſacramentis, Diximus ergo quòd in altari conſtituatur calix & panis. In calicem, inquit, mittitur uinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis, Quomodo ergo Melchiſedech panem & uinum obtulit? Quid ſibi uult admiſtio aquæ? Rationē accipe. Primò omnium, figura quæ ante præceſsit tempore Moſis quid habet? Quia cum ſitiret populus Iudæorum, & murmuraret quòd aquam inuenire non poſſet, iuſsit Deus Moſi ut tangeret petram

De conſecra. diſtinc. 2. c. Panis.

de uirga, &c. Idem Ambroſius in De ſacramentis, Calix eſt

uini

uini & aquæ plenus; ubi uerba CHRISTI operata fuerunt, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.

MARTINVS Epiſc. Bracchar.

Martinus Epiſc. Braccharenſis, Non oportet aliquid aliud in ſacramento offerri, præter panem, & uinum, & aquam, quæ in typo CHRISTI benedicuntur: quia dum in cruce pẽderet, de corpore eius ſanguis effluxit, & aqua: hæc tria, unum ſunt in CHRISTO Ieſu. Hæc hoſtia & oblatio Dei in odorem ſuauitatis. Libro de Græcorũ ſynodis. cap. 55.

Concil. Carthaginenſe.

Concilium Carthaginenſe tertium, In ſacramentis corporis & ſanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis, & uinum aquæ miſtũ. cap. 24.

Concil. Conſtantinopol.

Concilium Conſtantinop. tertium, uniuerſale ſextum, inquit, Quoniam nouimus in Armeniorum regione uinum tantùm in ſacra menſa offerri, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt, prætexentes, Eccleſiæ doctorem Ioannem Chryſoſt. in interpretatione Matth. hoc aſſerentem. Vt iam nunc ab ignorantia liberentur, illius patris mentem orthodoxè aperimus. Cum enim antiquam Hydroparaſtarum hæreſim, qui pro uino ſola aqua in ſacrificio uſi ſunt, ſubuerteret, illam orationem compoſuit, in qua aquæ in ſacrificio Miſſæ adiunctionem amouere illi exiſtimant: cum tamen non doceat ſanctus per ſolum uinum oblationem fieri; quandoquidem & ſuæ Eccleſiæ ubi eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, aquam uino miſcendam tradidit, quando incruentum peragi ſacrificium oportet, ex precioſo & honorando noſtri redemptoris ſanguine & aqua contemperationem attendens, quæ in totius mundi uiuificationem effuſa eſt, & peccatorum redemptionem. Et in omni etiam Eccleſia ubi ſpiritalia luminaria refulſe- Cano. 32.

runt, hic ordo diuinitus traditus ſeruatur. Nam & Iacobus Domini noſtri Ieſu CHRISTI ſecundum carnem frater, & Baſilius Cæſarienſis Archiepiſcopus, cuius gloria omnem terrarum Orbem peruaſit, myſtico nobis inſcripto tradito ſacrificio, ita peragendum in ſacro myſterio ex aqua & uino ſacrum poculum ediderunt. Et qui Carthagine conuenerunt ſancti patres, ita apertè tradiderunt. Siquis ergo Epiſcopus uel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, deponatur: ut imperfectè ac ſimpliciter myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt innouans.

D. BERNARDVS.

Eſt ſermo in cœna Domini.

Bernardus in quodam ſermone, Et ſciendum quòd aqua miſta cum uino, notat unionem membrorum cũ capite ſuo. Aquæ enim multæ, populi multi. Tres autem portiones quæ in altari fiunt de corpore CHRISTI, myſticam ſignificationem habent, &c. Non intelligit Bernar. quòd corpus Domini diuidatur in Euchariſtia, ſed ſacramentum.

PETRVS Longobardus.

lib. 4. diſt. 11. De conſecra. diſtinct. 2. c. Cum omne.

Magiſter ſenten. dicit, Aqua uerò admiſcenda eſt uino, quia aqua populum ſignat, qui per CHRISTI paſsionem redemptus eſt. Calix ergo Dominicus iuxta Canonum præceptum, aqua & uino miſtus debet offerri: quia uidemus in aqua populum intelligi, in uino oſtendi ſanguinem CHRISTI. Cum ergo in calice uino aqua miſcetur, CHRISTO populus adunatur: & credentium plebs, ei in quem credit, copulatur. Infrà, Si uerò quæritur, An irritum ſit quod geritur, ſi aqua prætermittatur? Audi quod ſequitur in eodem Canone. Non poteſt, inquit, Calix Domini eſſe aqua ſola, aut uinum ſolum, niſi utrunque miſceatur, &c. Infrà, Siquis tamen non intendens introducere hæreſim, obliuione, uel ignorantia aquam prætermiſerit, non uidetur eſſe irritum ſacramentum: ſed ille grauiter eſt corripiendus.

De conſecra. diſtinct. 2. c. Nõ debes. & capi. Sicut ĩ ſanctifi.

S. Thomas.

S. Thomas mouet quæſtionem, Vtrùm aqua ſit uino permiſcenda? Determinat iuxta partem affirmatiuam, quòd ſic. Allegat Alex. ita ſcribentem, In ſacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum ſolennia Domino offeruntur, panis tantùm & uinum aqua permiſtum, in ſacrificium offerantur. His addit, Dicendum, quòd uino, quod offertur in hoc ſacramento, debet aqua miſceri. Primò quidem propter inſtitutionem: probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc ſacramentum iuſtituerit in uino aqua permiſto, ſecundum morem illius terræ. Vnde & dicitur, Bibite uinum, quod miſcui uobis. Secundò, quia hoc conuenit repræſentationi Dominicæ paſsionis. Vnde dicit Alex. Papa, Non debet in calice Domini aut uinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrunque permiſtum: quia utrunque ex latere eius in paſsione ſua profluxiſſe legitur. Tertiò, quia hoc conuenit ad ſignificandum effectum huius ſacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad CHRISTVM: quia, ut Iulius Papa dicit, uidemus in aqua populum intelligi, in uino uerò oſtendi ſanguinem CHRISTI. Ergo cum in calice uino aqua miſcetur, CHRISTO populus adunatur. Quartò, quia hoc competit ad ultimum effectum huius ſacramenti, qui eſt introitus ad uitam æternam. Vnde Ambr. dicit in lib. de ſacramentis, Redundat aqua in calicem, & ſalit in uitam æternam. Hæc ille.

par. 3. q6.74. art. 6.

Prouer. 9

Damascenvs.

Damaſcenus in ſuis ſententiis dicit, CHRISTVS calicem ex aqua & uino miſtum tradidit diſcipulis ſuis, dicens, Bibite ex hoc omnes. Hic eſt calix ſanguinis mei.

lib. 4.

Pascasivs.

Paſcaſius etiam dixit, Cur in calice aqua miſcetur, illa per maxime cauſa eſt, quia de latere CHRISTI ubi paſsio

completur, ſanguis pariter & aqua manauit. Quod certè Apoſtoli myſterium plenè intelligentes, fiendum in calice cenſuerunt: ut nihil deeſſet nobis de ſacramento ad comme morationem paſsionis, quod tunc extitit in cruce in conſummatione noſtræ redemptionis.

BEDA.

Beda ſuper Marcum, Quia nos in CHRISTO & CHRISTVM in nobis manere oportet, uinum cum aqua miſcetur: quia teſte Ioan. Aquæ, populi ſunt.

GABRIEL Biel.

lect. 35. litera K. Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, mouet quæſtionem, Vtrùm ſolum uinum ſit materia apta conſecrationis: an requiratur aquæ admiſtio? Reſpōdet ad dubium, quòd aquæ Ibid. litera L. admiſtio non eſt de neceſsitate ſacramenti; licèt ſit de neceſsitate miniſtri conſecrantis: ideſt, ut rectè, beneq; agat. Ibid. Probat primum per multa, quòd aquæ admiſtio non eſt de Ibid. litera M. neceſsitate ſacramenti. Deinde probat etiam per multa, quòd aqua ſit apponenda, & ſi miniſter non apponeret, grauiter peccaret. Concedit quòd CHRISTVS admiſcuit aquā uino, licèt nullus Euangeliſtarum hoc ſcribat: negat tamen aquam neceſſariò eſſe uino admiſcendam, de neceſſitate ſacramenti.

Ibid. litera K. Idem auctor mouet etiam quæſtionem, Vtrùm aqua uino admixta, in ſanguinem conuertatur? Poſt multa autem interpoſita, repetit eandem quæſtionem, & reſpondendo di- Ibid. litera O. Innocen. c. Cùm Marthæ. cit, De hac quæſtione recitat Inno. III. in De celebratione Miſſæ, tres opiniones, &c. Explicat Gabriel illas tres opin. ſic, Vna eſt quòd aqua adiuncta uino, manet in ſua ſpecie, uini accidentibus circunfuſa: ita quòd uini ſaporem aſſumit, non tamen ſui ſubſtantiam derelinquit. Secunda opinio fuit, quòd uinum conuertitur in ſanguinem, & aqua in id quod cum ſanguine de latere CHRISTI effluxit. Tertia opinio, quòd aqua cum uino tranſſubſtantiatur in ſanguinem miſta uino. Duas opiniones primas, ideſt, primam &

ſecundam, impugnat ſtatim Gabriel: de tertia autem hîc ultimò poſita, dicit, Hanc opinionem probabiliorem dicit Innocen. quam communiter ſequuntur Doct. theologiæ, ſcilicet S. Thomas, Scotus, & cæteri, tanquam indubitatam. Si tamen ſic intelligitur, quòd aqua poſt admiſtionem cum uino, per actiuitatem uini tranſit & conuertitur in uinum: & facta uinum, conuertitur in ſanguinē Christi. Vnde dicit Scotus, Vino apponere aquam, non eſt ſimpliciter neceſſarium de neceſsitate ſacramenti: quia etiam quando appoſita eſt, non conuertitur in ſanguinem, niſi prius ſit conuerſa in uinum. Sicut enim modicum uinum admiſtū aquæ, abſorbetur ab ea, & perdit uirtutem & ſpeciem uini: ut ſi gutta uini in dolium aquæ mittatur, ſtatim corrumpitur, & conuertitur in aquam: ita uice uerſa, modica aqua miſſa in calicem uini, & uino alteratur, & tandem corrumpitur, & conuertitur in uinum. Et ſic aqua in uinum naturali operatione conuerſa, per tranſſubſtantiationem ſuper naturalem, conuertitur in Christi ſanguinem, & non aliàs, nec aliter. Hæc ille.

Ibid. litera P.

S. Tho. Scotus.

Scotus lib. 4. diſt. 1. qō. 7.

Probantur unica Concluſio ad Articulum ſeptimum, qua probè dicitur, Miſſæ Canonem, omnino erroris eſſe exortem, totumque à ueritate, & pietate pendêre, ideoque nulla ex parte eſſe abrogandum. Canonem eundem uariè à uariis diuidi demonſtratur. Cur antequàm ſanctiſsimi myſterij celebrationē aggrediamur, προλεγόμενα quædam, & præparationem quadruplicem præmittamus. CAP. XVIII.

Qvemadmodum Solis huius corporei, qui omnia luſtrat, ſplendor notus eſt; ita etiam ſacri Canonis Miſſæ ueritas ac pietas perſpicua, notaq; eſt. Vnde, ſiquis hanc ueram erga Deum noſtrum uerum religionem nō uideat; non difficultas ipſius ueritatis intelligendæ, in ipſo Canone, ſed in mente ſeu oculis ſpiritalibus eſſe citra dubium uideatur. Quemadmodum non in Sole, ſed in oculis noctuæ, uel nicticoracis, aut ueſpertilionis eſt defectus, ut lumen Solis non aſpiciat, nec interdiu res uideat.

Niſi quòd naturale eſt noctuæ non poſſe tantam Solis lucem perferre, utpote quia parua ſit eius uirtus uiſiua ad tantam lucem contuendam, & grauiter retundatur acies ſuæ intuitionis à tam excellenti uiſibili: proportio enim requiritur inter ſenſum & ſenſibile, ob quam requiſitam non timuit Ariſt. tradere, quòd excellens ſenſibile aut corrumpit ſenſum, aut contriſtat. Nobis autem hominibus, præſertim Chriſtianis, non eſt ex natura, ſed ex uitio, ſiquis ueritatem aut pietatem ſacri Canonis non intuetur, non uidet, aut non intelligit: ueluti non ex natura, ſed ex uitio nobis eſt, ſi quis ueritates reuelatas, ſibi ex parte Dei propoſitas, non percipit mente. Quandoquidem adeſt gratia, & ſemper præſtò eſt, præparans, & totum peragens officium ſuum, quantum nobis eſt neceſſarium, & ſufficit, ſi uoluerimus aſſenſum præbere, eique in conſentiendo cooperari. Noſter igitur eſt defectus, & in nobis difficultas percipiendi intelligendique ſine dubio decumbit, ſi quis in ſacro Canone ueritatem, aut pietatem, aut religionem non agnoſcat, nec intelligat. Superbiam habet in mente, iram, ambitionem, cupiditatem, aut uitium aliquod aliud, quòd, uelut feſtuca in oculo corporali, impedit uiſionem ſpiritalem. Sicut enim ira, ita ſuperbia, ita ambitio, ita cupiditas, turbat
Matth. 5. animum, ne poſsit cernere uerum. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Sicut Deum, uidebit, ita & ueritates Dei. Animalis nanque homo, quæ Dei ſunt non ſapit.

Nobis ergo ſufficit, quòd ex Dei gratia in ſacro Canone uidemus ueritatem, pietatem, ac religionem: errorem autem nullum. Siquis putat ſe habere quod in oppoſitum obiiciat, proferat, & reſpondebimus. Dauid dixit, Credidi, propter quod locutus ſum. Sic & nos cum omni humilitate, ueritate, ac obedientia dicimus, Credidimus, propter quod locuti ſumus. Quia credimus, intelligimus. Aduerſariis autem dicimus ex charitate, & cum ueritate, Niſi credideritis, non intelligetis. Horum enim myſteriorũ diuinorum, & harũ ueritatum altiſsmarũ appræhenſio cognitioq́;, Chriſtianorum eſt fidelium catholicorum, non aliorum: nõ aliorum, inquam, quia alij fidem ſine fide quærunt, pie-

tatem ſine pietate, religionem ſine religione, ueritatem cum mendacio, lucem cum tenebris, iuſtitiam cum iniuſtitia, CHRISTVM cum Belial. ideo non proficiunt, niſi in peius, ſicut ſua ſors eſt, & conſuetudo antiquiſsima, prout de illis iam olim dixit Apoſtolus Paulus.

Canon noſter, uel totus, uel magna ex parte, eſt antiquiſſimus, prout reperimus Aug. & Ambr. multa ex illo referre: unde ipſe ſatis ſua antiquitate, & ſanctorum patrum, qui eo uſi ſunt, auctoritate commendatur. Si aliquid habuiſſet erroris, quo'nam pacto id non uiderēt patres illi oculatiſsimi, & uigilantiſsimi? Viderent profectò, ſi uel minimum erroris illi ineſſet: ſed non uiderunt, quia non inerat. An inerat, & ipſi uiderunt, ſed tacuerunt? Abſit. Impiiſsimum eſſet & error grauiſsimus, ſic iudicare de uiris illis pientiſsimis, doctiſsimis, & ueritatis ſtudioſiſsimis: qui in omnibus & per omnia, quæ CHRISTI erant, ex toto corde quærebant, ueritatem, pietatem, fidem, ſpem, charitatem, religionem.

Iacobus frater Domini ſecundum carnem, & Baſilius Cæſarienſis Epiſcopus ediderunt (alias, ſcripturis addiderunt nobis) Miſſæ celebrationem. Ex quorum auctoritate patet, conuenienter ſingula circa hoc dici. De conſecra. diſtinct. 1. c. Iacob.

Gregorius in ſuis Epiſtolis ex Regiſtro, Ioanni Epiſcopo Syracuſano, contra aliquorum murmurationem; rationem reddit Miſſæ ordinationis. Inter cauſas murmurationis, ut ipſe refert, una illa erat, quia orationem dominicam mox poſt Canonem dici ſtatuit. Reſpondet Gregorius ad omnia; & quantum pertinet ad iſtam obiectionem, dicit, Orationem autem Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodò orationem oblationis hoſtiam conſecrarent. Et ualde mihi inconueniens uiſum eſt, ut precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redēptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem, non diceremus. Hæc ille. Ecce iam tunc Canon Miſſæ erat, quem illi patres antiqui, etiam Canonem appellabant: quem etiam Diuus Gregorius appellat precem, quam inſuper confitetur ab ſcholaſtico quodam compoſitam. Auxit Gregorius præfationem Canonis, Dieſque no- Grego. lib. 7. cap. 63.

ſtros in tua pace diſponas, &c. Sed ut conſtat, iam erat ſacer Canon.

Gabriel. ſup cano. lect. 15. Canon, ſecreta, actio, ſeu ſacrificium, eſt pars principalior totius Miſſæ, in qua præmiſsis populi illuminatione, conſecrandorumque munerum oblatione, agitur de ipſorum munerum conſecratione, qua in uerum CHRISTI corpus & ſanguinem ſubſtantialiter conuertuntur. Hic Canon incipit ab illo uerbo, Te igitur. & continuatur uſque ad myſterij conſummationem, quæ ſecundum Albertum, protenditur uſque ad illam clauſulam, Oremus, præceptis ſalutaribus moniti, &c. Vel ſecundum Alexandrum, uſque ad finem orationis Dominicæ, Canon dicitur. Sed conſtat apud Gregorium, quòd ante orationis Dominicæ additionem, iam Canon appellabatur. Verùm nihil prohibet, quo minus Papias. facta additione, iam totus ſimul Canon dicatur. Canon Græcè, Latinè ſonat, Inſtitutio, ſecundum Papiam, & ſe- Iſidorus. li.6. Etymolog. cap. 16. cundum Iſidorum idem eſt quod regula. Hæc autem uerborum connexio, quam Canonem appellamus regulariter, partim à CHRISTO Domino, partim à ſanctis Patribus inſtituta eſt. A' CHRISTO quidem inſtituta ſunt uerba ſubſtantialia, quæ formam integrant conſecrationis. Cætera uerò, quæ ad laudem Dei dicuntur, & orationes, quæ à populo offeruntur, à ſanctis Patribus non uno tempore, nec ab uno Innocen. Durand. tantùm ſecundum Innocen. & Durandum in rationali, ſed à diuerſis & diuerſis temporibus particulatim edita ſunt, & Gelaſius Papa. per Gelaſium Papam, decimum quintum à Beato Petro, principaliter ſimul ordinata: cui tamen etiã poſterius quædam addita ſunt, ut oſtendit Gabriel ſuper Canonem, ſuis De conſecra. diſtin. 1. in locis. Vnde Gloſſa ſuper cap. Iacobus, dicit, Verba quibus corpus cõficitur, ab ipſo Domino ſunt tradita: ſed poſt, alij alia addiderunt ad decorem, & ſolennitatem. De beato Petro, quòd ipſe primus intelligatur celebraſſe Miſſam Hugo. lib. 2. par. 8. c. ult. cum ſolennitate Pontificali in Antiochia, fatentur Hugo in de Sacramentis, & Antoninus in ſuis partibus: licèt in dicto cap. Iacobus dicatur, quòd Iacob. frater Domini ſecundũ Antonin. par. 1. tit. 6. cap. 8. carnem & Baſilius Cæſarien. Epiſcopus, addiderunt nobis Miſſæ celebrationem. bene enim Gloſſa ibi exponit, dicens, Ordinem celebrandæ Miſſæ.

Diuiditur

Diuiditur autem Canon uariè à uariis. Nam Guil. in rationali, triplicem recitat diuiſionem: harum una in partes undecim, alia in partes duodecim, tertia in ſex, diducitur. Alex. de Ales diuidit in partes tres, ſubdiuidendas. Dominus Alber. ſimiliter in tres, non tamen eadem, ſed longè alia diuiſione. Guil. Alex. de Ales. Alber.

Gabriel Biel ſuper Canonem, uiſis iſtis omnibus & ex parte recitatis, dixit, Sed quaſi medium tenentes, dicimus, quòd textus ſacri Canonis, uidelicet ab illo loco, Te igitur. uſque ad Dominicæ orationis præfationem, quæ incipit ibi, Oremus, præceptis ſalutaribus moniti. ibi enim terminatur Canon, ſecundum Dominum Alber. ut tactum eſt, Hic, inquam, textus conuenienter diuiditur in partes ſex principales. In quarum prima petitur à Deo benedictio appoſitorum munerum, quæ pro tota Eccleſia offeruntur. In ſecunda ponitur ſanctorum inuocatio, quorum meritis & precibus nobis dona à Domino conferuntur, ibi, Communicantes. In tertia petitur ſacrificiorum oblatorum acceptatio, qua electi à perfidis diuiduntur. In quarta ponitur uerborum forma, quibus conſecratio conficitur: & panis uinique ſubſtantiæ in Christi corpus & ſanguinem conuertuntur. In quinta ponitur conſecratorum commemoratio, & ſalus petitur his, qui ſacrificio perfruuntur. In ſexta ſubinfertur refrigerij ac ſuffragij poſtulatio: & iterata ſanctorum inuocatio, quatenus quæ petimus, à Domino concedantur. Agit de iſtis omnibus Gabriel exactiſsimè, & nihil minus unquam habuit, quàm quòd in ſacro Canone aliquem errorem, uel minimum inueniret. Gabriel lect. 20.

Ad antiquitatem noſtri ſacri Canonis, facit profectò quod Ambro. ait in De ſacramentis, Et ſacerdos (inquit) dicit, Ergo memores glorioſiſsimæ eius paſsionis, & ab inferis reſurrectionis, & in cœlum aſcenſionis, offerimus tibi hanc immaculatã hoſtiam, rationabilem hoſtiam, incruentam hoſtiam, hunc panem ſanctum, & calicem uitæ æternæ: & petimus & precamur, ut hanc oblationem ſuſcipias in ſublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum. Ambro. lib 4. cap. 6.

Vnde ſaltem ex iſto loco Ambro. non parum conſtat, quã grauiter errant, qui Canonem Miſſæ paulò ante Greg. tem-

pora, à quodam Scholario conſutum fingunt. Fuit enim Ambro. aliquot ſæculis ante Grego. Neque Gregorius, qui Scholarium, aut Scholaſticum memorat, explicat quo tempore ipſe fuit. Quinimmo ſi ipſe, qui à beato Grego. dictus eſt Scholaſticus, aut Scholarius, eſt ille Epiphanius, qui olim quaſi cognomēto dicebatur Scholaſticus; manifeſtum eſt, ipſum Epiphanium uixiſſe ante annum 570.

Auguſt. in ſermone quodā

Auguſt. in Sermone de Corpore CHRISTI, nonnulla refert ex noſtro ſacro Canone. Dicit enim, Recolite nomen, & aduertite ueritatem. Miſſa enim dicitur eò quòd cœleſtis nuncius ad conſecrandum uiuificum corpus adueniat; iuxta dictum Sacerdotis dicentis, Omnipotens Deus, Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, &c. Idem auctor in lib. ex dictis Baſilij memorat prolixam orationem, quam iam ſuo tempore Sacerdotes ſuper panem & calicem dicebant, dum conſecrabant. Docens enim ſeruandas eſſe Eccleſiæ conſuetudines, etiam non per ſcripturas à Patribus traditas, & oſtendens quot mala ſequerentur, & quot bona cogeremur deponere, ſi eos non ſeruaremus, dicit, Quæ enim, ut inde exordiamur, ſcriptura ſalutiferæ crucis ſignaculo fideles docuit inſigniri, uel quæ trifariam digeſta ſuper panem & calicem prolixæ orationis, uel conſecrationis uerba commendauit? Nam non modò quod in Euang. cōtinetur, uel ab Apoſtolo, quod eſt inſertum ſecretis dicimus, ſed & alia plura adiicimus, magnam quaſi uim commendantia myſteriis. forte aliàs, myſteria, ſeu myſterium.

Habetur. Diſtin. 2. c. Eccleſiaſticarū inſtitu.

Baſilius. cap. 27.

Baſilius etiam in lib. de Spiritu ſancto, dicit, Si aggrederemur non ſcripto proditas conſuetudines, uelut non magnā uim habentes reiicere imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferemus, immo potius ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus: Velut, uerbi gratia, ut eius quod primum & communiſsimum eſt, primam mentionem faciam, Figura crucis ſignare eos, qui in nomen Domini noſtri Ieſu CHRISTI ſpem habent, quis ſcripto docuit? Inuocationis uerba dum oſtenditur panis Euchariſtiæ & poculum benedictionis, quis ſanctorum, ſcripto nobis reliquit? Non enim his contenti

ſumus, quorum Apoſtolus aut Euangelium mentionem facit, ſed & antea, & poſtea, alia quædam dicimus, uelut magnum robur ad myſteria habentia, ex doctrina, ſcripto non prodita, aſſumpta, &c.

Ecce ab antiquiſsimis temporibus in celebratione huius diuini ſacrificij, multa conſueuerunt Patres dicere, ex traditione: quæ etſi in diuinis ſcripturis non eſſent explicata, maximè tamen obſeruabantur, & multum ad debitam celebrationem reputabantur conducere. Per pulchrè etiam magnus ille Baſilius Cæſarien. Epiſc. cuius claritas toto Orbe terrarum refulſit, in ſcripturis, notauit in uerbis ſtatim allegatis, quòd, qui conſuetudines non ſcripto proditas uelut non magnam uim habentes reiiciunt imprudentes, etiã ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferunt, immo potius ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomẽ contrahunt. O doctrinam uerè Chriſtianam, & uerè dignam, quæ ſemper in memoria & in omnibus animis Chriſtianis habeatur. Neceſſe eſt igitur ut conſuetudines Eccleſiæ etiam non ſcripto proditas conſeruemus, ne ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferamus, ne ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahamus. Hinc eſt quòd dicebat diuus Ioannes Chryſoſt. Traditio eſt, nihil qnæras amplius. Chryſoſt.

Quia igitur in hoc ſacramento & ſacrificio totum myſterium noſtræ ſalutis compræhenditur: ideo præ cæteris ſacramentis cum maiori ſolennitate agitur, ut ſatis Chriſtianè notauit S. Thomas. Eſt enim in eo totus CHRISTVS, uerus Deus & uerus homo, Mediator Dei & hominum: totus in eo continetur, totus in eo offertur. Atque eſt profectò præcipuus uel maximus cultus Dei, in ſacræ Euchariſtiæ adoratione, & in eius ſummo Patri oblatione. Et denique, penè omnis Eccleſiæ deuotio, eſt in ordine ad hoc ſacramentum, ut bene notauit Scotus lib. 4. ſententiarum, & poſt ipſum Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ. Propter hoc enim Clericus deuotè & maiori diligentia perſoluit officium diuinum. Propter hoc populus deuotius audit Miſſam, quàm quodcunque aliud officium Eccleſiaſticum. Propter hoc etiam populus deuotius, ſingulique cum ma-

S.Tho. par. 3. qõ. 83. art. 4.

Scotus diſt 8. qõ. 1. Gabriel lect. 5.

iori diligentia confitentur peccata, dum intendunt ſecundum Eccleſiæ ordinationem ſaltem ſemel in anno communicare, &c. quæ Gabriel bene explicat.

Quia autem hoc myſterium eſt altiſsimum, ac digniſsimum, ſummè diligendum, ac ſummè tremendum: & quia
Eccl. 4. in diuinis ſcripturis legimus, Cuſtodi pedem tuum, ingre-
Eccl. 18. diens domum Domini. Ante orationem, præpara animam tuam. Ideo ante celebrationem huius diuini myſterij, id eſt, antequàm ad celebrationem huius myſterij accedatur. duo præmittit ſancta Mater Eccleſia ex antiquiſsima traditione: uidelicet præparationem quandam quatuor partes habentem, qua populus & Clerus præparantur, ad dignè agenda ea quæ ſequuntur: & quandam inſtructionem, quæ fit per doctrinam Prophetarum, Epiſtolarum, Euangeliorum, &c. Ad præparationem pertinet primùm, laus diuina, quæ fit in introitu, ſecundum illud Pſalmi, Sacrificium laudis honorificabit me. & Illhic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Ad præparationem pertinet ſecundò, commemoratio præſentis miſeriæ, dum miſericordia petitur dicendo, Kirie eleiſon. ter quidem pro perſona Patris, ter autem pro perſona Filij, cum dicitur, Chriſte eleiſon. & ter pro perſona Spiritus ſancti, cum dicitur, Kirie eleiſon. contra triplicem miſeriam, ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: uel etiam ad ſignificandum, quòd omnes perſonæ diuinæ, ſunt in ſe inuicem. Ad præparationem pertinet tertiò, commemoratio cœleſtis gloriæ, ad quam tendimus poſt præſentem uitam & miſeriam: & hoc memorat Eccleſia, dicendo, Gloria in excelſis Deo. Quod cantatur in feſtis, in quibus commemoratur cœleſtis gloria; intermittitur autem in officiis luctuoſis, quæ ad commemorationem miſeriæ pertinent. Ad præparationem pertinet quartò oratio, quam ſacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis myſteriis. Præmittitur etiam inſtructio populi, quia ut conſtat omnibus, ſacra Euchariſtia, tam ut ſacramentum, quàm ut ſacrificium, eſt myſterium fidei: ad quod profectò non pertingit ſenſus, nec naturalis ratio, ſed fides, atque ratio per fidem. Fit autem ipſa inſtructio diſpoſitiuè quidem per doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum, quæ in Eccleſia legitur per

Lectores & Subdiaconos. Poſt ipſam lectionem cantatur à Choro graduale, quod ſignificat perfectũ uitæ: & Alleluia, quod ſignificat ſpiritualem exultationem: uel tractus in officiis luctuoſis, qui ſignificat ſpiritualem gemitum. Hæc enim conſequi debent in populo ex prædicta doctrina. Perfectè autem populus inſtruitur per doctrinam CHRISTI in Euangelio contentam; quæ à ſummis miniſtris legitur, ſcilicet à Diaconibus. Et quia CHRISTO credimus tanquam diuinæ ueritati, ſecundum illud, Si ueritatem dico uobis, quare non creditis mihi? Ego ſum uia, ueritas, & uita. Lecto Euangelio, Symbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per fidem CHRISTI doctrinæ aſſentiri. Cantatur autem hoc Symbolum in feſtis, de quibus aliqua mentio in ipſo Symbolo, ſicut in feſtis CHRISTI, & Beatæ Virginis, & Apoſtolorum, qui hanc fidem fundauerunt, & aliis huiuſmodi.

Ita igitur populo præparato & inſtructo, conſequenter iam acceditur ad celebrationem myſterij; quod quidem & offertur ut ſacrificium, & conſecratur & ſumitur ut ſacramentum. Vnde primò, peragitur oblatio; ſecundò, conſecratio materiæ oblatæ; tertiò, eiuſdem perceptio. Circa oblationem uerò, duo aguntur, uidelicet laus populi in cantu offertorij, per quod ſignificatur lætitia offerentium; & oratio ſacerdotis, qui petit, ut oblatio populi ſit Deo accepta. Vnde & dixit Dauid, Ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli uniuerſa hæc, & populum tuum qui hîc repertus eſt, uidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. & poſtea orat, dicens, Domine Deus cuſtodi hanc uoluntatem. 1.Para.29
Deinde circa conſecrationem, quæ ſuper naturali uirtute agitur, primò excitatur populus ad deuotionem in præfatione; unde & monetur, ſurſum corda habere ad Dominum. Et ideo finita præfatione populus deuotè laudat diuinitatem CHRISTI, cum Angelis dicens, Sanctus, Sanctus, Sanctus: & humanitatem, cum pueris dicens, Benedictus qui uenit,

De antiquitate, ueritate, & ratione eorum, quæ in Miſſa ante ſacrum Canonem dicuntur. *CAP. XIX.*

S. Thô. part. 3. qô. 83. art. 4.

OMnia hæc exactiſsimè elucidauit S. Thomas in ſuis partibus. Antiquitatem autem horum ſi quærimus, certè in aliis antiquioribus reperimus abundatiorem. De Introitu enim Miſſæ ſeu ad Miſſam cum decantatione Pſalmorũ in laudibus diuinis, conſtat apud Dionyſium in De Eccleſiaſtica Hierarchia, dicentem, Itaque Pontifex quidem ubi orationem ſanctam ſuper diuinum altare peregit, ex ipſo incenſum adolere inchoans, omnem phani ambitum circuit. Demum ad ſanctum altare iterum rediens, pſalmorum incipit melos concinentibus ſecum ſacra carmina, omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus. Hæc ille. Et ibi agit de lectione ſcripturatum, quæ poſt introitum erat in uſu, dicens, Deinde miniſtrorum officio, ſanctarum ſcripturarum lectio, ſuo ordine recitatur, &c. Sumitur autem introitus Miſſæ, ut pluries, de pſalmis, uel ſaltem cum pſalm. cantatur etiam nunc apud nos: quia ut idem Dionyſius dicit in De Cœleſt. Hierarch. Pſalmi comprǽhendunt per modum laudis, quicquid in ſacra ſcriptura continetur. De Kirie eleiſon in Miſſa, conſtat ex concilio Vaſenſi circa annum 450. celebrato in quo ita habetur, Et quia tam in Sede Apoſtolica, quàm etiam totius Orientis atque Italiæ prouincias, dulcis & nimium ſalubris conſuetudo intromiſſa eſt, ut Kirie eleiſon frequentius cum grandi affectu ac compunctione dicatur: placuit etiam nobis, ut in omnibus eccleſiis noſtris iſta conſuetudo ſancta, ad Miſſas, Deo propitiante, intromittatur. De Gloria in excelſis Deo, &c. conſtat apud Teleſphorum Martyrem, qui de hoc hymno angelico in Miſſa decantando, ita dixit, Nocte ſancta natiuitatis Domini Saluatoris, Miſſas celebrent, & hymnum angelicum in eis ſolenniter decantent: quoniam & eadem nocte, ab Angelis, paſtoribus nunciatus eſt. Vnde & Damaſus de eodem Teleſphoro ita refert, Teleſphorus natione Græcus, Hic fecit ut ante ſacrificium, hymnus diceretur Ange-

Diony. cap. 3. par. 2.

De introitu Miſſæ.

Ibid.

cap. 3.

De Kirie eleiſ.

Conciliũ Vaſenſe. Canon 5.

De Gloria in excelſis Deo in Miſſa.

Teleſph. epiſt. 1.

Damaſus. in uita S. Teleſph.

licus; hoc eſt, Gloria in excelſis Deo. Vixit autem ſanctus Damaſus, qui de Teleſphoro ſcripſit, anno Domini 365.

De Pax uobis, ſiue, Dominus uobiſcum. quod dicit ſacerdos; & de Cum Spiritu tuo, quod dicit populus. conſtat apud Chryſoſtomum, ſuper Matthæum, in epiſtolā ad Coloſſenſes, & in poſteriorem epiſtolam ad Corinthios. Vixit Chryſoſtomus, anno Domini 414. De Collectis in ſacrificio Miſſæ conſtant apud eundem Chryſoſtomum, in De Sacerdotio, & apud Auguſtinum in Epiſtola ad Vitalem, atque in Epiſtola ad Paulinum. ubi expreſsè loquitur de orationibus ſeu deprecationibus, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequàm illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici, &c. De Amen in fine orationis, ſeu deprecationis, conſtat apud Iuſtinum Martyrem, dicentem in Apologia, Abſolutis igitur precibus, & gratiarum actione, quilibet è populo, qui adeſt, fauſtis uocibus acclamat, Amen, dicendo. Amen autem Hebraica lingua, idem eſt quod, Fiat. De Epiſtola, ſeu Lectione ſcripturæ. conſtat apud Dionyſium Martyrem, Areopagitam in De Eccleſiaſtica Hierarchia, ubi dicit, ſicut iam poſuimus. Deinde miniſtrorum officio, ſancta ſcripturarum lectio, ſuo ordine recitatur. Conſtat etiam ex actis Concilij Valentini Hiſpaniæ: ut palàm fiet ex ſtatim dicendis. De Euangelio, conſtat apud concilium Valentinum Hiſpaniæ, celebratum anno 15. Teodorici Regis. Nanque in eius actis ita habetur, Inter cætera hoc cenſuimus eſſe obſeruandum, ut ſacroſancta Euangelia ante munerum illationem in Miſſa Catechumenorum, in ordine lectionum, poſt Apoſtolum, legantur. De Symbolo fidei in Miſſa, conſtat ex concilio Toletano tertio, circa annum Domini 580. in quo ita legimus, Conſulto piiſsimi & glorioſiſsimi Reccaredi Regis, conſtituit Synodus, ut per omnes Eccleſias Hiſpaniæ & Galleciæ, ſecundum formam Orientalium Eccleſiarum, Concilij Conſtantinopolitani, hoc eſt, centum & quinquaginta Epiſcoporum, Symbolum fidei recitetur: ut priuſquàm Dominica dicatur oratio, uoce clara prædicetur, quo fides uera manifeſta ſit, & teſtimonium habeat, & ad CHRISTI corpus & ſanguinem prælibandum, pectora populorum fide pu-

De Pax uobis, ſeu Dominus uobiſcū. Chryſoſt. Hom. 33. Homil. 3. Hom. 18. De Collectis in Miſſa. Chryſoſt. lib. 6. Auguſt. epiſt. 107. epiſt. 59. De Amē. Iuſtinus Martyr. Apol. 2. De Epiſt. Diony. cap. 3. part. 2. De Euāg. Conciliū Valētinū Hiſpaniæ. cap. 1. De Symb.

De lotione manuũ ſacerdotis in Miſſa, ac de panis ſacrificij & calicis ad altare delatione. rificata, accedant, &c. De lotione manuum in Miſſa, ac de panis ſacrificij & Calicis ad altare delatione, ut apud non nullas Eccleſias adhuc obſeruatur, in quibuſdam feſtiuitatibus, conſtat ex Dionyſio Areopagita, glorioſo CHRISTI Martyre, in De Eccleſiaſtica Hierarchia. De Præfatione, quæ dicitur in ſacrificio ſanctiſsimo Miſſæ; conſtat apud Cyprianum Martyrem, dicentem, Sacerdos ante orationem, præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes, dicendo, Surſum corda: ut dum reſpondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud ſe, quàm Dominum, cogitare debere. Conſtat etiam apud Ioannem Chryſoſtomum, Homilia in Enceniis. Conſtat & apud Auguſtinum in multis locis. In De ſancta uiduitate dicit, Nemo eſt donis Dei beatus, qui donanti exiſtit ingratus: Quia & illud, quod inter ſacra myſteria cor habere ſurſum iubemur, ipſo adiuuante id ualemus, quo iubente admonemur. Et in De bono perſeuerantiæ. In ſacramentis fidelium dicitur, ut, Surſum habeamus corda, quod munus eſt Domini. De quo munere ipſi Domino Deo noſtro gratias agere à Sacerdote poſt hanc uocem, quibus hoc dicitur, admonemur, & dignum & iuſtum eſſe, reſpondent. Alibique frequenter. De Præfatione etiam conſtat apud Ambroſium, cui præter alias præfationes, aſcripta eſt quædam ante annos 450. quæ incipit, Aeterne Deus, Et tibi hanc immolationis hoſtiam offerre, &c. ut eſt uidere apud Algerum, in ſuo opere. De corpore CHRISTI. De Sanctus, Sanctus, Sanctus, conſtat apud concilium Vaſenſe, celebratum, ut iam dictum eſt, circa annum 450. Ita enim habet, Et in omnibus Miſsis, ſiue matutinis, ſiue quadrageſimalibus, ſiue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, ſemper, Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quoad Miſſas publicas, dici debeat: quia tam dulcis & deſiderabilis uox, etiam ſi die noctuque poſsit dici, faſtidium non poterit generare.

Diony. cap. 3. De Præfatione, & Surſum corda. Cypria. Cocione. Oratione Dñica. Chryſoſt. & hom. 18 ad Cor. 2 Auguſt. cap. 16. lib. 2. cap. 13. Ambr. Algerus. lib. 1. cap. 15. De Sanctus, Sanctus, Sanctus. Conciliũ Vaſenſe. Canon. 6.

De ſigno Crucis in Miſſa. Chryſoſt. Hom. 55. De Signo Crucis Miſſæ ſacrificio adhibendo, conſtat apud Ioannem Chryſoſtomum ſuper Matthæum. Dicit enim, Neminem pudeat horum ſalutis noſtræ Symbolorum, atque ſignorum. Sed ueluti coronam ſic læto animo crucem CHRISTI circumferamus. Omnia enim quæ ad ſalutem noſtram conducunt

conducunt, per ipſam conſummantur. Nam cum regeneramur, crux Domini adeſt. Cùm ſacratiſsimo alimur cibo, cùm in ordine ſtatuimur, ubique ac ſemper id uictoriæ inſigne, nobis aſsiſtit. Conſtat etiam apud Auguſtinum ſuper Ioannem, ubi dicit, Poſtremò, quid eſt, quod omnes nouerunt ſignum Christi, niſi Crux Christi? Quod ſignum niſi adhibeatur, ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate unguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur. Idem alibi, Hoc ſigno crucis conſecratur corpus Dominicum, ſanctificatur fons baptiſmatis, initiantur etiam Preſbyteri, & cæteri gradus Eccleſiaſtici; & omnia quæcunque ſanctificantur hoc ſigno Dominicæ crucis, cum inuocatione Christi nominis, conſecrantur. Idem alibi, Signum crucis præſidium eſt amicis, obſtaculum inimicis. Huius crucis myſterio rudes catechiſantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, eius crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum eiuſdem crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione Dominicorum uerborum conficiuntur, Sacerdotes & Leuitæ per hoc idem ad ſacros ordines promouentur. Et in uniuerſum, omnia Eccleſiaſtica ſacramenta, in huius uirtute perficiuntur.

Auguſt. trac. 118.

Cócione 181. de té pore.

Serm. 19. de ſanctis

Ecce uidemus omnia, quæ in Miſſæ ſacrificio facimus ante ſacrum Canonem, continere utique ueritatem, pietatem, optimas ſignificationes, & antiquitatem: ut optimi teſtes ſunt Diony. Martyr, Iuſt. Martyr, Concilium Vaſenſe, Teleſphorus, Damaſus, Chryſoſt. Auguſt. Concilium Carthaginen. tertium, Valentinum Hiſpaniæ, Concilium Toletanum tertium, Cypri. Ambro. Eſt enim in omnibus iſtis teſtibus ueritas, pietas, religio, & antiquitas.

De his, quæ in ſacro Canone continentur, deque eorum quæ poſt hunc fiunt antiquitate. Referuntur D. Thomæ obiecta contra ſacrificij Miſſæ ordinem, & eiuſdem ſolutiones ad eadẽ obiecta apponuntur. CAP. XX.

AD ſacrum autem Canonem accedentes, etiam uidemus omnia in eo contenta, eſſe uera, pia, religioſa, & prudentiſsimè ac ſapientiſsimè ordinata. Sacerdos enim commemorat, primò quidem pro quibus hoc ſacrificium offertur, ſcilicet pro uniuerſali Eccleſia, & pro
1.Tim.2. his, qui in ſublimitate ſunt conſtituti: & ſpecialiter quoſdam qui offerunt, uel pro quibus offertur. Secundò commemorat ſanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit, Communicantes & memoriam uenerantes, &c. Tertiò petitionem concludit, cum dicit, Vt hæc oblatio pro quibus offertur ſalutaris. Deinde accedit ad ipſam conſecrationem, in qua primò petit conſecrationis effectum, cum dicit, Quam oblationem tu Deus, &c. Secundò, conſecrationem peragit per uerba Saluatoris, cum dicit, Qui pridie, &c. Tertiò excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum CHRISTI, cum dicit, Vnde & memores. Quartò petit hoc ſacrificium peractum, eſſe Deo acceptum, cum dicit, Supra quæ propitio, &c. Quintò petit huius ſacrificij & ſacramenti effectum. Primò quidem quantum ad ipſos ſumentes, cum dicit, Supplices te rogamus, &c. Secundò, quantum ad mortuos, qui iam ſumere non poſſunt, cum dicit, Memento etiam Dominæ, &c. Tertiò ſpecialiter quantum ad ipſos ſacerdotes offerentes, cum dicit, Nobis quoque peccatoribus, &c. Hæc ſunt quæ continentur in Ca-
S. Tho. par. 3. q6.83. art. 4. none, ſicut palàm eſt omnibus, & ſicut S. Thomas optimè adnotauit.

Deinde agitur de perceptione ſacramenti & ſacrificij; & primò præparatur populus ad percipiendum: tum per orationem communem totius populi, quæ eſt oratio Dominica, in qua petimus panem quotidianum nobis dari: ac etiã per priuatam, quam ſpecialiter ſacerdos pro populo offert,

-cum dicit, Libera nos quæſumus Domine, &c. tum per pacem, quæ datur dicendo, Agnus Dei. Eſt enim hoc ſacramentum, unitatis, & pacis. In Miſsis tamen defunctorum, in quibus ſacrificium offertur, non pro pace præſenti, ſed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Sequitur deinde perceptio ſacramenti, primò percipiente ſacerdote, & poſtmodum aliis dante: quia ut Diony. dicit in De Cœleſti Hierarchia, ille qui aliis diuina tradit, primò debet ipſe particeps eſſe. Vltimò autem tota Miſſæ celebratio in gratiarum actione terminatur populo exultante pro ſumptione myſterij, quod ſignificat cantus poſt communionem, & ſacerdote per orationem gratias offerente, ſicut & CHRISTVS celebrata cœna cum diſcipulis, hymnum dixit, ut dicitur Matthæi 26.

Horum autem, quæ poſt ſacrum Canonem in celebratione huius diuini ſacrificij fiunt, ſi quiſpiam quærat antiquitatem, eam profectò ſine dubio non ſecus apud patres antiquos reperiet. De oratione nanque Dominica, tradit Hieronymus contra Pelagianos: tradit etiam Auguſt. ſermone quodam, in uigilia Paſchæ. De pace, quæ datur in Miſſa. eſt uidere apud Diony. in De Eccleſiaſtica Hierar. Apud Iuſt. Martyrem in Apologia. Apud Aug. in Serm. in Sabb. Sanct. Paſchæ, & apud Inno. primum Papam, in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum. De ſacra communione in Miſſa, manifeſtum eſt apud omnes. De collecta poſt ſacram communionem in Miſſa, docet Diony. in De Eccleſiaſtica Hierar. dicens, Sumpta demum atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem myſteriis imponit. De Benedictione quæ datur in fine ſacrificij, ita determinauit Concilium Agathenſe. Miſſas die Dominico ſæcularibus tenere, ſpeciali ordine præcipimus: ita ut ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat. Qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur. Fuit autem celebratum Concilium Agathen. circa annum Domini 418.

S. Thomas ſatis abundanter oſtendit, quòd conuenienter ordinantur ea, quæ circa hoc ſacramentum dicuntur. Oppoſuit autem in eo loco contra ſe ex multis, & ſecundum catholicam ueritatem reſpondit omnibus. Inter oppoſitiones

De oratione Dominica. Hierony. lib. 3. Auguſt. Ex cócione 237. Diony. cap. 3. Iuſtinus. Apolo. 2. Auguſt. Innocen. cap. 1.

De Collecta poſt cõionem Diony. cap. 3.

De Benedictione in fine Miſſæ. cap. 43.

S.Tho. par. 3. q6.83. art. 4. ſunt quæ ſequuntur. Primùm, quia hoc ſacramentum uerbis CHRISTI conſecratur, ut Ambroſius dicit in lib. de Sacramentis. Non ergo debent aliqua alia in hoc ſacramento dici, quàm uerba CHRISTI. Secundò, quia dicimus in

Oppónes Oppo. 1. Opp. 2. Canone, Et eleuatis oculis in cœlum. Et ſimiliter dicimus, Deditque diſcipulis ſuis dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes: cum tamen non legamus in Euangelio, quòd tunc CHRISTVS oculos ad cœlum leuauerit, aut dixerit, Omnes. Tertiò, quia omnia ſacramenta ordinãtur ad ſalu-

Opp. 3. tem fidelium. Sed in celebratione aliorum ſacramentorum non fit communis oratio pro ſalute fidelium defunctorum. Ergo uidetur quòd inconuenienter fit in hoc. Quartò,

Opp. 4. quia hoc ſacramentum per certitudinem operatur uirtus diuina; ergo uidetur quòd ſuperfluè ſacerdos petat huius ſacramenti perfectionem, cum dicit, Quam oblationem tu Deus in omnibus, &c. Quintò, quia ſacrificium nouæ

Opp. 5. legis, multò eſt excellentius, quàm ſacrificium antiquorum patrum: ergo uidetur quòd inconuenienter ſacerdos petit, ut hoc ſacrificium habeatur ſicut ſacrificium Abel, Abrahæ,

Opp. 6. & Melchiſedech. Sextò, quia corpus CHRISTI, ſicut non incipit eſſe in hoc ſacramento per loci mutationẽ, ita etiam nec eſſe deſinit: ergo uidetur quòd inconuenienter ſacerdos petit, Iube hoc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum.

Solutiones. Solutiones autem horum obiectorum, ſunt ſequentes bonæ, & optimæ, quas etiam idem S. Thomas in eodem loco formauit, reſpondendo ad prædicta obiecta. Ad primum

Sol. 1. enim dicit uerisſimè, quòd conſecratio ſolis uerbis CHRISTI conficitur. Alia uerò neceſſe eſt addere ad præparationem populi ſumentis: & conſtat etiam quòd ob multas ra-

Sol. 2. tiones iam aſsignatas. Ad ſecundum dicit, quòd ſicut dicitur Ioannis ultimo, Multa ſunt à Domino facta uel dicta, quæ Euangeliſtæ non ſcripſerunt; Inter quæ fuit hoc, quòd Dominus in cœna oculos leuauit in cœlum. quod tamen Ec-

Ioan. 11. Ioan. 17. cleſia ex traditione Apoſtolorum habuit. Rationabile enim uidetur, ut qui in ſuſcitatione Lazari, & in oratione, quam pro diſcipulis fecit, oculos leuauit ad Patrem, in huius ſacramenti inſtitutione multò magis hoc fecerit, tanquàm in re

potiori. Quod autem dicitur, Manducate & comedite, non differt quantum ad ſenſum: nec multum refert quid dicatur, præſertim cùm uerba illa non ſint de forma. Quod autem additur, Omnes. intelligitur in uerbis Euangelij, licèt non exprimatur; quia ipſe dixerat, Niſi manducaueritis carnem Filij hominis non habebitis uitam in uobis. Ad tertium dicit, quòd Euchariſtia eſt ſacramentum totius Eccleſiaſticæ unitatis: & ideo ſpecialiter in hoc ſacramento magis quàm in aliis debet fieri mentio de omnibus, quæ pertinent ad ſalutem totius Eccleſiæ. Ad quartum, quod eſt ſeptimum eius in ordine, dicit, quòd efficacia uerborum ſacramentalium impediri poteſt per intentionem ſacerdotis. Nec tamen eſt inconueniens, quòd à Deo petamus id quod certiſsimè ſcimus ipſum facturum: ſicut CHRISTVS petit ſuam clarificationem. Non tamen uidetur ibi ſacerdos orare, ut conſecratio impleatur: ſed ut nobis fiat fructuoſa. Vnde dicit, Vt nobis corpus & ſanguis fiat. Et hoc ſignificant uerba, quæ præmittit, dicens, Hanc oblationem facere digneris benedictam (ſecundum Auguſtinum) id eſt, per quam benedicamur, ſcilicet per gratiam: aſcriptam, id eſt, per quam in cœlo aſcribamur: ratam, ideſt, per quam de uiſceribus CHRISTI eſſe cenſeamur: rationabilem, ideſt, per quam beſtiali ſenſu exuamur: acceptabilem, ut qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius unico filio ſimus. Ad quintum, quod eſt octauum in ordine ſuo, dicit, quòd licèt hoc ſacramentum ex ſe ipſo præferatur omnibus antiquis ſacrificiis; tamen ſacrificia antiquorum fuerunt Deo acceptiſsima ex eorum deuotione. Petit ergo ſacerdos, ut ſic hoc ſacramentum acceptetur Deo ex deuotione offerentium, ſicut illa accepta fuerunt Deo. Ad ſextum quod eſt nonum in ordine ipſius, dicit, quòd ſacerdos non petit neque quòd ſpecies ſacramentales deferantur in cœlum, neque corpus CHRISTI uerum, quod ibi eſſe non deſinit. Sed petit hoc pro corpore myſtico, quòd ſcilicet in hoc ſacramẽto ſignificatur, ut ſcilicet orationes ſacerdotis & populi Angelus aſsiſtens diuinis myſteriis, Deo repræſentet. Secundum illud, Aſcendit fumus incenſorum de oblationibus ſanctorum, de manu Angeli. Sublime autem altare

Sol. 3. Sol. 4. Ioã. 17. Sol. 5. Sol. 6. Apoc. 8.

Dei, dicitur uel ipſa Eccleſia triumphans, in quam tranſferri petimus: uel ipſe Deus, cuius participationem petimus. De hoc enim altari dicitur, Non aſcendes ad altare meum per gradus, ideſt, In Trinitate gradus non facies. Vel per Angelum, intelligitur ipſe CHRISTVS, qui eſt magni concilij Angelus, qui corpus ſuum myſticum Deo Patri coniungit, & Eccleſiæ triumphanti. Et propter hoc etiam Miſſa nominatur, quia per Angelum ſacerdos preces ad Deum mittit, ſicut populus per ſacerdotem: uel quia CHRISTVS eſt hoſtia nobis Miſſa à Deo. Vnde & in fine Miſſæ, Diaconus in feſtiuis diebus populum licentiat, dicens, Ite, Miſſa eſt. ſcilicet hoſtia ad Deum per Angelum: ut ſcilicet ſit Deo accepta. Hæc ille.

Exod. 20.

Eodem modo ſentiunt & docent, atque reſpondent, omnes alij doctores, ſancti & catholici, quotquot uel ante ſanctum Thomã, uel poſt ipſum ſcripſerũt de rebus huiuſmodi.

Probatur Concluſio unica ad Articulum octauum, qua habetur, quòd ritus Eccleſiæ Rom. quo ſecretò, & ſubmiſſa uoce uerba conſecrationis proferuntur; bonus eſt, pius, laudandus, & obſeruandus, nulloque pacto damnandus. CAP. XXI.

TRibus de cauſis potiſsimùm, illiſque iuſtiſsimis, ordinatum fuit, ut ſacer canon ſecretè aut ſubmiſſa uoce dicatur: quantum poſſumus ex Patribus, & Sanctis & Catholicis facilè colligere. Prima, ratione ſignificationis. Secunda, ratione operationis. Tertia, ratione prolationis. Quibus tribus cognitis, probatur ſatis apud omnem intellectum Chriſtianum humilem, pium, ac docilem, iſtum ritum eſſe bonum, iuſtum, & ſanctum: iuſtiſsimis cauſis introductum, iuſtè conſeruatum, & ſimili modo iuſtè conſeruandum: ipſis cauſis extantibus, & ſancta Matre Eccleſia non aliud ordinante. Poteſt enim illa in rebus huiuſmodi ordinare, prout uiderit ſaluti filiorum ſuorum magis aut magis expedire. Agamus igitur de illis tribus rationibus, deque illis ſingillatim dicamus nonnulla.

Ratione ſignificationis, diſpoſitum eſt, ut ſacer Canon

ſecretè dicatur. Quia utique hoc ſecretum aut ſilentium, repræſentat illud quo Christus latuit, & ſe abſcondit à turbis. Vnde notant Innocen. & Alex. de Ales, id, quòd Dominus Iesus ubi fuit honorificè ſuſceptus Hieroſolymis cum ramis palmarum & laudibus, Iudæi uolebant eum capere, propter quod receſsit ab eis, & abiit in Bethaniam, & abſcondit ſe ab eis: non metu formidinis, ſed prouidentia diſpenſationis: quia nondum uenerat hora eius. Illud ergo latibulum, quo diſpenſationis gratia latuit, ſignificat hoc ſecreti ſilentium. In ſacerdote autem celebrante ſignificat ſilentium mentis, quo ſine tumultu & uerborum ſtrepitu, mentis deuotio ad Deum dirigatur: qui exauditor eſt magis cordis, quàm uocis. Beatus Greg. Illam orationem, Deus non exaudit, cui ille qui orat, non intendit. Scrutator enim cordium eſt Deus. Et Anna non clamoroſa petitione, ſed tacita deuotione quod petiit, impetrauit. Loquebatur nanque in corde ſuo, tantumque labia mouebantur, & uox penitus non audiebatur.

Innocen. Alex. de Ales. par. 4. q6.37. mẽbro 2. art. 1.
Ioan. 12.
Grego.
1. Reg. 1.

Ratione etiam operationis, dicitur Canõ ſecretè. Quia operatio illa occultiſsima eſt, & abſcondita omni intellectui rationalis creaturæ. Quid enim ſecretius & mirabilius, quàm ut panis & uinum ſubſtantialiter deſinant eſſe, remanentibus propriis & communibus eorum accidentibus, ex quibus ratio in cognitionem ſubſtantiæ conſueuit deuenire? Percipit oculus, panis colorem: guſtus, ipſius ſaporem: olfactus, odorem: & tamen fallitur ratio, ſi iudicat eſſe panem. Quid inſuper ſecretius, & ab humanis corporis & mentis ſenſibus remotius, quàm quod glorioſa Christi perſona, quæ in cruce pependit, non quidem glorioſa ſed mortalis, & nunc reſidet ad dexteram Patris glorioſa & immortalis, ſecundum omnes ſuas partes, tam eſſentiales, quàm quantitatiuas, ſub parua hoſtia & qualibet eius parte, ſecundum eſſe ſuum uerum & reale continetur? Abſconditum eſt hoc myſterium à mundi ſapientibus, & reuelatum paruulis fidelibus: tamen intellectum ſuum captiuantibus in obſequium Christi, & fidei, ueritatem illam occultiſsimam, ſed certiſsimam aſtruentis. Idcircò etiam ſacerdos celebrans, quibuſdam uelatur cortinis in lateribus

altaris dependentibus, ut mos eſt in quibuſdam locis, ad deſignandum quòd ſacerdos intrat ad maximum fidei ſacramentum: in cuius figuram ſancta ſanctorum in Moſaico
Hebr. 9. tabernaculo dependente uelo claudebantur, nec niſi ſummo ſacerdoti ſemel in anno licuit introire.

Ratione inſuper prolationis; ſcilicet, ne tanti myſterij uerba per quotidianum uſum ex manifeſta prolatione uileſcant: & in locis non competentibus paſsim & indiſcretè dicantur, & ſint dicentibus in ruinam, ut dicit Alexan. Vnde beatus Diony. in Eccleſiaſtica Hierar. de ritu ſacrificiorum loquens, dicit, Græci hoc uidentes deridebant, putantes tam humilibus uerbis, tantum ſacrificium ineſſe non poſſe.

Gabriel. lect. 15. litera E. Gabriel Biel ſuper Canonem agit fuſius de iſtis omnibus. Additque, dicens, Fertur etiam quòd cùm antiquitus publicè & alta uoce Canon diceretur, omnes penè per uſum illum ſciebant, & in plateis & uicis illum decantabant. Vnde cùm quidam paſtores in agro, pane ſuper lapidem poſito, Canonem dicerent, ad prolationem uerborum illorum, panis conuerſus eſt in carnem: ipſi autem igne de cœlo acerrimo, diuino iudicio, ſunt percuſsi. Propter quod ſancti Patres ſtatuerunt, ut de cætero Canon diceretur ſub ſilẽtio. Sed intelligendum eſt, quòd hæc conuerſio panis in carnem, non fuit facta uirtute illorum uerborum; quoniam non niſi prolata à ſacerdote rite conſecrato cum debita intentione, uirtutem habent conuerſiuam ſubſtantiæ panis in corpus CHRISTI: ſed aliunde facta eſt, diuino miraculo; quomodo cruor fertur effluxiſſe de hoſtia conſecrata, ad punctionem infidelium Iudæorum. Sicut & de quibuſdam imaginibus CHRISTI & Sanctorum ad ſectionem peruerſorum factum fuiſſe, referunt hiſtoriæ. Et hoc in uindictam impiorum, ut ſic eorum infidelitas, peruerſitas, ac temeritas puniretur: manifeſtareturq́; potentia diuina, inſinuaretur quoque, non in ludo & iocis utendum eſſe ſacramentalibus uerbis ac diuinis myſteriis; ſed cum reuerentia & timore eis modo ac fine, quibus ſunt à CHRISTO & ſanctis Patribus inſtituta. Factum quoque eſt cæteris in exemplum & terrorem, ne ſimiliter Deo irreuerentiam faciant, ſacra myſteria in ludibrium conuertendo. Hæc ille.

S. Thomas

S. Thomas ſatis bene notauit, Sacerdotem dicere nonnulla occultè aut ſecretè, uel quia ad ipſum ſolum pertinent ex officio, & non ad populum: qualia ſunt, oblatio & conſecratio: uel etiam propter myſterium; in ſignum quod circa CHRISTI paſsionem diſcipuli non niſi occultè, CHRISTVM confitebantur. S.Tho. par. 3. qõ.83. art. 4. ad ſextum arg.

Verba S. Thomæ, omnia optimè componentis, ſunt. Dicendum, quòd in hoc ſacramento, ſicut dictum eſt, tanguntur ea quæ pertinent ad totam Eccleſiam. Et ideo quædam dicuntur à CHRISTO, quæ pertinent ad populum. Quorum quædam Chorus totaliter proſequitur, quæ ſcilicet toti populo inſpirantur. Quædam uerò populus proſequitur, ſacerdote inchoante, qui perſonam Dei gerit, in ſignum quòd talia peruenerunt ad populum ex reuelatione diuina: ſicut fides, & gloria cœleſtis. Et ideo Sacerdos inchoat Symbolum fidei, & Gloria in excelſis Deo. Quædam uerò dicuntur per miniſtros, ſicut doctrina ueteris & noui teſtamenti, in ſignum, quòd per miniſtros à Deo miſſos, eſt doctrina hæc populis annunciata. Quædam uerò Sacerdos ſolus proſequitur; quæ ſcilicet ad proprium officium ſacerdotis pertinent: ut ſcilicet dona & preces offerat pro populo, ſicut dicitur Hebræorum 5. In his tamen quædam dicit publicè, ſcilicet quæ pertinent & ad ſacerdotem & ad populum, ſicut ſunt orationes communes. Quædam uerò pertinent ad ſolum Sacerdotem, ſicut oblatio & conſecratio: & ideo quæ circa hæc ſunt dicenda, occultè à Sacerdote dicuntur. In utriſque tamen excitat attentionem populi dicendo, Dominus uobiſcum: & expectat aſſenſum dicentium, Amen. Et ideo etiam in his quæ ſecretè dicuntur, publicè præmittit, Dominus uobiſcum. & ſubiungit, Per omnia ſæcula ſæculorum. Vel ſecretè aliqua Sacerdos dicit, in ſignum, quòd circa CHRISTI paſsionem diſcipuli non niſi occultè confitebantur CHRISTVM. Hæc ille. Vbi ſtatim ante.

Ergo non caſu aut temere factum ſeu ordinatum eſt, ſed ex cauſa, optima ratione, religioſè, uerè, prudenter, ac ſanctè, ut ſacerdos celebrans, ſecretò & ſubmiſſa uoce uerba conſecrationis proferat, atque totum ſacrum Canonem ſecretè dicat. Declaratur enim in his, tum quòd celebratio

uel confectio, conſecratio & ſacrificatio & oblatio huius diuini ſacrificij ad ſolum ſacerdotem pertinet ex officio, ordine, ac dignitate: tum quòd non publicè ſed ſecretò diſcipuli confitebantur CHRISTVM, tempore paſsionis, quando hoc ſacrificium diuinum fuit oblatum ſeu immolatum modo cruento.

Concluſio unica ad Articulum nonum probatur, qua intrepidè aſſeritur, Miſſam optimè, iuſtè, ac ſanctè celebrari Latino ſermone iuxta ritum Eccleſiæ Romanæ: & eos errare affirmatur, qui nullo alio ſermone, præter quàm uulgari, quem omnes paſsim nouerint & percipiant, eam celebrandam eſſe opinantur. *CAP. XXII.*

Miſſam optimè, iuſtè, ac ſanctè Latina lingua ſecūdum ritum Eccleſiæ Romanæ celebrari; ita uerum & certum eſt, ut nulla egeat probatione. Cum enim de ea re nullum habeamus diuinum præceptum: quo teneamur ſacram Miſſam una lingua magis quàm alia celebrare; iuſtè atque rationabiliter factum eſt, ut ſicut ad iſtud ſacrum myſterium peragendum Eccleſia Græca linguam accepit Græcam, & Eccleſia Aethiopiæ linguam Chaldaicam; ſic Eccleſia Romana, quæ & Latina dicitur, linguam uſurparet Latinam, qua in re huiuſmodi uteretur myſterio altiſsimo. Ita antiquiſsimus ritus iſte eſt in Eccleſia Romana, ut prorſus nulla, quæ aduerſetur, memoria exiſtat: unde mihi profectò ſatis ex ſua antiquitate probatur; maximè attendendo innumeros fermè patres ſub eo ritu uixiſſe ſanctiſsimos & doctiſsimos, qui nunquam contra illum aliquid tentauerunt. Et ſi aduertimus nihil in hoc fecit ſancta Eccleſia Romana, niſi quòd primam linguam, quã in hoc ſacro myſterio peragendo accepit, ſine mutatione conſeruauit; nec eas damnat Eccleſias, quæ ab antiquiſsimis temporibus in aliis linguis celebrant.

Nonnulla ego hîc conſidero in fauorem huius ritus, quæ ut apparet nemo infirmare poteſt. Primum eſt, Rationabile fuit ut Eccleſia Romana, quæ diuino iure, ratione Ca-

thedræ, ſedis, atque poteſtatis Apoſtolicæ quam habet, mater eſt, domina atque magiſtra omnium aliarum Eccleſiarum, aliquam unam linguam eligeret, qua in Miſſa celebranda uteretur in ſua Cathedrali, atque etiam & maximè in Capella ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ, quam ipſe frequentat magis præſentia ſua, & cum cætu illuſtriſsimorum dominorum Cardinalium, atque aliorum Prælatorum pro neceſsitate diuerſorum negotiorum ſuarum Eccleſiarum expediendorum, ad ipſum ſanctiſsimum dominum conuenientium. Secundum eſt, Rationabile fuit, ut ea lingua eligenda & conſeruanda eſſet Latina, magis quàm quæuis alia. Tertium eſt, Rationabile fuit, ut omnes Eccleſiæ Europæ quæ in celebrandis Miſsis nullam antiquitus habebant determinatam linguam, eandem obſeruarent in eo ſacro myſterio, quā uidebant à ſancta Romana Eccleſia obſeruari.

Primum horum conſtat per ſe; quia ex quo in aliqua lingua hoc myſterium celebrari debet, & non expedit ut in eo loco mutationes quotidie fiant ſecundum diuerſitatem linguarum eorum qui celebrant; neceſſariò fuit ibi aliqua lingua eligenda. Vt ſic, quotidie ibi una lingua audiretur in ſacris peragendis, tanquam eſſet ſemper lingua una & labium unum, quod audirent omnes adſtantes, etiam diuerſarum nationum, diuerſarumque linguarum.

Secundum etiam per ſe conſtat, Quia ex quo ibi una lingua fuit obſeruanda, ad uarias & quotidianas mutationes fugiendas: per ſe liquet, eam præ omnibus aliis debuiſſe eſſe Latinam. Eſt enim urbs Roma in partibus ſita Europæ, cui ob id debuit potius ſe conformare, ne uideretur ei facere iniuriam unde & ſcandala ſuboriri poſſent, ſi contemptis, aut neglectis, aut modo alio abiectis ſeu reiectis omnibus Europæ linguis, aliquam peregrinam & omnibus Europæ nationibus extraneam, ad ſacra peragenda eligeret. Quòd ſi aliqua inter linguas Europæ fuit eligenda lingua, ut re uera, fuit: iam non poteſt dubitari, quin Latina fuiſſet eligenda præ cæteris. Iſta enim lingua apud omnes ſapientes, qui de hac re aliquando tractarunt, eſt magis notabilis, melior, perfectior, excellentiorque inter alias omnes Europæ: & ſic metrum atque menſura aliarum, ut ſecundum quòd aliæ

magis accedunt ad iſtam, habeantur ſine dubio tanquam perfectiores aliis. Iſta lingua eſt, in qua omnes doctores harum partium ſcripſerunt ea, quæ uel ad ſacram Thelogiam pertinent, uel ad Philoſophiam, uel ad quamcunque aliam ſcientiam: ad ſacros etiam Canones, uel ad ciuiles leges: ut palàm eſt de Theologia, apud Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, & alios penè infinitos Chriſtianæ Reip. proceres. Iſta lingua eſt, quæ magis communis habetur in tota Europa, in gymnaſiis diſcitur apud fermè omnes nationes illius, ubi barbaries fugitur: neque ipſa ſic ignota eſt apud aliquam nationem, ſicut multæ linguæ Europæ ſunt ignotæ apud multos, & inter ſeſe. Nulla enim natio eſt apud nos, in qua non multi ſint, qui linguam Latinam norunt. Iſta lingua eſt etiam antiquiſsima, & ab antiquiſsimis temporibus habita in uſu, & in precio, æſtimatione, & honore: qua etiam uſi ſunt Imperatores antiqui in ſuis legibus, quibus uniuerſum Orbem Romanum gubernabant. Ergo iſta lingua propter eius excellentiam, nobilitatem, communitatem, & antiquitatem, fuit potius eligenda, ad hoc ſacroſanctum peragendum myſterium.

Si dixerit quiſpiam iſtam linguam non eſſe uulgarē. Reſpondemus, Nec hoc ſacrum negocium eſt uulgare. Et ſic ut credimus, diuina diſpoſitione factum eſt, ut myſterio non uulgari peragendo, lingua aptaretur non uulgaris. Sæpe inter offerendum, multa recitantur myſteria altiſsima, uel ex Euangelio, uel ex Epiſtolis Canonicis, quæ non conuenit in lingua uulgari recitari, ne populus ſcientiæ ignarus putans ſe intelligere quæ in ſua lingua uulgari audierit, in multis decipiatur. Eſt enim etiam in re huiuſmodi ſeruanda quædam obſeruantia, bòna, religioſa, & prudens, qua non omnia myſteria ſcripturarum in lingua uulgari proponantur omnibus: uidelicet ne quidam minus ſapientes offendantur in ipſis. Non omnes percipiunt omnia, nec omnes eiuſdem ſunt animi.

Tertium etiam non ſecus eſt notum. Quandoquidem optimum quid eſt, conformitas. Præſertim membrorum ad caput, filiarum ad matrem, diſcipularum ad magiſtram. Acceperunt omnes Eccleſiæ Europæ, fidem, atque religio-

nem ab Eccleſia una Romana, ut palàm eſt apud omnes: quia à Romana urbe dimanauit fides in Italiam uniuerſam, in Germaniam, in Galliam, in Hiſpanias, in Britanniam, & alias Chriſtiani Orbis regiones. Ratio igitur fuit, ut cum fide ueniret religio, atq; ipſius religionis ritus & obſeruãtia.

Verum eſt quòd non omnes intelligunt linguam Latinam, ſed ita uerum eſt, quòd non ad omnes pertinet ex æquo omnia uernaculo ſermone audire diuina myſteria. Sunt enim in diuinis ſcripturis nonnulla, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ad ſuam ipſorum perditionem. Vnde putantes ſe intelligere, cum tamen non intelligant, multas concipiunt hæreſes, multosque errores. Eſt fides maiorum, & eſt fides minorum, in Eccleſia Chriſtiana: quæ tamen fides cum una ſit omnium fidelium, differt in maioribus, & in minoribus ſolùm per magis aut minus explicita. Boues arabant, & aſinæ paſcebant circa eos. De fide enim ſimplicium benedicit Magiſter ſententiarum, Et in Eccleſia aliqui minus capaces ſunt, qui articulos ſymboli diſtinguere & aſsignare non ualent; omnia tamen credunt, quæ in Symbolo continentur. Credunt enim quæ ignorant, habentes fidem uelatam in myſterio. Ita & nunc minus capaces reuelatione ſibi facta maioribus credendo inhærebant, quibus fidem ſuam quaſi committebant. Vnde Iob, Boues arabant, & aſinæ paſcebant iuxta eos. Simplices & minores ſunt aſinæ paſcentes iuxta boues: quia humilitate maioribus adhærendo, in myſterio credebant, quæ illi in myſterio docebant: qualis forte fuit, uidua Sareptana. Hæc ille.

2. Pet. 3.
Magiſter. lib. 3. diſt. 25.
Iob. 1.
1. Reg. 17

Optimè igitur & ſanctè in noſtra Eccleſia Latina atque Occidentali, Latina lingua celebratur Miſſa, & dicuntur ea quæ ad celebrationem huius diuini ſacrificij pertinent. Multis enim de cauſis iuſtiſsimis ita ſancitum eſt, & communi omnium Occidentalium Eccleſiarum conſenſu obſeruatum, ut conſtat ex dictis, atque ex factis & perpetua obſeruantia earum. Inter quas cauſas ea fuit non parua, nec contemnenda: quòd ſicut in tota hac Eccleſia una fides eſt, ſic miniſtri Eccleſiæ tanquam quodãmodo eius fidei & uerbi Dei miniſtri, in una lingua loquantur, quoties non ut priuati homines, ſed ut miniſtri fidei loquuntur. Non quaſi

fides Latinorum ſit Latina, Hebræorum Hebræa, Græcorum Græca, aut ſic proportionabiliter uarietur in uariis, ut Luſitanorum ſit Luſitana, aut aliorum alia talis: quia hoc non ſtat, quum ſit fides uirtus intellectualis, repræſentans naturaliter, ſuo modo apud omnes. Sed quia uidetur conuenientiſsimum, ut miniſtri huius unius fidei, una lingua, & uno labio loquamur quantum poſsibile eſt, myſteria huius fidei conficientes: ut uel ſic aliqua ex parte indicemus unam ubique eſſe fidem in uno eius uerbi uehiculo, & oſtendamus modo ſingulari ab huiuſmodi fidei myſteriis quantum eſt de ſe, longè omnino abeſſe peccatum, quod oſtenditur in linguarum confuſione ac uarietate. Lingua enim una, & labium unum fuit, ab origine mundi, uſque ad turris Babylonicæ ædificatores, in quibus ſi fuit peccatum uel non, illa ædificatio, ſatis conſtat. Nec eſt parua conſolatio fidelium, quibus ab aliis regionibus ad alias declinare contigit, quòd ubique Chriſtianorum locorum hoc diuinum ſacrificium eiſdem uerbis, eadem lingua, & eiſdem fermè cæremoniis celebrari uident.

Dicunt aduerſarij, Simplices non intelligunt linguam Latinam. Reſpondemus, Neque opus eſt. Non in re celebrationis huius diuini ſacrificij quantum intelligamus, ſed in ea quam piè in Deum credimus, ipſumque Deum colimus, ſalutem noſtram poſitam eſſe, uidetur docere tota diuina ſcriptura. Multum eſt ſi credimus, multum eſt ſi colimus; uel nihil omnino, uel perexiguum eſt ſi intelligimus linguam, in qua hoc myſterium celebratur. Fides, & cultus requiritur, intelligentia uerborum non requiritur. Quid autem uel quale ſit myſterium, quod in noſtro altari Chriſtiano peragitur, nullus Chriſtianus eſt, qui ignoret: hoc omnes prædicatores declamant, idque omnes curati exponunt. Repræſentatur ibi cœna Dominica, annunciatur mors Saluatoris noſtri, ſuique ſanguinis pro nobis effuſio, & beatæ uitæ in cœlo ſatietas præſignatur. Hæc myſteria, quis non nouit? quis in ipſis rebus ſignificantibus non intelligit? De intelligentia linguæ curare, quoad populum, infimum quid eſt: & indignum, quod trahatur in controuerſiam: cum poſsit ipſa linguæ intelligentia, non rarò ipſi

populo linguam intelligenti parere præiudicium. Vtpote ſi quis linguam intelligens, putet ſe intelligere omnia myſteria, quæ in lingua ſibi nota audit: & fingat ſibi ſenſum, quem nunquam Spiritus ſanctus uoluit. Profectò, ſi quiſpiam in uulgari lingua legeret coràm populo libros Philoſophiæ, nemo intelligeret ſenſum quamuis omnes intelligerent uerba: & poſſet quilibet facilè in difficiles cadere errores contra ueram Philoſophiam, putans ſe rectè intelligere, quod tamen planè ignorat. Nulla eſt ſcientia, in qua non indigeamus magiſtro, etiam ſi in noſtra uernacula lingua eam habeamus. Talis eſt etiam ſcientia ſacra, quæ non eſt humanitus inuenta, ſed reuelata diuinitus: magiſtro indigemus in illa, nec ſtatim quilibet accipit, aut format, aut concipit in ſe proprium, aut uerum eius ſenſum, quoties eam audit, uel legit in lingua uulgari. Cum ergo in officio celebrationis Miſſarum, ex more à temporibus Apoſtolorũ, Martyrumque, & confeſſorum, legamus multa ex diuinis ſcripturis, Euangeliorum, Epiſtolarum, Pſalmorum, Prophetiarum, in quibus frequenter ſunt multa loca obſcura, abſque dubio bene conſultum eſt, ut Miſſæ non in uulgari lingua, ſed in Latina celebrentur.

Probatur Concluſio, quam ſortitus eſt Articulus decimus, qua affirmatur, non abuſum, ſed laudandam utilemque conſuetudinem eſſe, certas Miſſas certis Sanctis tribuere. CAP. XXIII.

ET iſta concluſio etiam conſtans eſt, uera, atque omnibus perſpicua, qui ſciunt modum, intentionem, & finem, quo nos certas Miſſas certis Sanctis attribuimus. Non enim hoc facimus, quaſi ipſis ſanctis offeramus: ſoli nanque offerimus Deo, cui ſoli nouimus eſſe offerendum. Attribuimus autem certas Miſſas certis Sanctis, ut Deum laudemus in ſanctis ſuis, ut Deo gratias agamus de gratia, gloria, & coronatione ipſorum ſanctorum fratrum noſtrorum, ut ipſos ſanctos ſpecialiter aduocatos habeamus, & ut noſmetipſos ad eorum imitationem excitemus, in fide, ſpe, charitate, pœnitentia, obedientia-

que erga Deum optimum Maximum. In tali autem attributione, profectò nullus eſt abuſus: quin potius ea conſuetudo eſt laudabilis, & nobis ualde utilis. Optimè diuus Iob dixit, Reſpice iuſtum, & dicet, Peccaui. Vnde & nos iuxta hoc eius conſilium, ſanctos reſpicimus, ut dicamus, Peccaui.

Auguſt. lib. 20. cap. 21. Auguſtinus contra Fauſtum dixit, Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: Ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſsiſtens altari, aliquando dixit, Offero tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, ut ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem: & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adiuuante poſſumus. Eodem profectò modo, eademque intentione & nos nunc Miſſas ſacros ſanctis aliquando attribuimus.

Auguſt. lib 22. cap. 10. Idem Auguſtinus in De ciuitate Dei, Nos Martyribus noſtris non templa ſicut diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum uiuunt ſpiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum & noſtro ſacrificium immolamus. Ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſsione uicerunt, ſuo loco & ordine nominantur. Ipſum uerò ſacrificium corpus eſt Christi.

Auguſt. tract. 84. in 5. Ioã. Auguſt. iterum, Ideo ad menſam Domini, non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus; ſed magis, ut ipſi orent pro nobis, ut eorum ueſtigiis adhæreamus.

Ecce igitur, quibus cauſis, quibuſue rationibus memoriis ſanctorum fabricamus, & eos in ſacrificio peragendo ſuis locis ac ſuo ordine commemoramus, quibus etiam certas Miſſas attribuimus. Antiquiſsima eſt conſuetudo in Eccleſia Dei, & maxima cum deuotione obſeruanda. Orandus eſt enim Deus, per ſeipſum primùm, ſuam miſericordiam,

ricordiam, bonitatem, clementiam, uitam, paſsionem, mortem ac reſurrectionem: deinde & per ſanctos ſuos. Vnde, & inuocandi ſunt ſancti Dei, ut interceſſores, ut aduocati, ut adiutores pro nobis apud Deum; quemadmodum Apoſtolus Paulus frequenter petebat & monebat à ſanctis orationes fieri ad Deum, pro ſe ipſo Paulo, pro regibus, ac pro his, qui in ſublimitatibus ſunt conſtituti. Sicut etiam dum Petrus ſeruaretur in carcere, oratio fiebat ſine intermiſsione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Quod ſi Paulus, ſanctos huius uitæ interpellabat oratores & adiutores; quanto magis nos debemus interpellare ſanctos, tum iſtius uitæ adhuc laborioſæ, tum alterius iam beatæ? Exorabilis eſt enim Deus, & frequenter alios pro aliis admittit oratores. Immo etiam miſericordiæ amiciſsimus, miſericors, & miſerator, ſæpe quærit uirum, qui interponat ſe, orans & deprecans, ut eſt uidere apud Ezechielem, ubi ita habemus, Ezech. cap. 22. Et quæſiui de eis uirum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſsiparem eam: & non inueni. Et effudi, ſuper eos indignationem meam.

Sed & quod ſancti iam hac uita functi pro nobis orent, ſatis conſtat, tum ex multis aliis, quæ omnia narrare, eſſet longiſsimũ: tùm ex uiſione ſeu reuelatione Machabæi, quam ipſe habuit à Deo, dum eſſet in prælio cum Nicanore. Erat 2. Machabæ. 15. autem huiuſcemodi uiſus, Oniam qui fuerat ſummus ſacerdos, uirum bonũ & benignum, uerecundum uiſu, modeſtũ moribus, & eloquio decorum, & quia à puero in uirtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium uirum ætate & gloria mirabilem: & magni decoris habitudine circa illum. Reſpondentem uero Oniam dixiſſe, Hic eſt fratrum amator, & populi Iſraël: hic eſt qui multum orat pro populo & uniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei. Extendiſſe autem Ieremiam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem, Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſraël.

Maphæus Vegius Epiſcopus Laudenſis, in quodam hymno, quem in laudem ſanctæ Monicæ matris Auguſtini magni edidit, ita dixit, Terram colens ſi contulit, tantum can-

denti ſæculo: quid ni ſupra celſos polos eueċta, plus nunc conſerat, &c.

Non igitur applicamus certas Miſſas certis ſanċtis, ut eis ſacrificemus, aut ut eis hoc diuinum ſacrificium offeramus: quippe qui bene ſcimus, id quod à mille centum & tot annis uerè ac palàm dixit Auguſtinus tanquam omnibus notum, Sacrificium, cultus quidam eſt, ſoli Deo debitus. Et firmiſsima ſtat ſententia, dicens, Sacrificans diis, eradicabitur. Applicamus autem certas Miſſas certis ſanċtis, ut eos inuocemus, ut eos aduocatos habeamus, ut inter memorias ſanċtorum noſtras affeċtiones excitemus in affeċtionem & cultum Dei, qui eos ſanċtos fecit, utque pro ea re etiam modo quodam ſpeciali gratias agamus Deo, qui ſanċtos illos fratres noſtros prius iuſtos, & poſterius effecit beatos. Quemadmodum ob multas cauſas, multasque rationes optimas, inter celebrandum iſtud diuinum ſacrificium, memoriam facimus ſanċtorum, qui ab iſto ſæculo iam migrauerunt. Porrò quàm antiquum ſit, memoriam ſanċtorum in Miſſæ ſacrificio fieri, ſatis conſtat ex diċtis ſanċtorum patrum antiquorum, quæ ſequuntur.

Auguſt. De Ciui. Dei. lib. 10. cap. 4. tomo. 5.

DIONYSIVS Areopag.

cap. 3.

Dionyſius Areopag. in De Eccleſiaſtica Hierarchia, dicit, Sed & illud ſacratius intuere, quòd impoſitis ſanċto altari uenerabilibus ſignis, per quæ CHRISTVS ſignatur & ſumitur, adeſt protinus atque incunċtanter Sanċtorum deſcriptio, coniunċtionem eorum indiuiduam, unionemque cum illo altiſsimam & ſacratiſsimam indicans.

IOAN. Chryſoſt.

Hom. 21.

Ioannes Chryſoſt. ſuper Aċt. Apoſtolorum, dicit, Quid tibi uidetur quòd pro Martyribus offertur, quòd inuocantur in illa hora? Magnus honor nominari Domino præſente, dum mors illa celebratur, & horrendum ſacrificium, & ineffabilia ſacramenta.

AVGVSTINVS.

Auguſtinus ſuper Ioannem, dicit, Ideo ad menſam Domini, non ſic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis, ut ipſi orent pro nobis, ut eorũ ueſtigiis adhæreamus. tract. 84.

Idem Auctor in De uerbis Apoſtoli, Habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari. Hæc ille. Serm. 17.

Ergo ſicut ſanctos commemoramus in Miſſæ ſacrificio digniſsimo, ob multas cauſas iuſtiſsimas: ſic ob multas cauſas iuſtiſsimas, certis ſanctis certas Miſſas applicamus. Bene etiam notauit Auguſtinus in allegatis uerbis ſuis, Eccleſiaſticam diſciplinam habere, quòd Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, & commemorantur: ut ſignificaret omnibus, iſtam eſſe traditionem ſeu conſuetudinem antiquiſsimam & generalem.

Probatur Concluſio, quæ obtigit Articulo undecimo, qua citra dubium, citraque errorem aſſeritur, non eſſe tollendas cæremonias, ueſtes, nec amouenda ſigna externa, quibus Eccleſia in Miſſarum celebratione utitur: quin potius quenque hæc omnia laudibus, & obſeruantia proſequi debere. CAP. XXIIII.

ISta concluſio etiam poſſet probari ex multis, quæ credo omnia eſſe nota omnibus: de uaſis ſacris, ueſtibus, & cæremoniis ſanctiſſimo noſtro ſacrificio offerendo, utendis. Sic enim fuit ſemper in omnibus ſæculis, quæ fuerunt ante nos, ſub lege Moſis, & in lege naturali. Nanque Rebeca habebat apud ſe ueſtem Eſau filij ſui ualde bonam, qua ipſe maior natu, & ideo tunc ſacerdos, utebatur in miniſterio. Et Dominus ad Moſen dixit, Ecce, uocaui ex nomine Beſeleel filium Vri filij Hur de Geneſ. Exod. 31.

tribu Iuda, & impleui eum Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore & gemmis, & diuerſitate lignorum. Dedique ei ſocium Ooliab filium Achiſemach de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiã; ut faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis, & arcam teſtimonij, & propitiatorium quod ſuper eã eſt, & cuncta uaſa tabernaculi, menſamque, & uaſa eius, candelabrum puriſsimum cum uaſis ſuis, & altare thymiamatis & holocauſti, & omnia uaſa eorum, labium cum baſi ſua, ueſtes ſanctas in miniſterio Aaron ſacerdoti, & filiis eius, ut fungantur officio ſuo in ſacris. Infrà, Fecit ergo Baſeleel, & Ooliab, & omnis uir ſapiens, quibus dedit Dominus ſapientiam & intellectum, ut ſcirent fabreoperari, quæ in uſus ſanctuarij neceſſaria ſunt, & quæ præcepit Dominus, &c. Sic etiam nobis conuenit, qui frequenter per externa quæ uidemus, erigimur, rapimurque quodammodo in eorum conſiderationem interiorum altiſsimorumque, quæ contemplari debemus: quaſi manuducamur per ſenſibilia, ad intelligibilia: per externa, ad interna, per corporalia, ad ſpiritalia. Sic inſuper ſeruauerunt omnes patres noſtri, qui hæc uaſa ſacra, ueſtes, ac cæremonias inſtituerunt, & nobis ſuis poſteris cum omni obſeruantia reliquerunt.

Stephanvs Martyr.

in epiſto. ad Hila. riũ Epiſc. Stephanus Martyr dixit, Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultusque diuinus, omni cum honorificentia & honeſtate, à ſacerdotibus, reliquisque Eccleſiæ miniſtris celebretur, & ſacrata debent eſſe & honeſta. Quibus, aliis in uiſibus, (quum Deo, eiusque ſeruitio conſecrata & dedicata ſint) nemo debet frui, quàm Eccleſiaſticis & Deo dignis. Vixit iſte ſanctus glorioſus, anno Domini 250.

Optatvs Afer.

lib. 6. Optatus Epiſcopus dixit contra Donatiſtas, Quid eſt

tam ſacrilegum, quàm altaria Dei in quibus & uos aliquando obtuliſtis, frangere, radere, remouere? Quid enim eſt altare, niſi ſedes & corporis & ſanguinis CHRISTI? Hoc tamen immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, CHRISTI ſanguinis portatores, quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas. O' ſcelus nephariũ, ò facinus inauditum, auferre Deo, quod idolis præſtes, ſubducere CHRISTO, quod proficiat ſacrilegio. Vixit iſte Epiſcopus glorioſus, anno à CHRISTO nato 366.

HIERONYMVS.

Hieronymus dixit, In opere tuo utilitatem ſpectauimus Eccleſiarum, ut diſcant qui ignorant, eruditi teſtimoniis ſcipturarum, qua debeant ueneratione ſancta ſuſcipere, & altaris CHRISTI miniſterio deſeruire, ſacroſque calices, & ſancta uelamina, &c. quæ ad cultum Dominicæ pertinent paſsionis, non quaſi inania, & ſenſu carentia, ſactimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis & ſanguinis Domini, eadem, qua corpus eius & ſanguis, maieſtate ueneranda. Hæc ille, magnus Hieronymus, ubique terrarum, ſanctitate & eruditione notiſsimus. Viuebat autem Hieronymus, anno, à Virgineo partu 408. epiſto. ad Theophilũ Epiſc. Alexãdrinum.

Concilium Remenſe.

Concilium Remenſe. Nullus Presbyter abſque amictu, alba, & ſtola, & fauone, & caſula, ullatenus præſumat Miſſam celebrare. Idem concilium, Obſeruandum eſt ut menſa CHRISTI, id eſt, altare ubi corpus dominicum conſecratur, ubi ſanguis eius hauritur, ubi ſanctorum reliquiæ reconduntur, ubi uota & preces populi in conſpectu Dei à ſacerdote offeruntur, cum omni ueneratione honoretur, & mundiſsimis linteis & palliis diligentiſsimè cooperiatur; nihilque ſuper illud ponatur niſi capſæ cum ſanctorum reliquiis & quatuor Euangelia. Expleta Miſſa, calix cum patena, & ſacramentorum liber, cum ueſtibus ſacerdotalibus in mundo loco ſub ſera recondantur.

Burchardus Epiſc. lib. 2. cap. 50.

Burchar. lib. 3. cap. 97.

D. Thomas.

part.3. qõ.83. S. Thomas agit de multis, quæ obſeruantur in celebratione huius diuini ſacrificij, & facilè poſſunt uideri omnia apud Ibid. art.2. ipſum. Vbi determinat, quòd conuenienter ſit determinatum tempus celebrationis. Ibid. art.3. Vbi determinat, quòd oporteat hoc ſacramentum celebrari in Domo & uaſis ſacris. Ibid. art.4. Vbi determinat, quòd conuenienter ordinetur ea quæ circa hoc ſacramentum dicuntur. Ibid. art.5. Vbi determinat, quòd ea quæ in celebratione huius ſacramenti aguntur, ſunt conuenientia.

Petrvs à Palude.

Petrus à Palude fatetur, ſacerdoti ad celebrandum neceſſarias eſſe ſex ueſtes benedictas, neceſsitate præcepti: ſcilicet albam, cingulum, amictum, manipulum, ſtolam, caſulam: & concordant omnes doctores catholici, traditiones ſanctæ matris Eccleſiæ, ſicut par eſt, iuſtum, & debitum, plurimum uenerantes.

De Cu. Euchari. cap.2. Vaſa etiam ſacra, præcipiuntur ſeruari munda, & oratoria, corporalia ueſtimenta miniſtrorum, & pallæ altaris. Silueſter. uerbo, uaſa ſacra. Et infert Silueſter de Prierio, quòd mortaliter peccant, qui illa tenent immunda, ac ſi eſſent pro ſeruitio ruſticorũ.

Ioan. Driedonius.

lib.4. par.4. cap.5. Ante nonnullos annos Ioannes Dried. in de Dogmatibus uariis, & lib. Apochry. oſtendit quòd ſecundum antiquum Eccleſiæ morem, uaſa, & ueſtimenta deputata ad uſum in Sixtus. officio Miſſæ, ſolent conſecrari; adduxitq́; Sixtum Papam, Origen. Origenem Homil. 11. ſuper Leuit. & ſententiam Auguſt. ſuper Pſal. 113. Quibus addere poſſumus mandatum Anacleti, Anacle. Epiſt.1. & præclarum eius teſtimonium. Ipſe enim manifeſtè aſſerit, debere miniſtros adſtare Epiſcopo celebranti, ſacris indutos ueſtimentis. Vnde uidemus hunc ritum ſacrorum ueſtimentorum quoad miniſtros Eccleſiæ, & eo tempore quo

in celebratione Miſſarum ſeruiunt, iuſtum eſſe, habereque antiquitatem, pietatem, & ſanctitatem.

Sixtus Papa, ſextus à beato Petro, In hac ſancta ſede Apoſtolica à nobis & reliquis Epiſcopis, cæteriſque Domini Sacerdotibus ſtatutum eſt, ut ſacra uaſa nō ab aliis quàm à ſacratis; Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim ualde eſt, ut ſacra Domini uaſa, quæcunque ſint, humanis uſibus ſeruiant, aut ab aliis, quàm à Domino famulantibus, eique dicatis tractentur uiris. Sixtus. epiſt. 2.

Stephanus Papa ad Hilarium ſcribens, ait, Veſtimenta eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia & honeſtate à ſacerdotibus, reliquiſque miniſtris celebratur, & ſacra debent eſſe & honeſta; quibus aliis in uſibus, cùm Deo eiusque ſeruitio conſecrata & dedicata ſint, nemo debet frui, quàm eccleſiaſticis & Deo dignis officiis; quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, niſi à ſacratis hominibus: ne ultio quæ Baltaſſar Regem percuſsit, ſuper hæc tranſgredientes & talia præſumentes, ueniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ ultionis iuſtum flagellum ad ima. Stephan. Papa. Dan. 5.

Hierony. ad Theophilum Alexandrinum Epiſcopum, Diſcant qui ignorant, eruditi teſtimoniis ſcripturarum, qua debeant ueneratione ſancta ſuſcipere, & altaris CHRISTI miniſterio deſeruire, ſacroſque calices & ſancta uelamina, & cætera, quæ ad cultum dominicæ Paſsionis pertinent, non quaſi inanima & ſenſu carentia ſanctimoniam non habere, ſed ex conſortio corporis, & ſanguinis Domini eadē, qua corpus eius & ſanguis, maieſtate ueneranda. Hierony. Hæc epiſto. eſt in lib. eius Paſchalibus.

Gregorius Nazianz. in Apologetico, Ne ipſa quidem indumenta ſacerdotalia, uel miniſterij uaſa, cuilibet contingere ſaltem, aut contrectare fas eſt, &c. Quis autem non uidet, quàm antiquus, aut quàm doctus, aut quantum audiendus ſit hic Grego. in re huiuſmodi? Grego. Naziāz.

Soter etiam, & ipſe antiquiſsimus, in epiſt. ad Epiſcopos Italiæ, eàdem commendauit doctrinam de ueſtimentis eccleſiaſticis, quam paulò ante poſuimus ex Stephano Papa; ut ſacrata debeant eſſe & honeſta, &c. Soter epiſt. 2.

Ea probatur Concluſio, quæ Articulo duodecimo aſcripta fuit; qua rectè affirmatur, Christum pro nobis myſticè immolari, non eſſe idem quòd nobis ad manducandum dari; quin potius immolationem, actionem eſſe ſeiunctam à manducatione, & ab ipſa porrectione, qua nobis manducandum porrigitur ſacramentum. CAP. XXV.

SIc nota eſt iſta concluſio, ut ad eius plenam abſolutamque probationem, præter ſolam ſuorum terminorum declarationem & notitiam, nihil prorſus ſit neceſſarium.

His enim cognitis, ſcilicet quid ſit, Christi pro nobis myſtica immolatio? quid ſit, Christum pro nobis myſticè immolari? quid Christi nobis ad manducandum datio? quid Christum nobis ad manducandum dari? ſtatim notum erit eo ipſo, quod, Christum pro nobis myſticè immolari, non eſt idem quòd nobis ad manducandum dari. Immolatio enim Christi poteſt accipi actiuè, aut paſsiuè: quia ſignificatur ut habitudo ſeu actus inter offerentem & rem ipſam oblatam, tanquam inter agens & rem quæ per actionem illam offerendi, ponitur in aliquo eſſe, ideſt, ineſſe oblato. Vnde ſi intelligitur prout eſt ab offerente, eſt actio: ſi autem intelligitur prout eſt in oblato, eſt paſsio uel quaſi paſsio. Simile eſt uel omnino idem, de datione Christi ad manducandum.

Non eſt iſta contemplatio noua, ſed antiquiſsima, quam Ariſtoteles tanquam communiſsimam & ueriſsimam in ſuis De Phyſico auditu, tradidit.

Ariſto. in ſuis Phyſicis. lib. 3.

Si igitur oblatio conſideratur ut eſt ab offerente, tanquam à quodam modo agente, eſt actio; neque unquam aliquis negauit, eum qui offert, in eo quòd offert, aliquid agere, Agit enim. Et ſic nos ſolemus dicere de ſacerdote offerente, Facit ſacrum. Rurſus illa oblatio prout eſt actio, ſolum reſpicit rem oblatam, in qua reſpondet alius reſpectus: præterquàm quòd ipſe offerens in ipſa actione offerendi intendit Deum finem ultimum in quem ultimatè refert

fert

fert ſuum actum. Simili modo dicendum eſt, de datione, qua ſacerdos dat corpus CHRISTI alicui ad manducandum. Eſt autem differentia grauiſsima, quam nullus poteſt non uidere. Quia cùm oblatio illa actiua terminetur tota ad rem oblatam immediatè & directè, quantum poteſt fieri in tali materia, ut conſtat ex dictis: datio tamen actiua non ita ſe habet, ſed reſpicit rem ſeu perſonam cui fit datio. Vt quidem oblatio actiua ſit actio conſtitutiua alicuius in eſſe oblato: datio autem actiua ſit actio, qua utimur ipſa re oblata, dando illam alicui. Vnde datio ipſa pertinet ad uſum ipſius rei oblatæ, eſtque poſterior ipſa oblatione, tempore, uel natura: & quia de facto ſeparari poterant, factum eſt ne ſeparentur. Ita enim determinatum habemus, Certum eſt, quòd hi qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Domini ſacramenti. Refertur enim quòd quidam conſecrantes non communicabant. De conſecra. diſtinct. 2. c. Relatū.

Olim quidam ita diſtinguebant, In celebratione duo ſunt, conſecratio & communicatio, quæ etiam ſeparari poſſunt, quamuis non debeant. Addentes, quòd conſecratio eſt propter communionem: & quaſi communio ex eo quid maius ſit quàm conſecratio. Reſpondebat Alexander de Ales, quòd & ſi communio ſacra ſit maior in effectu ſanctitatis & gratiæ, quam confert dignè ſuſcipienti: conſecratio tamen eſt maior in excellentia, ſiue auctoritate poteſtatis. Vnde magnitudo hæc & illa non ſunt eiuſdem generis, & ita nec magis nec minus. Gabriel Biel poſt Alexandrum, idem docuit omnino ſuper Canonem Miſſæ, quod ipſe Alex. Itaque ſemper fuit cognitum omnibus, qui de hac re habuerunt conſiderationem, quòd in celebratione ea duo ſunt diſtincta, conſecratio, & communicatio: quodque illud primum pertinet ad omnes & ſolos ſacerdotes, & hoc ſecundum pertinet ad omnes & ſolos fideles capaces. Alex. de Ales. Gabriel. lect. 5.

Eadem Theologia eſt de immolatione, qua CHRISTVS immolatur, & de datione, qua CHRISTVS nobis ad manducandum datur: quia profectò duo ſunt illa paſsiua, ſicut duo ſunt hæc actiua, immolatio, qua ſacerdotes CHRISTVM immolamus, & datio, qua ſacerdotes CHRISTVM ad manducandum alicui damus. Duo ſunt illa in ſe, ſacerdotem,

ſacramentum conſecrare, & Christvm in ſacramento alicui communicare, ut omnes concedimus: ita duo ſunt illa, ſacerdotem, Christvm immolare, & Christvm in ſacramento alicui manducandum tradere, ut omnes concedere debemus.

Ruardus. art. 16. tom. 2. S. Tho. par. 3. q6 80. art. 12. ad tertiũ arg. q6. 82. art. 4. ad primũ arg. Dominicus Soto. diſt. 13. q6. 2. art. 1.

Vt iam diximus in ſuperioribus, Ruardus Tapper ita legit doctrinam S. Thomæ, ut credat & aſſerat, quòd ſecundum S. Thomam, ſacrificatio conſiſtit in conſecratione & confectione ſacramenti. Vnde in celebratione notat tria, ut primùm ſit ſacrificatio, conſecratio, aut ſacramenti con fectio, ſecundò ſit oblatio, deinde ſacrificatæ & oblatæ car nis manducatio.

Magiſter Dominicus Soto, ita mouet quæſtionem in ſuo quarto lib. ſententiarum, Nunquid in ſola oblatione tota ratio ſacrificij poſita eſt? Reſpondet, dicens, Non prorſus. Nam cùm id, quod offertur ſit corpus & ſanguis, ſit ut eorum conſecratio, quæ ut offerantur fit, ſic ſit forma ſacramenti, ut pariter ad ſacrificium pertineat. Quare prius fit oblatio materiæ conſecrandæ, dum dicitur, Suſcipe Domine ſanctæ Pater hanc oblationem, &c. Deinde ſupplices rogamus, uti accepta habeat & benedicat noſtra ſacrificia illibata. Et tandem poſt conſecrationem memores paſsionis, aliorumque beneficiorum, offerimus hoſtiam puram, ſanctam, &c. Quin & ſumptio corporis & ſanguinis potiſsimùm ad ſacrificium attinet. Illhic enim ratio immolationis perficitur: immolatio nanque idem eſt, quod ſacrificatio: nempe animalis occiſiò, à mola, ideſt farre, quo uictima inſpergebatur. Mors autem Christi non repræſentatur in conſecratione, immo conſecratur, ut immoletur, dũ conſumitur; nam illa eſt mortis & ſepulturæ Christi effigies. Et in ſumptione ſanguinis adhibetur imago effuſionis eius. Quo circa ſi poſt conſecrationem ſacerdos ſacramenta non ſumeret, ſacrificium relinqueretur truncũ, & imperfectum, nec effectum ſacrificij plenum haberet. Ob idque, ſcilicet quia ſumptio utriuſque formæ ad eſſentiam ſacrificij attinet, tantæ fuit curæ Eccleſiæ, ut nũquam ſacerdos conſecraret, quin utranque ſumeret. Hæc ille.

Ecce, quæ doctores catholici de hac re ſacratiſsima ex-

pſicant. Siue autem uerum ſit quod dicit Ruardus, oblationem eſſe poſt ſacrificationem, ſiue non: ſiue uerum ſit quod magiſter Dominicus dicit, ſumptionem utriuſque formæ ad eſſentiam ſacrificij attinere; ſiue non: In eo tamen, tanquam à manifeſta ueritate coacti, omnes conueniunt, quod ſumptio eſt quid diſtinctum ab ipſa conſecratione, & oblatione. Vnde & ſi ſumptio dicatur eſſe pars ſacrificij ſeu immolationis, eſſentialis aut integralis, ut dicit Dominicus Soto: non tamen ſequitur quòd idem ſit CHRISTVM immolari, & CHRISTVM ad manducandum dari. Quinimmo ſequitur ea eſſe diſtincta, ſicut omnis pars eſſentialis ſeu integralis & ſuum totum diſtinguuntur ſemper, ſine ulla inſtantia. Omne enim totum eſt maius ſua parte, & diſtinguitur ab illa.

Quantùm autem pertinet ad eam quæſtionem de ſacrificio, quæ poteſt moueri inter Ruardum & Dominicum, An uidelicet ſumptio ſit pars eſſentialis eius? poteſt uideri
S.Thomas in locis allegatis, & inſuper ubi agit de eo, quòd S.Tho.
conuenienter ordinentur ea, quæ circa hoc ſacramentum di- par.3.
cuntur. Ibi enim poſt conſecrationem per uerba Saluatoris, qō.83.
reputat hoc ſacrificium peractum. Sicut alibi dixerat, quòd art.4. Ibid.
repræſentatio Dominicæ paſsionis agitur in ipſa conſecra- qō.80.
tione huius ſacramenti. Et alibi, quòd conſecratio Eucha- art.12.
riſtiæ, eſt ſacrificium. Fatetur enim, quòd cōſecratio chriſ- ad tertiū arg.
matis uel cuiuſcunque alterius materiæ, non eſt ſacrificium, Ibid.
ſicut conſecratio Euchariſtiæ. qō.82.

His, quæ dicta ſunt & hæc addideris. Si terminos ipſos art.4.
inſpiciamus, ſeu uocabula, certum eſt uerbum, Immolo, ad primū arg.
id ſignificare, quod uerbum, Sacrifico: niſi quòd uerbum,
immolo, tractum eſt à conſuetudine ſacrificantium, qui Quid ſignificet
uictimis iam mactandis, molam ſalſam ſolebant inſper- uerbum,
gere. Feſtus, Immolare, eſt mola, ideſt, farre mollito, & ſale hoſtiam fuſam ſacrificare. Verbum autem, ſa- Immolo.
crifico, id ſignificat, quod, Sacrum facio. Niſi quòd in- Quid ſignificet
terdum, idem eſt, ſacrifico, quod, ueniam peto: & idem uerbum,
eſt, lito, quod, ueniam impetro. Rurſus, certum eſt, at- Sacrifico.
que certiſsimum, quod dicit Apoſt. Quotieſcunque enim 1.Cor.11
mādùcabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Do-

mini annunciabitis donec ueniat. Vnde non dubium, quin noſtra manducatio ſacræ Euchariſtiæ, quoddam ſit mortis Domini ſignum, & quædam repræſentatio, imago quadã, & quoddam ſymbolum: quo fit, ut cùm mors Christi fuerit per immolationem, oblationem, atque ſacrificationem, & imagines rerum frequenter eiſdem nominibus appellentur, quibus nominantur ipſæ res quarum ſunt imagines: ipſa noſtra Christi in ſacramẽto manducatio, poſsit quodammodo dici Christi immolatio. Eſt enim ibi aliqua imago mortis rei immolatæ: quia eſt ibi imago mortis Christi, pro nobis immolati: quamuis tamen non ſit ibi propriè aut formaliter imago Christi immolati, aut eius immolationis, ut conſtat ex dictis ad ſecundam concluſionem primi articuli, ſed potius ueſtigium quoddam tantum modò, & quaſi per argumentum rememoratio. Secundum hanc piam & ueram conſiderationem, manifeſtè dixit Auguſt. Dum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice effunditur; quid aliud quã dominici corporis immolatio, & eiuſdem ſanguinis de latere effuſio deſignatur? Ita ergo dum in ſacramento corpus Christi manducamus, aut ſanguinem eius bibimus, ibi corporis eius immolationem, aut ſanguinis de latere ipſius effuſionem deſignamus.

Mãducatio Euchariſtiæ ſignificat Chriſti mortem.

Manducatio Euch. dicit quodãmodo ĩmolatio Chriſti.

Auguſt. libro ſen. Proſperi. De conſecra. diſtinct. 2. c. Cũ frãgitur.

Abſit autem ut dicamus, Christvm pro nobis immolari aut ſacrificari, nihil aliud eſſe, quàm nobis Christvm ad manducandum dari. Nanque ſicut actiuè loquendo, alia eſt actio, immolare ſeu ſacrificare, & alia eſt actio, de immolatis ſeu ſacrificatis manducare: ſic paſsiuè conſiderando, aliud eſt immolari, ſeu ſacrificari, & aliud eſt immolatum ſeu ſacrificatum manducari. Simili modo, alia eſt actio, qua aliquis immolat uel ſacrificat, & alia eſt actio, qua ipſe qui immolauit uel ſacrificauit, de immolato aut ſacrificato aliquid cuipiam alteri præſtat manducandũ, aut ipſe manducat. Per conſequens uerò paſsiuè agendo, aliud eſt, Christvm pro nobis immolari, ſeu ſacrificari: & aliud eſt, Christvm nobis ad manducandum dari. Vnde falsò aiunt, qui dicunt, non eſſe aliud Christvm pro nobis immolari, quàm Christvm nobis ad manducandum præſtari: diſtinctæ enim paſsiones ſunt, aut certè ut diſtinctæ paſsiones ſi-

Alia actio eſt, immolare, & alia actio eſt, de immolatis mãducare.

gnificantur, ut conſtat omnibus. Quòd autem alia ſit & alia fuit ſemper actio immolationis, atque alia actio manducationis, de immolato; non poteſt ullo modo eſſe dubium: notum nanque fit ſtatim, uolentibus conſiderare ipſarum actionum principia, & terminos, & tempora. Non enim ſolùm alia eſt actio immolationis, ab actione manducationis; ſed profectò prius tempore eſt immolatio, quàm ſit de immolatis manducatio. Nec eſt plenè intelligibile, nedum plenè poſsibile, ut quis de immolatis manducet, niſi poſt immolationem peractam. Quandoquidem non eſt immolatum niſi per immolationem; neque aliquid dicitur per immolationem immolatum, niſi peracta immolatione. Nam durante immolatione, non eſt immolata ſua uictima, ſeu hoſtia, ſed immolatur: quemadmodum durante ædificatione, non eſt ædificium factum, ſed fit. Quamobrem nemo poteſt incipere manducationem de immolatis, niſi peracta immolatione: & ſic neceſſe eſt, ut aliud tempus, & prius ſit immolationis, à tempore manducationis. Quòd ſi immolatio in inſtanti fiat: adhuc illa debet eſſe ſaltem natura, prior manducatione. Conſtant hæc omnia per ſe. Ita in ueteri teſtamento non edebant ſacerdotes de immolatis, dum eis de illis edere licebat, niſi poſt factam immolationem: ut alia eſſet actio immolatio, alia de immolatis manducatio. Idem & de laicis, dum offerebant hoſtias pacificas de animalibus; de quorum carnibus accipiebant partem eam, quæ erat offerentium. Nota ſunt hæc ex Leuitico. Ita etiam in cœna nouiſsima factum eſt. Nam prius Saluator noſter accepit panem, benedixit, fregit, obtulit, immolauit, & ſacrificauit ſeipſum ſub ſpeciebus panis: poſtea Matth.26
ſumpſit ipſe, ac dedit duodecim diſcipulis ſuis manducandum; ut omnia iam oſtenſa ſunt. Hunc ordinem & nos ſeruamus exemplo Christi ita facientis; atque præcepto eius ita dicentis, Hoc facite in meam commemorationem. Accipimus panem, benedicimus, conſecramus, offerimus, immolamus, ſacrificamuſque uerum Christi corpus ſub ſpeciebus panis; ſumimus, & aliis communicare uolentibus damus. Mar.14. Lucæ 22.

Seruari autem hunc ritum & hunc ordinem in noſtra re-

ligione Chriſtiana quoad ſacram Euchariſtiam, ut prior ſit eius oblatio, quàm noſtra ipſius manducatio, iam ſatis probatum eſſe arbitror: prior, inquam, oblatio, prior immolatio, prior ſacrificatio. Et ut etiam iam ſuperius tetigi-
1.Cor.10 mus, hoc palàm ſignificauit Apoſtolus ad Corinthios, ubi communionem, qua nos ſacram Euchariſtiam de menſa Domini communicamus, comparauit communioni, qua Iſraëlitæ ſecundum carnem communicant hoſtias ſuas de altari ſuo, & communioni, qua Gentiles idololatræ communicant immolata ſimulachrorum de menſa dæmoniorum. Non quòd noſtra communio ſit mala, ſicut illa communio illorum: ſed quia noſtra communio eſt de immolatis noſtro Deo uero, & in altari menſaque ſua ſibi accepta, ut communiones Iſraëlitarum ſecundum carnem, & Gentilium ſunt de immolatis diis eorum in ſuis altaribus & men-
1.Cor.10 ſis. Verba Apoſtoli ſunt, calix benedictionis, cui benedicimus, non'ne communicatio ſanguinis Christi eſt? Et panis, quem frangimus, non'ne participatio corporis Domini eſt? Quoniam unus panis, & unum corpus multi ſumus: omnes quidem de uno pane, & de uno calice participamus: Videte Iſraël ſecundum carnem. Non'ne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum, ſit aliquid? aut quòd idolum, ſit aliquid? Sed quòd quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem uos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Ecce Apoſtolus comparat noſtram communionem illorum communioni: non in bonitate, nec in ueritate: quia noſtra eſt bona, & aliorum mala: noſtra eſt uera, & aliorum eſt falſa. In quo ergo? In aliis. In quibus? Primùm in eo, quòd ſicut illa communio aliorum, eſt de immolatis: ſic & noſtra eſt de immolatis. Ad hoc enim in utriſque memorat menſam, altare. Secundò in eo: quòd utraque communio facit eos unum quodammodo, qui de eodem altari ſeu menſa edunt, aut bibunt. Qui enim edunt hoſtias, participes ſunt altaris: & ſic, quodammodo unum. Ergo ſicut in illis menſis alienis, quibus noſtra comparatur, immo

latio præcedit manducationem: ita & in noſtra menſa.

Si autem aliquis uel gratia diſputationis, uel cauſa proteruiæ dixerit, hanc demonſtrationem non demonſtrare: eo uidelicet, quòd tota doctrina Apoſtoli, quam ibi intendebat, poſsit ſtare, ſaluari & declarari abſque eo, quòd noſtra Euchariſtia immoletur, aut CHRISTVS Dominus in illa ſacrificetur, Reſpondemus, Qui ita audere uolunt, aut ita audent, abeant. Nos enim nec ita audere uolumus, ita audemus, ut talia dicamus. Volumus enim & ita oportet, ſaluare comparationem Apoſtoli, in maxima ſimilitudine poſsibili. Quamobrem, cùm Apoſtolus comparaſſet noſtram communionem, communioni de immolatis, & noſtram menſam Domini, menſæ in qua immolatur; ut hæc comparatio ſimilitudinis magis particeps ſit, opus eſt confiteri, noſtram communionem etiam eſſe de immolatis, & noſtram menſam Domini, eſſe etiam in qua immolatur. Alioquin deficeret multum comparatio. Et quantum deficeret à ſimilitudine, tantum deficeret à probatione, ſeu declaratione. Addimus his noſtram fidem, qua firmiter credimus Apoſtolum, non ita inopia exemplorum laboraſſe, ut probaſſet proprietatem noſtræ menſæ, ſi illa non eſſet immolatorum, per proprietatem menſæ immolatorum: tum quia potuiſſet ſine dubio alia allegare exempla, in quibus non eſſent immolata: tum quia probando eam proprietatem noſtræ menſæ, ſi illa non eſſet immolatorum, per proprietatem menſæ immolatorum, infirmabat ſine dubio ſuam probationem. Diceret nanque proteruus quiuis, quòd & ſi menſa immolatorum, eam proprietatem haberet, ut participantes de ea unum efficeret: hoc tamen non habet menſa, quæ immolatorum non eſt. Vnde oporteret tunc Apoſtolum quærere aliud medium, ex quo ſuam doctrinam probaret, aut declararet. Quia igitur Apoſtolus, doctor gentium doctiſsimus, procedebat doctiſsimè, non per ſimilitudines ita diſsimiles, ut omnino uideantur alienæ: ſed per ſimilitudines ex magna parte ſimiles: certa fide tenendum eſt, ipſum cognouiſſe, idque in hoc exemplo ſatis oſtendiſſe, noſtram menſam Domini ex qua ſacram Euchariſtiam accipimus, eſſe immolatitiam: id eſt, habere immolata;

immolatum corpus Domini, immolatumque eius ſanguinem, ſub ſpeciebus panis & uini.

Ergo manducatio CHRISTI immolati, præſupponit CHRISTI immolationem: & non eſt propriè idem. Manducatio ſpiritalis, qua per fidem, ſpem, & charitatem manducamus ſpiritaliter CHRISTVM immolatum, præſupponit CHRISTI immolationem in cruce. Manducatio autem corporalis, qua per ſacram Euchariſtiã manducamus corporaliter CHRISTVM, præſupponit CHRISTI immolationem in noſtro altari, & in noſtra menſa. Non ſunt ergo idem, propriè loquendo, CHRISTVM immolari, & CHRISTVM nobis ad manducandum dari. Crux CHRISTI teſtis eſt; teſtis etiam & noſtra menſa, noſtrumque altare Euchariſticum, de quo hoſtiam accipimus. Quòd manducatio ſpiritalis qua ſpiritaliter manducamus CHRISTVM immolatum, præſupponat immolationem CHRISTI in cruce, per ſe cõſtat, omnes confitemur, & nemini eſt dubium. An ante crucem non manducabant uiri iuſti CHRISTVM ipſum Dominum noſtrum, ſpiritaliter? Immo utique manducabant eodem modo per fidem, ſpem, charitatem. Non manducabant autem tunc CHRISTVM immolatum, ſed manducabant CHRISTVM immolandum: ſicut tunc non erat CHRISTVS immolatus, ſed quidem erat CHRISTVS immolandus. Nos autem modò loquimur non de manducatione ſpiritali CHRISTI immolandi, ſed de manducatione ſpiritali CHRISTI immolati. Cæterùm quòd manducatio corporalis, qua proprium CHRISTI corpus per Euchariſtiam manducamus, præſupponit ipſius CHRISTI immolationem in eadem Euchariſtia: hoc eſt de quo agimus, hoc eſt quod oſtendimus. Huius ueritatis Catholicæ teſtes ſunt noſtrum altare, noſtraque menſa dominica, de qua noſtram hanc hoſtiam edimus, uerba Domini ſuperius allegata, & ea tam multa tamque præclara ſanctorum patrum teſtimonia ſuperius adducta. Qui habet aures audiendi, audiat. Qui habet oculos uidendi, uideat.

Fulcitur probationibus, obfirmaturque Concluſio nouiſſima, quæ decimo tertio Articulo adſcripta fuit, qua dicitur, Miſſam non eſſe tantùm ſacrificium laudis & gratiarum actionis, ſed etiam eſſe ſacrificium propitiationis, tam pro uiuis quàm pro defunctis. CAP. XXVI.

OStenſa eſt iam ſatis ueritas huius concluſionis ex præcedentibus, & in illis. Vt autem pateat abundantius, placet teſtimonia antiquorum afferre, quantum pertinet ad ualorem & efficaciã huius mirabilis atque amabilis ſacrificij quoad animas defunctorum. Nanque ſi defunctis prodeſt pro illis oblatum, nullum poteſt manere dubium, an proſit etiam uiuis oblatum pro ipſis. Et rurſus ſi prodeſt uiuis ac mortuis ad liberationem ac expiationem, ſine dubio eſt propitiationis. Audiamus ergo antiquos, hac de re diſſerentes.

CYPRIANVS.

Cyprianus Martyr dicit, Scriptum eſt enim, Nemo militans Deo, implicat ſe moleſtiis ſæcularibus, ut poſsit placere cui ſe probauit. Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religiosè conſiderantes, & ſalubriter prouidentes, cenſuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam uel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, nõ offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros ſuos Leuitas auocare uoluit. Et ideo Victor cum contra formam nuper in concilio à ſacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum, Preſbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quòd pro dormitione eius apud uos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur: ut ſacerdotum decretum religiosè & neceſſariè factum ſeruetur à nobis. Lib. 1. epiſt. 9.

ATHANASIVS.

lib. de uariis quæſtionibus q6 34. Athanaſius Epiſcopus quæſiuit, Quid ergo? Num ſentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cum ſuper illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum, & oblationum? Reſpondit autem, dicens, ſi non aliquo beneficio participarent ex illo, non utique in cura & exequiis fieret commemoratio. At ſicut uitis floreſcit extra in agro, & odorem eius ſentit in uaſe uinum recluſum, ſicque confloreſcit etiam ipſum; ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipſis facta, ſicut ſolus ordinat & præcipit, qui uiuorum & mortuorũ poteſtatẽ gerit Deus noſter.

IOAN. Chryſoſt.

Hom. 21. Ioannes Chryſoſt. in Act. Apoſtolorum, Eſt ſi uoluerimus, illi (mortuo) leue facere ſupplicium. Itaque ſi preces pro illo faciamus continuas, ſi eleemoſynas demus, & ſi ille indignus ſit, nobis Deus placatior erit. Si propter paulùm alios ſeruauit, & propter alios aliis parcit, quomodo non & propter nos iſtuc ipſum faciet? Non habet eas quæ factæ ſunt à ſe, ſed habet factas pro ſe. Itaque cum fiducia illum deprecabitur, tum uxor, precium redemptionis pro illo deponens: quo pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus eſt illi eleemoſyna. Infrà, Et hoc dogma diuinæ miſericordiæ. Multas nobis Deus ſalutis dedit uias. Non fruſtrà oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtrà preces, non fruſtrà eleemoſynæ. Hæc omnia Spiritus diſpoſuit uolens ut nos mutuum iuuemus. Ne dubita, quia erit aliquis fructus ſuauis. Non temere Diaconus clamat, pro his qui defuncti ſunt in CHRISTO, & pro his qui illorum memoriam faciunt. Sicut enim ſedente rege quæcunque quis uoluerit perficit: ubi ſurrexit, quæcunque dicit, fruſtrà dicit: ita & tunc quandiu propoſita fuerint myſteria, omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim, Annuntiatur tunc ſacramẽtum horrendum, quod pro mun-

do dedit ſeipſum Deus, cum illo miraculo tempeſtiuè memor eſt ille eorum qui peccarunt.

Idem auctor ſuper Epiſtolam primam Apoſtoli ad Corinthios, Nitique quantum fieri poteſt, ut iuuetur (defunctus) non lacrymis, ſed prece, ſupplicationibus, eleemoſynis, oblationibus. Non eſt temere hoc excogitatum, nec fruſtrà memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, aut accedimus pro iſtis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes, ſed ut his conſolatio aliqua fiat. Nec temere qui altari aſsiſtit, inter horrenda myſteria clamat, pro omnibus in CHRISTO dormientibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquam iſta fiant, neque hæc dicantur, ſi pro illis commemorationes non fierent. Neque enim ſcœna iam amplius noſtra ſunt, ſed Spiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, memoriam pro ipſis faciamus. Nam ſi Iob illius liberos patris uictima purgauit, quid dubites, è nobis quoque ſi pro dormientibus offeramus, ſolatij quiddam illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios aliis ſolet, quod Paulus hîc oſtendit. Vt ex multis, inquit, perſonis, pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro uobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo, communis totius Orbis uictima preces ſunt. Hinc pleni fiducia, pro toto etiam Orbe ſupplicamus, inter Martyres, inter Confeſſores, inter Sacerdotes, mortuos recenſemus. Vnum enim corpus, omnes ſumus. Hom. 41.

Idem auctor in Epiſtola ad Philippenſes, Defleamus iſtos iuuemus eos pro uiribus. Infrà, Non fruſtrà ab Apoſtolo ſancitum eſt, ut in celebratione uenerandorum myſteriorum memoria fiat eorum qui hinc diſceſſerunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. Stante ſiquidem uniuerſo populo, manus in cœlos extendente, cœtu item ſacerdotali, uerendoque poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? Verum iſtud quidem de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt. Serm. 3.

Idem auctor ad populum Antiochænum, Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis de- Hom. 69.

functorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contigere lucrum, utilitatem multam. Cùm enim totus conſtiterit populus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro illis deprecantes? Sed hoc quidem de his qui cum fide migrarunt.

AVGVSTINVS.

August. Serm.3. Auguſtinus, quem etiam iam ſuperius ad eandem ueritatem commemorauimus, ita dicit in De uerbis Apoſtoli, Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis miſericordius agatur, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum, uniuerſa obſeruat Eccleſia, ut pro eis qui in corporis & ſanguinis CHRISTI communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorâtur, oretur ac pro illis quoque id offerri commemoretur.

lib.10. cap.9. Idem auctor in De Ciuitate Dei, Neque piorum animæ mortuorum ſeparantur ab Eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum CHRISTI. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis CHRISTI. Cur enim fiunt iſta, niſi quia fideles etiam defuncti, mẽbra eius ſunt?

lib.9. cap.12. Idem in Confeſsionibus, Cùm corpus matris meæ elatũ eſt, imus, & redimus ſine lacrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea ſacrificium precij noſtri, iam iuxta ſepulchrum poſito cadauere, ſicut illhic fieri ſolet, nec in eis precibus ego fleui. Infrà, Immilib. eod. cap.13. nente die reſolutionis ſuæ, non cogitauit ſuum corpus ſumptuosè contegi, ſed tantummodò memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei præter miſsione ſeruierat; unde ſciret diſpenſari uictimam ſanctam, qua deletum eſt chirographũm, quod erat contrarium nobis.

cap.1. Idem auctor in De cura pro mortuis habenda, In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed & ſi nuſquam in ſcripturis ueteribus omnino legeretur, non parua tamen eſt uniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetu-

dine claret, auctoritas: ubi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiã commendatio mortuorum.

Idem auctor in Enchirid. Neque negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum uiuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur. cap. 110.

Epiphanivs.

Epiphanius dicit, In his qui uita defuncti ſunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum perficientes, ac cultus diuinos, & myſteriorum diſpenſationes. Oratione de uera Eccleſia.

Possidonivs Epiſc.

Poſsidonius Epiſc. Auguſtini contemporaneus, & ualde amicus, Membris omnibus (Auguſtinus uidelicet) ſui corporis incolumis, integro aſpectu, atq; auditu, nobis aſtantibus, & uidentibus, ac cum eo pariter orantibus obdormiuit in pace cum patribus ſuis, enutritus in ſenectute bona, & nobis coràm poſitis, pro eius commendanda corporis depoſitione ſacrificium Deo oblatum eſt, & ſepultus eſt. In uita beati Auguſtini.

Ioan. Damaſcenus.

Ioan. Damaſcenus in Concione, ait, quôd hi qui in fide hinc migrarunt, ſacris operationibus adiuuãtur. Diui Apoſtoli, diſcipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum cepere, in tremendis & impollutis, uitalibusque ſacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter atque adeo ſine contradictione obſeruat Apoſtolica & Catholica Eccleſia Christi & Dei, à finibus uſq; ad fines terræ, ab eo tẽpore uſq; in præſens, & in finem mundi uſque. Hoc eſt quod uult ac conſulit miſericors Deus, ut uicißim nos, tã in uita quàm poſt mortẽ, beneficiis proſequamur. Niſi enim hoc in oculis ſuis rectum foret, nunquam occaſionem dediſſet habendæ memoriæ defunctorum in ſacrificio illo incruento. In concione.

Concilium Cabillon. ſecundum.

cap. 35. Concilium Cabillonen. Viſum præterea nobis eſt, ut in omnibus Miſſarum ſolennitatibus, pro defunctorum ſpiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro uiuentibus & pro quibuſlibet neceſsitatibus Dominus deprecetur; ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces Domino in Miſſarum ſolennitatibus fundantur. Antiquitus hunc morem igitur ſancta Eccleſia tenet, ut in Miſſarum ſolennitatibus & in aliis precibus Domino ſpiritus quieſcétium commendet, dicente beato Auguſt. Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & catholica ſocietate defunctis, etiam facitis nominibus eorum, quos ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia: ut quibus ad iſta deſunt parentes, aut filij, aut quicunque cognati, uel amici, ab una eis exhibeatur matre communi.

TERTVLLIANVS.

De corona militis. libro de Monogamia. Tertullianus dicit, Oblationes pro defunctis, pro nataliciis, annua facimus. Ergo perſeueret in ea cum eo neceſſe eſt, quem iam repudiare non poterit, nec ſic quidem nuptura ſi repudiare potuiſſet: & pro anima eius oret, & refrigerium interim adpoſtulet ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offerat annuis diebus. Hæc ille dixit, & nónulla alia quæ uel ex parte, ſuperius poſuimus.

GREGO. Magnus.

Grego. lib. 4. Gregorius Magnus dixit etiam multa ad iſtam ueritatem in ſuis dialogis, quæ ex parte iam ſuperius poſuimus: poſſunt uideri in iam allegatis, uel apud ipſum.

Libri ſecundi finis.

REVEREND. GASPARIS

CASALII LVSITANI,

EPISCOPI LEIRIENSIS,

De ſacrificio Miſſæ, Liber tertius.

Afferuntur obiectiones ſeptem, quibus contra ueritates catholicas præcedentibus libris explicatas, nonnulli diſputationis gratia aduerſantur; uel quæ lectorum mentes ſollicitare poſſent.

CAPVT PRIMVM.

HActenus à nobis ea omnia adducta, & pertractata fuerunt, quibus concluſiones, ueritateſque catholicæ, ſingulis adſcriptæ articulis nituntur, atque adſtruuntur. Verùm quia ea mentis humanæ uis eſt, & natura, ut ſemper indefeſſo ſtudio homines circa res ipſas quamuis ratas ſollicitet, ueritatemque ipſam, ſi catholicus quis exiſtat, ſuborientibus dubitationibus atq; oppoſitionibus eas mox ſublatura, adoriatur, quo infirmioribus huc atq; illhuc iactatis conſulatur: ſi uerò Dæmonis fuerit artibus euictus, ut obfirmatos ſtanteſq; dimoueat, & euertat, ac morbi contagione perdat; res exigere uidetur, ut hic potiora ſaltem argumenta referamus, quæ prænotatis concluſionibus poſſunt tanquàm machinæ admoueri; uel à piis hominibus ueritatis gratia, uel ab Hæreticis mendacij,

& erroris cauſa, admouentur. Qua re peracta, proximum erit, ut ea omnia ſingillatim ita ſoluamus & diluamus, ut nullum poſteà Chriſtianis animis negocium faceſſere, ullam'ue poſsint exhibere moleſtiam. Primùm igitur ordine obiectiones ſeptem afferemus, potiores quidem ex multis & ualidiores (leuiores nanque proſequi non eſt conſilij noſtri, ne dum lectori prodeſſe ſtudemus ſedulò, eos infructuoſæ lectionis labore grauemus) quæ contra conſtitutas, ſuffultasque à nobis ueritates, quibus CHRISTVM in cœna obtuliſſe, idque propitiatoriè feciſſe, ac noſtram Miſſam ſacrificium eſſe propitiatorium dicimus; in medium deducuntur, uel hominum mentes diuexare poſſe uidentur.

Obiectio prima.

Prima obiectio declinat ad unitatem oblationis. Quia
Hebr. 10 Apoſtolus dicit, Vna enim oblatione, cõſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Quo uerbo uidetur dicendum, quòd Saluator noſter una tantùm oblatione obtulit, & in illa omnia conſummauit.

Obiectio ſecunda.

Secunda obiectio, & quaſi confirmatio primæ præcedentis,
Hebr. 9. eſt ex illo uerbo Apoſtoli, CHRISTVS ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Ex quo uidetur quòd ſemel obtulerit ſeipſum propitiatoriè.

Obiectio tertia.

Tertia obiectio declinat ad uocatam primitatẽ. Quia ſacrificium CHRISTI in cruce, debuit eſſe primum, ne eſſet ſuperfluum. Nanque ſi CHRISTVS antea obtuliſſet propitiatoriè, cùm omnia eius opera eſſent infiniti ualoris; uidetur ſequi quòd per ſacrificium præcedens, iam nos liberaret, & quòd tunc ſacrificium crucis ſuperflueret.

Obiect. iiij.

Obiectio quarta.

Quarta obiectio declinat & fugit ad uirtutem, in qua factum fuit uel habuit uirtutem ſacrificium cœnæ: quia fuit ante paſsionem. Et ſic, cum non dum tunc fuiſſet paſsio, non uidetur quomodo paſsio potuerit operari per illud ſacrificium, aut quomodo illud ſacrificium potuerit habere effectum ex opere operato in uirtute paſsionis, quæ nondum fuerat.

Obiectio quinta.

Quinta obiectio declinat & fugit ad denominationem ueram, & propriam huius ſacrificij; dicitur enim & eſt memoratiuum, ſicut dixit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem. Cùm enim memoria ſit tantùm præteritorum, & paſsio tunc fuiſſet futura; non uidetur quomodo tunc potuerit eſſe ſacrificium paſsionis memoratiuum, & ſic per conſequens, nec ſacrificium. Lucæ 22.

Obiectio ſexta.

Sexta obiectio, quaſi per extenſionem iſtius quintæ præcedentis, declinat & fugit ad imaginem & exemplum, quæ non uidentur poſſe eſſe ante rem imaginatam, & ante exemplar. Vnde quum hoc ſacrificium ſit imago, & exemplum paſsionis Domini, ſicut dicit Apoſtolus, Quoties enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Videtur quòd ante paſſionem non fuit ſacrificium, ſi tunc non fuit paſsionis imago, cùm paſsio nondum eſſet. 1.Cor.11

Obiectio ſeptima.

Septima obiectio, nouo quodam modo, declinat & fugit ad confirmationem noui teſtamenti; deducens quòd tunc non potuit eſſe ſacrificium noui teſtamenti, ob id, quòd no-

uum teſtamentum nondum eſſet eo tempore confirmatum in ſanguine CHRISTI; cùm ipſe Saluator noſter nondum mortuus fuiſſet.

Has obiectiones formare atque opponere poſſent, qui fingerent ſecum, Saluatorem noſtrum in cœna nouiſsima, & ſacratiſsima, non obtuliſſe ſemetipſum ſaltem propitiatoriè ſub ſpeciebus panis & uini: quibus omnibus infrà ſuis locis, abundè atque exactiſsimè reſpondebimus.

Referuntur ſeptem Philippi Melanchthonis obiectiones, quas ille contra Miſſæ ſacrificium propitiatorium, non ſine magno errore molitus eſt. CAP. II.

QVia Philippus ille Melanchthon non poſtremus inter hæreticos, dixit, obiecitque nonnulla contra noſtræ Miſſæ ſacrificium propitiatorium, libuit hîc ponere uerba & obiectiones ipſius, ut his etiam mox reſpondeamus. Sunt autem hæ, quæ ſubiiciuntur, ipſius quidem auctoris uerbis, ne quis ſibi fucum factum eſſe exiſtimare poſsit.

Verba Melāch. Finxerunt, inquit, monachi, & ſacrificuli, ſua oblatione mereri ſe remiſsionem peccatorum, ſibi & aliis, uiuis & defunctis,

MELANCHTHONIS Obiectio prima.

Prima eius obiectio eſt, in hoc errore multæ falſæ, & pernicioſæ perſuaſiones continentur. Videlicet quòd una CHRISTI paſsio, non ſatiſfecerit pro uniuerſa Eccleſia.

MELANCHTHONIS Obiectio ſecunda.

Secundò ſic obiicit, Deinde, inquit, quòd homines conſequantur reconciliationem, propter illud opus ſacrificuli, non fiducia miſericordiæ promiſſæ propter filium Dei, pro nobis crucifixum.

Melanchthonis Obiectio tertia.

Tertiò ait, Nullum eſt ſacrificium, nec fuit unquam, quo mereamur remiſsionem peccatorum, & quod alijs poſsit applicari, præter unicum ſacrificium Christi, ſemel factum in cruce. Ergo Miſſa, ſeu opus ſacerdotis, non eſt ſacrificiũ, quod ipſi, uel alijs, impetret, aut adferat remiſsionem peccatorum. Lib. contra priuatã Miſsã.

Melanchthonis Obiectio quarta.

Eiuſdem obiectio quarta eſt in hæc uerba, In nouo teſtamento nullus cultus, nulla cæremonia ualet ex opere operato: quare nec facienti, meretur remiſsionem peccatorũ, nec poteſt applicari aliis. Lib. communium locorum. c. de Euchariſtico ſacrificio.

Melanchthonis Obiectio quinta.

Quintò his uerbis obiicit, Opinio oblationis, & applicationis Miſſæ, ſimpliciter pugnat cum doctrina de iuſtitia fidei, quæ docet, quòd remiſsionem peccatorum cõſequamur nulla re, niſi fide, quæ ſtatuit Deum nobis ignoſcere, propter Christvm gratis, non propter ullum opus, uel noſtrum, uel aliorum. Hæc fides ſola uincit terrores peccati, & mortis. Eſt igitur impietatis ſentire, quòd propter opus ſacerdotis detur remiſsio peccatorum.

Melanchthonis Obiectio ſexta.

Sextò obiiciẽs ſic inquit, Hæc applicatio repugnat inſtitutioni Christi, quia is inſtituit hanc cæremoniam, non pro aliis non utentibus, ſed ad uſum ſingulorum, uidelicet ut quilibet ueſcens, fidem exuſcitet, & ſe recordatione beneficij Christi conſoletur, quemadmodum uerba inſtitutionis teſtantur: Accipite, comedite, & bibite, Matthæi 26. Ergo non prodeſt cæremonia iis, qui non ipſi utuntur, hoc eſt, ueſcuntur corpore Dominico, & bibunt eius ſanguinem.

Quemadmodum enim baptiſmi ac abſolutionis ſacramenta alijs nequeunt applicari, ita nec unius manducatio alteri poteſt applicari.

Melanchthonis Obiectio ſeptima.

Obiectionem ſeptimam hoc exemplo formauit, Idololatria, inquit, eſt, cultum inſtituere extra uerbum, & ſine uerbo Dei, & quidem talem, qui ſit cultus ex opere operato. Id clarè teſtatur hoc dictum, fruſtrà me colunt mandatis hominum. Matt. 15. Et prophetæ uocant idololatriam ſacrificia, quæ fiebant extra uerbum, & mandatum Dei, qualia erant ſacrificia excelſorum, & lucis, & cultus uitulorum in Bethauen. Item cultus aurei ſerpentis.

Referuntur potiores Caluini argumentationes, quibus ille catholicam de ſacrificio Miſſæ ueritatem labefactare conatus eſt. *CAP. III.*

Caluinus etiam non ſemel nec paucis, ſed pluries & multis noſtram hanc catholicam ueritatem labefactare conatus eſt, ut eſt uidere & in ſua Inſtitutione, & in ſuo Antidoto articulorum facultatis ſacræ Theologiæ Pariſiẽ. Vnde ne ſuis ille ſcriptis infirmiores ſeducat, placet hîc eius argumentationes apponere, non oẽs, ſed eas, quas tanquã ualidiſsimas in prænotato Antidoto circa ſextum articulum poſuit; moxque ſingulis ex ordine infrà ſuo loco reſpõdere. Illæ autem ſunt quæ nunc à me referuntur.

Calvini argumentatio prima.

Ille primò ſic argumentatur, Inſtitutio Christi ſic habet, Accipite & manducate. non autem, Offerte. Ergo ſacrificium Miſſæ non ex inſtituto Christi eſt, ſed palàm cum eo pugnat.

Calv. argumentatio ſecunda.

Secundò hanc affert argumentationem, Præterea conſtat ex ſcripturis hoc peculiare & proprium fuiſſe Christi officium, ſeipſum offerre; ſicut dicit Apoſt. ipſum una oblatione in perpetuum ſanctificaſſe ſuos. Item ſemel apparuiſſe per oblationem ſui. Nam & in hunc finem conſecratus fuit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſine ſucceſſore uel ſocio. Sacerdotij itaque honore ſpoliatur Christus, cùm ius ipſum offerendi transfertur ad alios.

Calv. argumentatio tertia.

Eiuſdem tertia argumentatio ita habet, Poſtremò nemo uſurpare debet hunc honorem, niſi à Deo uocatus, teſte Apoſt. Nemo autem præter Christum uocatus legitur.

Calv. argumentatio quarta.

Quartò ad hunc propè modum arguit, Rurſum cùm promiſsio ad eos ſolos deſtinetur, qui ſacramento communicant; quò iure ad mortuos pertinebit?

Hæc ſunt ualidiora argumenta Caluini, quæ ipſe contra noſtram orthodoxam de ſacrificio Miſſæ ueritatem in medium deducit, quæ infrà nullo planè negocio euertemus, ſi tamen prius ſingulas obiectiones, quæ ea præceſſerunt diluerimus, ac funditus ſuſtulerimus.

Prima in ordine obiectio ſoluitur, ac diluitur. CAP. IIII.

PRimæ obiectioni reſponſurus, ante omnia in memoriam uoco, id quod eſt adnotatione & memoria hoc loco digniſsimum, nempe quòd oblatio, duobus modis poteſt ſignificari, intelligi, uel accipi. Vno uidelicet, ut per oblationem intelligamus ipſam rem oblatam; alio autem, ut per oblationem intelligamus ipſam actionem, uel actum offerendi.

Dicimus ergo primùm, quòd ſi oblatio ita accipitur, ut ſignificet non actionem, uel actum offerendi, ſed ipſam rem oblatam, nulla eſt difficultas in obiectione: quia profectò eadem res oblata eſt, & eadem hoſtia, quam Saluator noſter obtulit in cruce, quam prius obtulerat in cœna, & quã nos modò in perſona eius offerimus in Miſſa; immo & quã ipſe uultui Patris nunc offert in cœlo, pro nobis interpellando. Et non deſunt rationes, quibus nixi poſsimus ita accipere oblationem, pro re oblata. Primùm, quia Apoſt. in eadem epiſtola eodemque capite, paucis uerbis interpoſitis
Hebr. 10. ita acceperat oblationem, dicens, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Quo loco, abſque dubio, oblationem pro re oblata accepit Apoſtolus, ut patet intuenti. Et ueriſsimile eſt, quòd in eadem locutione non uariauit acceptionem eiuſdem uocabuli, nec fecit æquiuocationem in illo, quam ſemper debemus uitare in uerbis ſacræ ſcripturæ, niſi aliqua neceſsitate fidei, uel charitatis
Ibid. cogamur. Secundò, quia ſicut Apoſt. dicit, Vna enim oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. ita
Ibid. quaſi immediatè dixerat, Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet ad dexteram Dei. Vbi, illud uerbum, Hoſtia, non pro actione uel actu offerendi, ſed pro re ipſa oblata accipitur. Ita nihil prohibet, ut dum Apoſt. dixit, Vna enim oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. ibi per Oblationem, rem ipſam oblatam, ſeu ipſam hoſtiam accipiamus.

Secundò dicimus, quòd etſi Apoſto. in eo loco accepit oblationem non pro ipſa re oblata ſolùm, quinetiam & pro actione uel actu offerendi, adhuc nihil probat obiectio contra noſtram ueritatem, quæ etiam eſt Catholica & Apoſtolica, ut conſtat ex dictis. Et quòd obiectio nihil faciat in contrarium, etiam illo modo intelligendo, accipiendoque oblationem, pro ipſa actione, uel actu offerendi, nonnullis rationibus ſatis probatur.

Harum prima eſt, Quia illa oblatio, ſeu actio offerendi, ita accipiendo uocabulum, non fuit in inſtanti, nec durauit ſolùm per inſtans; ſed aliquando habuit initium, & poſt illud, per aliquod tempus habuit continuationem. Obla-

tus enim eſt Saluator noſter, quia ipſe uoluit. Voluit autem pro nobis pati, etiam in inſtanti primo ſuæ conceptionis, & ab illo per totam uitam. Verùm non agimus modò de illa (ut ſic dicam) uolitione, ſed de alia qua Saluator noſter poſt prædicatum Euangelium in perſona ſua, poſt multa edita miracula, & poſt inſtituta ſacramenta, uoluit ſeſe pro nobis in manus inimicorũ tradere, ac ſeipſum pro nobis Deo patri ſuo offerre in cruce ſacrificium, & hoſtiam ſufficientiſsimam pro toto genere humano. Volens enim cœpit ſe tali modo offerre, ut poſtea iam non declinaret inimicos, ſed ſuſtineret omnia, quæ ipſis ſæuientibus in eũ placuiſſent. Hoc eſt igitur de quo agimus, & quærimus, quando cœpit ipſa oblatio? quia dicit Apoſt. Vna enim oblatione cõſummauit in ſempiternum ſanctificatos.

Dicimus ergo uerè & conſtanter, quòd illa oblatio non incœpit eſſe, dum Saluator fuit in ultimo inſtanti, ſeu in primo inſtanti non eſſe huius uitæ: nec incœpit eſſe, dum Saluator iam eſſet in cruce, uel illam aſcenderet. Quando igitur incœpit eſſe? Debemus enim illi dare initium. Multa profectò pertinent ad paſsionem Domini, & ſine dubio, omnia illa perertinet, ad eam Domini oblationem, qua ſe in paſsionem, & mortem obtulit. Videamus ergo quæ pertinent ad paſsionem, ut uel ſic aliquo modo habeamus oblaionis initium. Rectè igitur æſtimando, quidem oblatio Domini in cœna inter ea quæ ad paſsionem Domini pertinent, computatur.

S. Thomas optimè dixit, Eſt autem paſsio CHRISTI quibuſdam quaſi gradibus peracta. Nam primò fuit CHRISTI traditio, quæ facta eſt à Deo, Iuda, & Iudæis: quod ſignificat trina cruce ſignatio, ſuper illa uerba, Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. Secundò fuit CHRISTI uenditio: eſt autem uenditus Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis. Ad quod ſignificandum fit iterum trina cruce ſignatio ſuper illa uerba, Benedictam, aſcriptam, ratam. Vel ad oſtendendum precium uenditionis, ſcilicet triginta denarios. Additur autem & duplex ſuper illa uerba, Vt nobis corpus & ſanguis, &c. ad deſignandum perſonam Iudæ uenditoris, & CHRISTI uenditi. Tertiò autem fuit præſi-

S. Tho. par. 3. qõ. 83. art. 5. ad tertiũ arg.

gnatio paſsionis Christi facta in cœna. Ad quod deſignandum fiunt tertiò duæ cruces, una in conſecratione corporis, alia in conſecratione ſanguinis. Vbi utrobique dicitur, Benedixit. Quartò autem fuit ipſa paſsio Christi. Vnde ad repræſentandum quinque plagas Christi, fit quartò, quintuplex cruce ſignatio ſuper illa uerba, Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, &c.

Ergo ſecundum ueritatem Chriſtianam, quam bene & optimè notauit S. Thomas, Paſsio Christi quibuſdam quaſi gradibus peracta eſt. Et non poteſt eſſe dubium, quin in omnibus illis, iam Christvs eſſet oblatus. Cum autem conſecratio, & oblatio Christi in cœna, quæ fuit paſsionis ipſius præſignatio, ponatur in tertio paſsionis quaſi gradu; ſequitur euidenter, quòd & illa ad eam oblationem pertinet, qua Saluator in paſsionem & mortem ſe obtulit. Sicut etiam ad illam oblationem & paſsionem pertinent, Christi traditio, & Christi uenditio. Niſi quòd oblatio cœnæ magis uidetur ad paſsionem pertinere, cùm paſsionem ipſam ac mortẽ ſignificaret, & poſt traditionem ac uenditionem in tertio quaſi gradu paſsionis ponatur.

Dicit ergo Apoſtolus, quòd una oblatione, ideſt, una actione offerendi, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos: ſed illa oblatio uel actio offerendi complectitur Christi mortem, plagas in cruce ſuſceptas, flagella, ſputa, alapas, capturam & ligaturam in horto, conſecrationem ac oblationem in cœna, uenditionem, traditionem.

His accedit, quòd omnes catholici tractatores, qui de ea re loquuntur, dicunt factum Saluatoris noſtri in cœna, conſecrationem & oblationem, fuiſſe paſsionis eius exordium, ſeu initium. Ita enim omnes aſſerunt, uolentes oſtendere, quòd licèt agnus typicus decimaquarta die fuiſſet immolatus, & Saluator noſter decimaquinta luna fuiſſet paſſus: reſpondit tamen figuratum figuræ etiam in tempore, quia paſsio Domini in cœna habuit initium.

Beda. Mar. 14. Beda ſuper Marcum circa illud, Et primo die azimorum quando paſcha immolabant, &c. dicit, Quartadecima luna, quando obiecto fermento agnus occidebatur ad ueſperum. quod exponens Apoſtolus ait, Etenim paſcha noſtrum

immolatus

immolatus eſt CHRISTVS. Quamuis enim in ſequenti die, quinta decima luna, ſit crucifixus, hac tamen nocte qua agnus immolabatur, & diſcipulis ſuis corpus ſanguinemque ſuum dedit, & à Iudæis tentus & ligatus, immolationis, ideſt, ſuæ paſsionis exordium ſacrauit. Hæc ille. Et habetur hæc ſua doctrina in Gloſſa Ordin. ſuper Marcum in eodem loco.

S.Thomas refert eandem ſententiam Bedæ, & ſequitur illum omnino; ubi oſtendit quòd CHRISTVS fuit conuenienti tempore paſſus. Ait enim, & ſicut Beda dicit ſuper Marcum, licèt CHRISTVS, qui eſt paſcha noſtrum ſit crucifixus ſequenti die, hoc eſt, decimaquinta luna; attamen nocte, qua agnus immolabatur, corporis ſanguinisque ſui diſcipulis tradens myſteria celebranda, & à Iudæis tentus, ac ligatus, ipſius immolationis, hoc eſt, paſsionis ſuæ ſacrauit exordium. S.Tho. par. 3. q̃o.46. art. 9.

Sanctus Bonauentura ſuper Lucam in eodem loco, concordat per omnia, dicens, Reſpondet autem ueritas figuræ, licèt quintadecima die menſis fuerit crucifixus. Vnde Gloſſa, Licet ſequenti die, ideſt, quintadecima luna ſit crucifixus; hac tamen nocte, qua agnus immolabatur, & carnis & ſanguinis ſuis diſcipulis ſacramenta celebranda tradidit, & à Iudæis tentus, & ligatus, ipſius immolationis, ideſt, paſsionis ſuæ ſacrauit exordium. Hæc ille. Et eodem modo omnes alij. S. Bonauentura. Lucæ 22.

In cœna igitur dum Saluator noſter corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & uini conſecrauit, obtulit, ac diſcipulis ſuis dedit, ſuæ immolationis ſeu paſsionis ſacrauit exordium. Ergo ibi exordium oblationis ac paſsionis fuit, quod CHRISTVS ibi ſacrauit. Exordium autem paſsionis & immolationis, pertinet ſine dubio ad paſsionem & immolationem: paſsio uerò, immolatio, ac paſsionis & immolationis exordium, pertinent ad oblationem actionem, qua CHRISTVS ſe paſsioni ac immolationi, & paſsionis ac immolationis exordio obtulit. Eadem enim oblatione obtulit ſe CHRISTVS paſsioni, immolationi, & paſsionis ac immolationis exordio. Nec poteſt ullo modo dici, quòd illa oblatio actio terminabatur ad paſsionem & immolationẽ,

ſed non ad paſsionis, & immolationis exordium. Eſſet nanque talis aſſertio, ſi quiſpiam ita dixiſſet, magna blaſphemia contra CHRISTVM, qui ſua ſponte ac libentiſsimè pro nobis ſe obtulit in paſsionem, immolationem, ac paſsionis, immolationisque exordium: ut omnia pro nobis faceret, ac ſuſtineret, & nos ei omnia deberemus.

Ad eandem ueritatem ſunt multa uerba Domini, quæ ipſe dixit in cœna, ac ſtatim poſt cœnam, cum eſſet adhuc domi, antequàm exiret in hortum: quibus ſatis declarauit ſeſe iam in paſsione poſitum, in ſacrificio, & immolatione.
Ioan. 13. Dixit enim Iudæ poſt buccellam, Quod facis, fac citius, ſignificans profectò cœptam eſſe iam ſuam paſsionem, uenditionem, proditionem. Et cum exiuiſſet Iudas, dixit Do-
Ibid. minus, Nunc clarificatus eſt Filius hominis. quaſi iam tunc
Nicolaus Lyranus. eſſet in paſsione. Vnde dicit Gloſſa Nicolai, Dicitur enim aliquid iam eſſe, quando incipit. Paſsio autem eius ex tunc incipiebat: per quam fuit multipliciter clarificatus, ut di-
Ioan. 16. Ibid. ctum eſt capite præcedente. Hæc ille. Dixit etiam Dominus tunc, Et nunc uado ad eum, qui miſit me. Exiui à Patre, & ueni in mundum; iterum relinquo mundum, & ua-
Ibid. do ad Patrem. Ecce uenit hora, & iam uenit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolũ relinquatis, &c. Ita ſemper loquitur, tanquàm iam ſit in hora paſsionis poſitus, & tanquàm iam ueniſſet illa, & iam eſſet. Quid multa? In eadem hora cœpit IESVS orare, & orando dixit ſub-
Ioan. 17. leuatis oculis in cœlum, Pater, uenit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis: ut omne, quod dediſti ei, det eis uitam æternam. Hæc eſt autem uita æterna, Vt cognoſcant te, ſolum Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum CHRISTVM. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi ut faciam. Ecce tunc dixit, Venit hora. Opus conſummaui, quod dediſti mihi ut faciam. Iam reputabat horam ueniſſe, iam reputabat ſe opus conſummaſſe. Iam ergo erat in ipſa paſsione poſitus, in paſsionis exordio, in paſ-
Ibid. ſionis initio. In eadem oratione iterum dixit expreſsè, Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. In-
Ibid. frà, Et pro eis ego ſanctifico meipſum. Quod uerbum ita

exponit Nicolaus, Ideſt, ſacrificium in carne offero tibi ac- ceptum. Et Gloſſa Ordin. ideſt, Vt pro eis proſit, ego me hominem ſanctifico in me uerbo. Ecce in præſenti loquitur, dicens, Sanctifico. quia iam ſe offerebat, iam in principio paſsionis erat. Bene dixit Ruard. Tapper, Totius nanque uitæ, inquit, ſuæ decurſu fecit quæ Patri placita erant, ſe offerens in omnem eius uoluntatem, & maximè quando in cœna nouiſsima ſacerdotio fungebatur ſecundum ordinem Melchiſedech. Hoc ſenſu interpretantur Theophil. & Euthym. uerbum Saluatoris, Pater ſanctifica eos in ueritate, & pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in ueritate. hoc eſt, ut ipſi ſint ſacrificium tibi acceptum, & ideo ego ſanctifico meipſum, ideſt me pro eis offero. Scribunt enim, uictimam, hoc loco dici ſanctificationem, ut immolationem ſub ſacramento inchoauerit, quam coſummauit in cruce; quamuis tota eius uita perpetua fuerit immolatio pro noſtris peccatis & ſalute impetranda. Hæc ille.

Nicolaus Lyranus.

Ruardus. arc. 16. tom. 2.

Theophi. Euthym.

Ergo ſi Apoſtolus agit de una oblatione, ideſt, de una actione offerendi, iam certum eſt, quòd illud uerbum nihil facit contra iſtam ueritatem, quin potius multum facit pro illa: quia illa una oblatio, ideſt, illa una actio offerendi, ad multa ſe extendit, & multa comprehendit: quia totam Christi paſsionem, & omnes eius quaſi gradus, inter quos, tertio loco, ponitur conſecratio & oblatio Christi in cœna. Pertinet igitur illa oblatio cœnæ, ad paſsionem Domini, tanquàm quoddam eius exordium: & per conſequens pertinet ad illam unam oblationem, qua Saluator ſe pro nobis in mortem & paſsionem obtulit.

Secunda ratio eſt. Quia Apoſtolus in uerbo illo, non agit de oblatione propitiatoria uel non propitiatoria, redemptoria uel non redemptoria, meritoria uel non meritoria, ſatisfactoria uel non ſatisfactoria: ſed agit profectò ibi de oblatione conſummatoria, ſeu conſummatiua. Dicit nanque, Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Notandum eſt uerbum, conſummauit, & ſecundum illud eſt loquendum. Vnde Apoſtolus quidem conſummationem noſtræ ſalutis, redemptionis liberationis, &

reconciliationis, tribuit oblationi Saluatoris noſtri, qua ſe obtulit in paſsionem illam corporalem ab extrinſeco illatã & mortem: nullo autem modo negauit, Saluatorem noſtrum ante illam paſsionem pro nobis meruiſſe, pro nobis ſatisfeciſſe, pro nobis alio modo ſeipſum obtuliſſe.

Immo ſi oculatius, penitiusque inſpiciamus, manifeſtè reperimus, quòd dum Apoſtolus ſacrificio Saluatoris noſtri in cruce, ſeu oblationi eius in paſsionem & mortem tribuit noſtræ ſalutis conſummationem, dicens, Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, ſatis declarauit ante illam paſsionem & ſpecialem oblationem, Saluatorem noſtrum multa pro nobis exercuiſſe, operando, patiendo, ſuſtinendo, offerendo, quibus quaſi noſtram liberationem inchoauit. Vt aliud ſit, ipſum, noſtram liberationem inchoaſſe, & aliud ſit, ipſum, noſtram liberationem conſummaſſe. Non quaſi ſua merita præcedentia non fuiſſent infiniti ualoris, meriti, & ſufficientiæ: ſed propter aliam rationem, quæ in reſponſione ad tertiam obiectionem explicabitur.

Secundæ in ordine obiectioni reſpondetur. *CAP. V.*

AD ſecundam obiectionem, facillima, ſed grauiſsima eſt reſponſio; tum, quia Apoſtolus Pau. in eo loco de oblatione CHRISTI crueta in mortẽ, habebat ſermonem, & non de alia: tum, quia de oblatione CHRISTI agebat, qua CHRISTVS multorum peccata exhauriuit. Conſtat primum horum ex uerbis immediatè præcedentibus, & ex ipſa literæ textura. Dixerat enim,
Hebr.9. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori; poſt hoc autem iudicium. & tunc adiecit, Sic & CHRISTVS ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: ſecundò ſine peccato apparebit omnibus expectantibus ſe, in ſalutem. Vnde manifeſtum eſt, quòd de oblatione cruenta CHRISTI in mortem loquebatur: quæ profectò fuit una tantùm, & ſemel facta. Secundum etiam conſtat ex eodem uerbo, quia dicit Apoſtolus, Sic & CHRISTVS ſemel oblatus

eſt ad multorum axhaurienda peccata. Sola autem oblatio crucis fuit, quæ peccata exhauriuit multorum. Ante crucem enim nunquam intelliguntur peccata hominis alicuius exhauſta, licet multorum peccata ante paſsionem exhibitam intelligantur remiſſa, quoad culpam, quoad reatum æternum, & quoad reatum tēporalem pœnæ ſenſus. Obſtructa enim erat regni ianua ante mortem Domini, ob quam cauſam nullus ſanctus qui ab hoc ſæculo ante mortem Domini migrauit, regnum intrauit cœlorum: ſed omnes ſancti præcedentes expectauerunt ut CHRISTVS pateretur, & per eius mortem ianua cœli operiretur. Ideo omnes illi tunc erant, ſaltem ſub illa carentia uiſionis diuinæ, quaſi ſub quadam pœna damni, etiam per peccatum introducta. Siue ſancti illi, qui eſſent iam omnino purgati quoad culpam, & quoad totam pœnam ſenſus, aliquam triſtitiam contraxiſſent ex illa pœna damni, uel non. Ergo apud illos non fuerunt ante mortem Domini exhauſta peccata, quia quoad illam carentiam diuinæ uiſionis remanebant peccatorum fæces, & ſic propter illam, quodam modo peccata ipſa. Circa illud, Propter remiſsionem præcedentium delictorum, &c. dicit Gloſſa Ordin. Duplex effectus remiſsionis eſt, ſcilicet carere pœna, & frui gloria. Primum habuerunt ante CHRISTI mortem iuſti, quia pœnam actualem non ſentiebant. Sed poſt CHRISTI mortem, data eſt eis gloria diuinæ uiſionis: à qua differebantur, Deo ſuſtentante eorum delicta. Ita & idem Apoſtolus Paulus poſtquàm multos ſanctos commemorauit, qui in fide multa præclara opera fecerunt, & multa pro Deo ſuſtinuerunt aduerſa, dixit tandem ad propoſitum, Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſsionem. Deo pro nobis melius aliquid prouidente, ut non ſine nobis conſummarentur. Oblatus eſt igitur ſemel CHRISTVS in mortem; ad multorum exhaurienda peccata, ad peccata omnino tollenda, quoad culpam, & quoad omnem ac totam pœnam, tam ſenſus, quàm damni, etiam ad relaxandum exilium, & illam diuinæ uiſionis carentiam. Hoc enim eſt peccata exhaurire, peccata omnino & uſque ad ſedimenta & fæces tollere, peccatorem in priſtinam gratiam reſtituere.

Rom. 3.
Gloſ. ord.
Heb. 11.

Aſſertur reſponſio contra tertiam oppoſitionem. C A P. V I.

AD tertiam obiectionem iam nobis dicendum eſt. Dicimus autem reſpondentes, ſequens paradoxum, Sacrificium Saluatoris noſtri cruentum in cruce, fuit eius ſacrificium primum, & non primum. Huic paradoxo addimus, quòd eo modo, quo illud ſanctiſsimum ſacrificium fuit primum, fuit etiam ſolum, etiam unicum: & quomodocunque accipiatur, nullo modo fuit ſuperfluum noſtræ redemptioni, liberationi, ac reconciliationi, ſed utiliſsimum, & neceſſarium. Probemus igitur noſtrum paradoxum, quoad utranque eius partem: & oſtendamus illud ſacrificium Domini in cruce, fuiſſe primum, & ſimul fuiſſe non primum. Quod, quomodo potuit eſſe, immo & quomodo fuit, quia re uera, ita fuit, conſtabit ex probationibus partium paradoxi: in quibus monſtrabitur nullam eſſe contradictionem, aut contrarietatem, ſed maximam concordiam & ueritatem.

Quoad primam partem paradoxi, CHRISTI ſacrificium in cruce, fuit primum eius ſacrificium. Videlicet quantum ad modum offerendi ſeu oblationis, & quantum ad eius effectum, fructum, & conſummationem. Quantum ad modum offerēdi, quia Saluator noſter in cruce obtulit ſeipſum non ſub aliena, ſed in propria & ſub propria ſpecie, & modo cruento. Iſto autem tali modo nunquam CHRISTVS antea obtulerat: & ideo hoc ſacrificium quantum ad modum, fuit primum CHRISTI ſacrificium. Rurſus etiam iſto tali modo nunquam CHRISTVS poſtea obtulit, nec aliquando offeret: quia, CHRISTVS reſurgens ex mortuis iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur. & ideo hoc ſacrificium quātum ad iſtum modum, fuit CHRISTI ſacrificium unicum. Quantum ad effectum etiam, ſeu fructum, aut conſummationem, ſpecialiter ſacrificium CHRISTI in cruce, fuit eius primum ſacrificium; tum, quia conſummauit noſtram liberationem, quod non fecit aliquod CHRISTI meritum, uel ſacrificium præcedens: tum quia habuit ali-

quem effectum, ſeu fructum, quem non habuerunt omnia CHRISTI merita præcedentia: non propter defectum meritorum præcedentium, ſed propter genus operis.

S. Thomas dicit ad hanc ueritatem, quæ ſequuntur. Dicendum, quòd paſsio CHRISTI habuit aliquem effectum, quem non habuerunt præcedentia merita; non propter maiorem charitatem, ſed propter genus operis, quod erat cōueniens tali effectui: ut patet ex rationibus ſuprà inductis de conuenientia paſsionis CHRISTI. Hæc ille. Non declarat S. Thomas ibi quis ſit ille effectus, quem merita præcedentia non habuerunt, & quem paſsio habuit: ſed Caietanus bonus eius commentator & interpres ita dicit in eo loco, Aduerte quòd ultra utilitates numeratas in art. 3. q. 46. quas intulit paſsio CHRISTI, ex ipſo genere operis, eſt unus effectus inferius explicatus ab Auctore, ſcilicet quòd quia patiens ſubtrahit à ſe quod ſuum eſt, propter amorem illius, pro quo patitur, per hoc efficit, ut ſibi ex ipſo operis genere debeatur illorum ſalus, pro quibus ſe ſua ſalute priuauit. Hæc ille. S. Tho. par. 3. q6. 48. art. 1. ad tertiū arg. Caietan. Ibid.

Sacrificium igitur crucis iſtis modis intellectum, fuit primum CHRISTI ſacrificium, ultimum, & unicum, propter rationes prædictas: & hæc ſufficiunt quoad primam partem paradoxi, quam ſatis probant.

Quoad ſecundam autem eius partem, etiam manifeſta eſt ueritas. Dicit enim illa pars, Sacrificium Saluatoris noſtri cruentum in cruce, fuit eius ſacrificium non primum. Oſtenditur iſta pars, quia ante ſacrificium crucis quod fuit cruentum & conſummatiuum, atque in ſua propria CHRISTI ſpecie, fecit CHRISTVS in cœna ſacrificium incruētum, & non conſummatiuum ſuiipſius ſub ſpeciebus alienis, uidelicet panis & uini. Fuit quidem eadem hoſtia utrobique, in cœna, & in cruce: quia utrobique fuit CHRISTVS offerens, & CHRISTVS oblatus. Sed modus offerendi fuit differentiſsimus: quia modus offerendi in cœna fuit incruentus, & modus offerendi in cruce fuit cruentus: & rurſus eadem hoſtia in cœna fuit oblata ſub ſpecie aliena, quæ in cruce fuit oblata in ſpecie propria. Habuit etiam ſacrificium crucis effectum conſummatiuum, quem non habuit ſacrificium

cœnæ, prout à ſacrificio crucis ſeparatur. Ergo quantum ad modum offerendi incruentè, & quantum ad effectum non conſummatiuum, ſacrificium cœnæ anteceſsit ſacrificium crucis, & fuit tempore prius illo: quia ſacrificium cœnæ fuit luna decimaquarta, & ſacrificium crucis fuit luna decimaquinta.

Itaque ſacrificium crucis, fuit CHRISTI ſacrificium primum, & fuit CHRISTI ſacrificium non primum, non ſecundum idem, ſed reſpectu diuerſorum: & ideò non eſt ibi contradictio, nec aliqua contrarietas, immo nec aliqua oppoſitio. Fuit primum quantum ad modum cruentum, & quantum ad effectum conſummatiuũ: non fuit autem primum ſimpliciter, quia ante illud fuit ſacrificium incruentum ſub ſpeciebus panis & uini.

Eodem modo iam palàm eſt non ſuperfluxiſſe ſacrificium crucis, quamuis uariè, propriè, atque realiter, ipſum præceſſerit ſacrificium propitiatorium cœnæ.

S.Tho. par. 3. q6.48. art. 1. Optimè notauit S.Thomas hæc per ordinem inter alia. Primùm, quòd paſsio CHRISTI habuit rationem meriti, & hoc ubi probauit quòd paſsio CHRISTI cauſauerit noſtram ſalutem per modum meriti. Secundò, quòd paſsio Ibid. art. 2. CHRISTI habuit rationem ſatisfactionis; & hoc, ubi probauit quòd paſsio CHRISTI cauſauerit noſtrã ſalutem per Ibid. art. 3. modum ſatisfactionis. Tertiò, quòd paſsio CHRISTI habuit rationem ſacrificij. & hoc, ubi probauit quòd paſsio CHRISTI operata ſit per modum ſacrificij. Omnia enim iſta, ipſe probauit: uidelicet primum horum ex illo; Pro-Philip. 2. Auguſt. pter quod & Deus exaltauit illum, &c. ubi dicit Aug. Humilitas paſsionis, claritatis eſt meritum: claritas, humilitatis eſt præmium. ſecundum horum ex illo, Quæ non ra-Pſal. pui, tunc exoluebam. non autem exoluit, qui perfectè non Epheſ. 5. ſatisfacit. tertium horum ex illo, Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Hæc ille doctor ſanctus probauit, qui ſemper eſt in magna ueneratione habendus, ob ſuam & ſanctitatem, & eruditionem.

Queadmodum igitur paſsio CHRISTI habuit rationem meriti, & illi in ea ratione meriti non repugnauerunt me-

rita præcedentia: & quemadmodum paſsio CHRISTI habuit rationem ſatisfactionis, & illi in ea ratione ſatisfactionis non repugnauerunt ſatisfactiones præcedentes: ita paſſio CHRISTI habuit rationem ſacrificij, & illi in ea ratione ſacrificij non repugnauit ſacrificium præcedens. An CHRISTVS nõ habuit merita & ſatisfactiones, præcedentia ipſius merita & ſatisfactiones in cruce? Abſit. Immo enim habuit, quia à principio ſuæ conceptionis meruit nobis ſalutem æternam, ut notat S. Thomas ubi ſupra, & tota ſchola S. Tho. Chriſtiana ſimul: ſed ex parte noſtra erant quædam impe- Ibid. dimenta, quibus impediebamur conſequi effectum præce- art. 1. dentium meritorum; unde ad remouendum illa impedi- ad ſecũdũ menta oportuit CHRISTVM pati. Et certum eſt, quòd an- arg. te paſsionẽ habuit CHRISTVS pro nobis orationes, ieiunia, peregrinationes, fatigationes, bona opera, & paſsiones bonas, in quibus ſine dubio erat ratio, tum meriti, tum ſatisfactionis. An illa merita & illæ ſatisfactiones præcedentes, fecerunt ſuperflua merita & ſatisfactiones CHRISTI in cruce? Abſit. Quare non? Propter rationes prædictas. Eodem modo etiam propter rationes prædictas, ſacrificium CHRISTI in cœna quod præceſsit, non fecit ſuperfluum ſacrificium CHRISTI in cruce quod poſtea fuit ſubſecutum, ſeu habitum, uel oblatum.

Soluitur ac diluitur quarta in ordine obiectio. CAP. VII.

AD quartam obiectionem, dico primùm quòd ſacrificium cœnæ potuit habere uirtutẽ multis modis, ualorem, atque effectum mirabilem. Vno modo, ex uirtute, & in uirtute ipſius, qui offerebat. Erat enim & eſt, perſona diuina in duabus naturis, diuina, & humana: ſecundum naturam diuinam habebat gratiam & charitatem increatam, infinitam ſimpliciter: ſecundum naturam autem humanam habebat gratiam & charitatem creatam quidem, ſed infinitam ſecundum quid, quia erat & eſt gratia capitis, ſicut ipſe CHRISTVS eſt caput noſtrum. Alio modo ex uirtute & in uirtute meritorum CHRISTI

præcedentium. Quia utique iam tunc CHRISTVS habebat multa merita præcedentia, à primo inſtanti ſuæ conceptionis uſque in illam horam: & non eſt dubium, quin potuiſſet illa ſua merita præcedentia applicare illi ſuo ſacrificio incruento, quod tunc offerebat: ut illud ſacrificium in ſuis meritis præcedentibus haberet ualorem, uigorem, & efficaciam. Alio modo ex uirtute & in uirtute paſsionis CHRISTI ipſius adhuc tunc futuræ, ſed iamiam tunc incœptæ, & paulò pôſt complendæ.

Et ut ingenuè fatear, mihi uidetur ridiculum, uel minus accuratè dictum, quærere, in qua uirtute uel in quibus meritis illud CHRISTI ſacrificium in cœna habuit uigorem, aut ualorem, aut efficaciam. Saluatori noſtro docenti Hieroſolymis in templo principes ſacerdotum, & ſeniores populi propoſuerunt quæſtionem quandam, dicentes, In qua
Matt. 21. poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hanc poteſtatem? Similis quæſtio iſta mihi uidetur, qua iſti, CHRISTO Hieroſolymis in cænaculo ſub ſpeciebus panis & uini ſeipſum offerenti proponunt, dicentes, In qua poteſtate, uirtute'ue offers? & iſtud tuum ſacrificium habet ualorem, efficaciam, aut uirtutem? Multa bona opera fecit CHRISTVS ante mortem & paſsionem, meritoria & ſatisfactoria: i tu, & quære ab eo, unde illa opera erant meritoria? aut unde erant ſatiſfactoria? unde habebant meritum, & ſatisfactionem? Vide tamen prius, quòd ille qui offert, eſt perſona diuina in duabus naturis, diuina, & humana, Deus & homo, Mediator Dei & hominum, fons & radix omnium bonorum, gratiarum, meritorum, & ſatisfactionum; habens poteſtatem auctoritatis ſecundum naturam diuinam, & habens poteſtatem excellentiæ ſecundum naturam humanam unitam naturæ diuinæ, quibus certè potuit, & poteſt dare gratiam ſacramentorum & ſacrificiorum ſine ſacramentis & ſine ſacrificiis, & potuit ac poteſt ſacramenta & ſacrificia quæ noluerit, inſtituere, illiſque efficaciam præſtare. Poſt iſtam conſiderationem ueriſsimam, accede ſi uis, & quære, quod uolueris. Melius tamen erit, ſi iam ſcias quæ à Domino donata ſunt nobis, & in omnibus, fidem, ſpem, dilectionem, obedientiam, & maximam reuerentiam ei præſtes.

Qui ita olim obiiciebant, adducebant ſententiam ſancti Thomæ, docentis quòd ſacrificia ueteris legis non potuerunt eſſe cauſa gratiæ, nec illam gratiam efficere aliquo modo, ut ſigna effectiua ex opere operato, ſiue ex ui ſacrificij; quia fuerunt ante paſsionem, ob quod non potuit paſsio CHRISTI operari per illa, tanquàm per inſtrumenta ſua. Huic autem obiectioni, ego reſpondeo multis uiis.

Prima uia eſt, quòd S. Thomas eodem modo loquitur de ſacrificiis, ac de ſacramentis ueteris legis: & eandem rationem ponit communem, pro iſtis, & pro illis. Et quòd ſpecialiter loquatur de ſacramentis, patet apud ipſum. Ipſe enim mouet quæſtionem, Vtrùm ſacramenta ueteris legis gratiam cauſarent? Reſpondet autem, inquiens, Dicendum, quòd non poteſt dici, quòd ſacramenta ueteris legis conferrent gratiam iuſtificantem per ſeipſam, ideſt, propria uirtute: quia ſic non fuiſſet neceſſaria paſsio CHRISTI, ſecundum illud, Si ex lege eſt iuſtitia, CHRISTVS gratis mortuus eſt. Sed nec poteſt dici, quòd ex paſsione CHRISTI uirtutem haberet conferendi gratiam iuſtificandi. Sicut enim ex prædictis patet, uirtus paſsionis CHRISTI copulatur nobis per fidem & ſacramenta differenter tamen. Nam continuatio quæ eſt per fidem, fit per actum animæ; continuatio autem quæ eſt per ſacramenta, fit per uſum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id quod eſt poſterius tempore, antequàm ſit, mouere ſecundum quod præcedit in actu animæ; ſicut finis, qui eſt poſterior tempore, mouet agentem, ſecundum quod eſt appræhenſus & deſideratus ab ipſo. Sed illud quod nondum eſt in rerum natura, non mouet ſecundum uſum exteriorum rerum. Vnde cauſa efficiẽs non poteſt eſſe poſterior in eſſe, ordine durationis, ſicut cauſa finalis. Sic ergo manifeſtum eſt, quòd à paſsione CHRISTI, quæ eſt cauſa humanæ iuſtificationis, conuenienter deriuatur uirtus iuſtificatiua ad ſacramenta nouæ legis, non autem ad ſacramenta ueteris legis: & tamen per fidem paſsionis CHRISTI iuſtificabantur antiqui Patres, ſicut & nos. Sacramenta autem ueteris legis, erant quædam illius fidei proteſtationes, inquantum ſignificabant paſsionem CHRISTI, & effectus eius. Sic ergo patet, quòd ſacramenta ue-

S.Tho. par. 3. qò. 62. art. 6.

Galat. 2.

teris legis, non habebant in ſe aliquam uirtutem, qua operarentur ad conferendum gratiam iuſtificantem; ſed ſolùm ſignificabant fidem, per quam iuſtificabantur. Hæc ille. Ecce manifeſtè loquitur de ſacramentis præcedentibus paſſionem. Debuiſſent ergo animaduertere ij patres, quòd ſi illa ratio probaret ſacram Euchariſtiam in cœna, non fuiſſe uerum ſacrificium nouæ legis, nec habuiſſe uirtutem aut efficaciam, ex opere operato. Simili modo, & eo ipſo, probaret ſacram Euchariſtiam, tunc etiam non fuiſſe uerum ſacramentum nouæ legis. Quod tamen nec S. Thomas, nec aliquis alius doctor, ſanctus, aut catholicus, unquam dixit. Fuit enim ſine dubio ſacra Euchariſtia, illo tempore, uerisſimum nouæ legis ſacramentum; habuitque tunc uirtutem conferendi gratiam ex opere operato, ſiue ex ui ſacramenti; ut modò habet.

Secunda uia eſt, Quia S. Thomas frequenter loquitur de ſacramentis ac ſacrificiis ueteris legis, & aliis, quæ fuerunt in lege naturæ poſt peccatum; comparando illa ad paſsionem CHRISTI, à qua fuit ſemper poſt peccatum ſalus & iuſtificatio hominis. Nunquam autem ſic locutus fuit S. Thomas de ſacramentis aut ſacrificiis, quæ ipſe Filius Dei iam factus homo, per humanitatem aſſumptam inſtituit, aut exercuit, ſicut locutus fuit de aliis ſacrificiis aut ſacramentis præcedentibus. Immo profectò expreſsè, ac manifeſtè dicit de ſacramentis, quæ CHRISTVS inſtituit ante ſuam paſsionem, quòd ſtatim habuerunt uim & uirtutem, etiam ante paſsionem exhibitam. Et ſi quærimus à S. Thoma, unde illa ſacramenta inſtituta à CHRISTO ante paſsionem exhibitam, habuerunt uirtutem? Reſpondet, quòd à paſſione CHRISTI, quam præfigurabant, habebant efficaciam, & ab ipſo CHRISTO habebant uirtutem iuſtificandi, per cuius uirtutem ipſa etiam paſsio fuit ſalutifera. Audiamus quæſo S. Thomam in uerbis ſuis, quærentem ac determinantè de inſtitutione, & uirtute ſacramenti baptiſmatis ante paſsionem, & inde formemus demonſtrationem in doctrina ſua & mente eius ad alia ſacramenta CHRISTI tunc ab illo inſtituta, quia eadem eſt ratio.

S. Tho. par. 3. q6. 66. art. 2.

S. Thomas quærit, Vtrùm baptiſmus fuerit inſtitutus poſt

Christi paſsionem? Reſpondet ſecundum partem nega- tiuam quæſtionis, quòd non: ſed ante paſsionem, & quòd ex tunc baptiſmus habuit uirtutem: ſed neceſsitas utendi hoc ſacramento indicta fuit hominibus poſt paſsionem, & reſurrectionem. Verba S. Thomæ ad quæſtionem reſpondentis ſunt, Auguſtinus dicit in quodam ſermone de Epiphania, Ex quo Christvs in aqua mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Sed hoc fuit ante Christi paſsionem, Ergo uidetur quòd baptiſmus ante Christi paſsionem fuerit inſtitutus. Hæc ille. His autem addit ſtatim reſpondendo abundantius, Reſpondeo dicendum, quòd ſicut dictum eſt ſupra; ſacramenta ex ſui inſtitutione habent quòd conferant gratiam. Vnde tunc uidetur aliquod ſacramentum inſtitui, quando accipit uirtutem producendi ſuum effectum. Hanc autem uirtutem accepit baptiſmus, quando Christvs eſt baptizatus. Vnde tunc uerè baptiſmus inſtitutus fuit quantum ad ipſum ſacramentum. Sed neceſsitas utendi hoc ſacramento, indicta fuit hominibus poſt paſsionem & reſurrectionē: tum quia in paſsione Christi terminata ſunt figuralia ſacramenta, quibus ſuccedit baptiſmus & alia ſacramenta nouæ legis; tum etiam quia per baptiſmum configuratur homo paſsioni & reſurrectioni Christi, inquantum moritur peccato, & incipit nouam iuſtitiæ uitam. Et ideò oportuit Christvm prius pati & reſurgere, quàm hominibus indiceretur neceſsitas ſe configurandi morti & reſurrectioni eius. Hæc ille. Opponit contra ſe ibi, dicens, Videtur quòd baptiſmus fuerit inſtitutus poſt Christi paſsionem. Cauſa enim præcedit effectum. Sed paſsio Christi operatur in ſacramentis nouæ legis, Ergo paſsio Christi præcedit inſtitutionem ſacramentorum nouæ legis: & præcipuè intentionem (alias fortè inſtitutionem) baptiſmi, cum Apoſtolus dicat, Quicunque baptizati ſumus in Christo Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus, &c. Huic autem oppoſitioni, S. Thomas ita reſpondet, Dicendum, quòd etiam ante paſsionē Christi baptiſmus habebat efficaciam à Christi paſsione, inquantum eam præfigurabat. Aliter tamen quàm ſacramenta ueteris legis: nam illa erant figuræ tantum: baptiſmus

[Margin: ubi ſtatim ſupra — Ibid. — Auguſt. in quodā ſermone de Epipha. — Ibid. arg. 1. — Rom. 6.]

autem ab ipſo Christo uirtutem habebat iuſtificandi, per cuius uirtutem ipſa etiam paſsio ſalutifera fuit. Hæc ille. Profectò non potuit S. Thomas expreſsius, abundantius, clarius, aut ſapientius iſtam ueritatem proponere, declarare, aut determinare.

Simili modo, dum quis quærit, Quando fuit ſacra Euchariſtia inſtituta in ſacramentum & ſacrificium? reſpondemus, quòd in cœna nouiſsima ante paſsionem Domini in cruce. Dum quis quærit, A' quo tunc habuit efficaciam? reſpondemus, quòd à Christi paſsione, inquantum eam præfigurabat. Dum quis quærit, A' quo tunc habebat uirtutem iuſtificandi? reſpondemus, quòd ab ipſo Christo uirtutem habebat iuſtificandi, per cuius uirtutem, ipſa etiam paſsio ſalutifera fuit.

Poſt hac autem ſi aliquis, iam non arguendo, ſed proteruiendo quærat, A' quo ſacrificium illud Domini in cœna habuit uirtutem? Ego ſimiliter quæram ab eo, A' quo habuit uirtutem Christi paſsio? Seu, quod idem eſt, A' quo habuit uirtutē ſacrificium Christi in cruce? Et certiſsimum eſt, nec ullo modo poteſt dubitari apud Chriſtianos, quòd tam Christi paſsio, quàm Christi in cruce ſacrificium, ab ipſo Christo habuit uirtutem omnem, iuſtificandi, ſatisfaciendi, liberandi, redimendi, reconciliandi, cœlum aperiendi, ad regnum introducendi. Nanque eadem paſsio & idem ſacrificium, uel alia omnino ſimilia, poſita in alia perſona, quæ non eſſet Christvs Deus noſter, nullo modo haberent illam uirtutem. Ergo dum uirtutem illam in illis quærimus, ad ipſum Christvm nobis ultimatè ueniendum eſt, & ibi ſiſtendum, tanquàm in primo, à quo tota illa uirtus. At uerò, ipſemet Christvs eſt, & ipſe tunc erat, qui in nouiſsima cœna ſeipſum obtulit ſub ſpeciebus panis, & uini: ab ipſomet illud cœnæ ſacrificium incruentum habuit & habet uirtutem.

S.Tho. par. 3. q6. 48. art. 6. 1. Cor. 1. S. Thomas mouet quæſtionem, Vtrùm paſsio Christi operata ſit noſtram ſalutem per modum efficientiæ? Reſpondet quòd ſic, iuxta illud, Verbum crucis, his qui ſalui fiunt, eſt uirtus Dei. Nam uirtus Dei efficienter operatur noſtram ſalutem. Ergo paſsio Christi in cruce efficien-

ter operata eſt noſtram ſalutem. Deinde dicit explicatius, Dicendum, quòd duplex eſt efficiens, principale, & inſtrumentale, Efficiens quidem principale, humanæ ſalutis eſt Deus. Quia uerò humanitas CHRISTI, eſt diuinitatis inſtrumentum, ut ſupra dictum eſt, ex conſequenti omnes actiones & paſsiones CHRISTI, inſtrumentaliter operantur in uirtute diuinitatis ad ſalutem humanam. Et ſecundum hoc, paſsio CHRISTI efficienter cauſat ſalutem humanam. Hæc ille. Ecce omnes actiones & paſsiones CHRISTI, inſtrumentaliter operantur in uirtute diuinitatis ad ſalutem humanam: quia humanitas CHRISTI eſt diuinitatis inſtrumentum. Quòd ſi omnes CHRISTI actiones, & paſsiones ita operantur inſtrumentaliter in uirtute diuinitatis ad ſalutem humanam: ergo & illa actio CHRISTI qua in cœna conſecrauit & ſeipſum obtulit, eodem modo operabatur inſtrumentaliter in uirtute diuinitatis ad humanam ſalutẽ. Igitur fuit propitiatoria.

Tertia uia eſt, Quia & ſi S. Thomas hoc dixiſſet de ſacramentis, & ſacrificio, quæ CHRISTVS inſtituit ante paſſionem, quod dixit de ſacramentis & ſacrificiis ueteris legis, quod tamen ipſe non dixit, ut ex dictis conſtat: non tamen illud ſic pro certo tenendũ erat, quin ſub opinione maneret, An fuit in ueteri lege aliquod ſacramentũ, quod conferret gratiam ex opere operato, ſiue ex ui ſacramenti? Nanque de hoc ſunt opiniones uariæ inter doct. Theologos, & partita eſt ſchola Chriſtiana, propter Circuncisionem. Dubium enim eſt inter illos, An Circuncisio fuerit ſignum efficax effectus ſacramentalis, qui quantum ſufficit in propoſito, duplex eſt, uidelicet remiſsio peccati, & collatio gratiæ? ideſt, An Circuncisio haberet iſtos effectus ex opere operato? Gabriel Biel refert opiniones doctorum circa iſtam quæſtionem, dicens, De hoc ergo quantum ad circuncisionem ſunt quatuor opiniones, quas recitat Alexan. & poſt eum beatus Thomas, quæ omnes in hoc concordant, quòd circuncisio ex ui circuncisionis, ſiue ex opere operato, delet culpam originalem, ſed diſcordant quantum ad gratiam. Vnde dicunt primi, quòd circuncisio non confert gratiam, innitentes gloſſæ ad Romanos, ſuper illud, Signũ

Gabriel lib. 4. ſet. diſt. 1. q6. 4. art. 1. nota. 2. Alexand. par. 3. q6. 7. mẽbro. 7. S. Tho. lib. 4.

diſt. 1. qó. 9. art. 3. Gloſ. Rom. 4. accepit circunciſionis. In circunciſione peccata dimittebātur, ſed nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec uirtutum poſſeſsio, uel augmentum præſtabatur, & habetur in textu. Secunda opinio, quòd circunciſio ex ſua ui peccatum tollebat, gratia uerò circunciſio conferebatur, non ex ui circunciſionis, ſed ex diuina liberalitate, ablato gratiæ impedimento. Tertia opinio, quod circunciſio etiam conferebat gratiam ex ui circunciſionis quātum ad effectus priuatiuos, qui ſunt, priuare culpam; ſed non quantum ad effectus poſitiuos, qui ſunt, gratificare, & habilitare ad opera meritoria: ſed illi effectus conſequebantur ad gratiam, culpam remouentem. Quarta opinio, quā imitatur Alex. & Thomas, quantum ad effectus priuatiuos & poſitiuos, licèt non tam intenſos, ſicut nunc baptiſmus. Et hanc opinionem nunc ſequitur cōmunis ſchola Theologorum. Hæc Gabriel. Qui auctor paulò pòſt, ponit ſequentes concluſiones. Prima eſt, circunciſio ex ui circūciſionis tollit omnem reatum peccati originalis. Secunda eſt, circunciſio homini contulit gratiam ex opere operato. Tertia eſt, In inſtitutione circunciſionis, Deus principaliter intendit gratiæ collationem, quàm peccati originalis remiſsionem. Quarta eſt, circunciſio tollens culpam originalem, fuit ſacramentum ſecundum propriam ſacramenti rationem. Hæc ille.

Scotus. lib. 4. diſt. 1. qó.6. Durand. lib. 4. diſt. 1. quæſt. Idem tenet Scotus, quòd in circunciſione ex ui circunciſionis, conferebatur gratia. Idem & Durandus: niſi quòd Durandus addit, etiam ordinem in ueteri teſtamento fuiſſe uerum ſacramentum. Ecce igitur quam uariæ ſunt opiniones de illa quæſtione, & opinio communis Theologorum eſt, quòd olim Circunciſio ex opere operato & peccatum tollebat, & gratiam conferebat: licèt modo quodam differenti, quàm ſacramenta nouæ legis. Omnes tamen ita dicentes, fatentur ſimul Circunciſionem habuiſſe olim illam in uirtute paſsionis Christi, nondum tunc exhitæ, ſed exhibendæ, quam etiam ipſa Circunciſio ſuo modo figurabat.

Eliditur

Eliditur quinta Obiectio. *Cap. VIII.*

AD quintam obiectionem dicimus, quòd ipſa ſoluit, confoditq́; ſeipſam, ex eodem uerbo Domini quod allegat, Hoc façite in meam commemorationem. Id enim dixit Dominus Apoſtolis de ea re, quam ipſe tunc ſtatim fecerat, dum panem in manibus accepit, benedixit, fregit, conſecrauit, ipſe ſumpſit, & eis dedit manducandum. Tunc enim adiecit, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde eſſe memoratiuum ex illo uerbo, tantum conuenit Euchariſtiæ ſacramento, quantum conuenit Euchariſtiæ ſacrificio: uoluit enim Dominus nos facere in commemorationem ipſius, quod ipſe tunc fecit. Si ergo illa denominatio tunc non fuit Euchariſtiæ impedimento, ne eſſet ſacramentum: eadem ratione tunc non fuit Euchariſtiæ impedimento, ne eſſet ſacrificium. Eadem enim ratio eſt de utroque. Sed Euchariſtia nihilominus eo tempore fuit ſacramentum, ut conſtat, & omnes concedunt. Ergo Euchariſtia eo tempore fuit ſacrificiũ.

Sanctus Thomas determinauit & probauit, quòd inſtitutio ſacramenti Euchariſtiæ fuit conueniens, eo tempore in cœna nouiſsima, ante CHRISTI paſsionem. Idem auctor oppoſuit ibi contra ſe, iſto eodem argumento, dicens, Hoc ſacramentum dicitur eſſe memoriale Dominicæ paſsionis, ſecundum illud, Hoc facite in meam commemorationem. ſed memoria eſt præteritorum; Ergo hoc ſacramentum non debuit inſtitui ante CHRISTI paſsionem. Reſpondet ſanctus Thomas in eodem loco, dicens, Dicendum, quòd ſacramentum iſtud fuit inſtitutum in cœna, ut futurum eſſet memoriale Dominicæ paſsionis, ea perfecta. Vnde ſignanter dicit, Hoc quotieſcunque feceritis, de futuro loquens. Hæc ille. Quemadmodum igitur ſanctus Thomas reſpondet argumento factó contra inſtitutionem Euchariſtiæ in ratione ſacramenti, ex eodem medio: ita reſpondeo argumento facto contra inſtitutionem Euchariſtiæ in ratione ſacrificij, ex eodem medio. Tunc inſtitutum fuit hoc ſacrificium in cœna, ut futurum eſt memoriale Dominicæ paſsionis, ea perfecta.

S. Tho. par. 3. q. 73. art. 5. arg. 3.

Ibid. ad tertiũ arg.

Deinde dicimus ad argumentum, quòd in hoc & ſimilibus, melius ſecuriusq́; eſt theologizare cũ Auguſtino, quàm Philoſophari cum Ariſtotele. Ariſtoteles quidem poſuit memoriam circa præterita, ut pote quia memoria ſit quaſi arca ſpecierum, in qua reconditæ ſunt ſpecies, ſeu imagines, quas à rebus præſentibus accepimus, uel aliquo percepimus ſenſu, & cætera. At uerò Auguſtinus, quærendo & inueſtigando imaginem Trinitatis increatæ in creaturis, eam imaginem inuenit etiam in mente humana, prout in de Trinitate ait, Licet humana mens non ſit eius naturæ, cuius Deus eſt; imago tamen illius, quo nihil melius eſt, ibi quærenda & inuenienda eſt, quo natura noſtra nil habet melius, id eſt, in mente. In ipſa etiam mente antequàm ſit particeps Dei, eius imago reperitur: & ſi enim amiſſa Dei participatione deformis ſit, imago Dei tamen permanet. Eo enim ipſo imago Dei eſt mens, quo capax eius eſt, eiusq́; particeps eſſe poteſt. Hæc ille. Inueſtigando autem & oſtendendo in mente noſtra imaginem Trinitatis ſecundum ipſas partes imaginis, dicit Auguſtinus in eodem loco, & Magiſter ſententiarum ex illo, atque cum illo, Iam ergo in ea, Trinitatem, quæ Deus eſt, inquiramus. Ecce enim mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe; hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei. Hîc enim quædam apparet trinitas, memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Hæc ergo tria potiſsimùm tractemus, memoriam, intelligentiam, uoluntatem. Hæc ergo tria, ut Auguſtinus ait, in De Trinitate, non ſunt tres uitæ, ſed una uita: nec tres mentes, ſed una mens, una eſſentia. Memoria uerò dicitur ad aliquid, & intelligentia & uoluntas ſiue dilectio, ſimiliter ad aliquid dicitur: uita uerò dicitur ad ſeipſam, & mens, & eſſentia. Hæc ergo tria eo unum ſunt, quo una uita, una mens, una eſſentia, & quicquid aliud ad ſeipſa ſingula dicuntur etiam ſimul, non pluraliter, ſed ſingulariter dicuntur. Eo uerò tria ſunt, quo ad ſe inuicem referuntur. Hæc ille. Oſtendens autem quomodo æqualia ſunt, quia càpiuntur à ſingulis omnia & tota: id eſt, quomodo iſtæ partes imaginis ſunt æquales, dicit, Aequalia etiam ſunt, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam ſingula omnibus: alioquin non ſeinuicem caperent: ſe autem inuicem

Auguſt. lib. 14. cap. 8.

Magiſter lib. 1. diſt. 3.

Lib. 14. cap. 7. 8. cap. 11.

capiunt. Capiuntur enim & à ſingulis ſingula, & à ſingulis omnia. Memini enim me habere memoriam & intelligentiam, & uoluntatem; & intelligo me intelligere, & uelle, atque meminiſſe: & nolo me uelle, & meminiſſe, & intelligere. Hæc ille. Demónſtrans etiam quomodo tota illa tria memoria capiat, inquit, Totamq́ue meam memoriam, & intelligentiam, & uoluntatẽ ſimul memini. Quòd enim memoriæ meæ non memini, illud non eſt in memoria mea; nihil autem tam in memoria eſt, quàm ipſa memoria: totam ergo memini. Item quicquid intelligo, intelligere me ſcio: & ſcio me uelle quicquid uolo; quicquid autem ſcio, memini. Totam ergo intelligentiam, totamq́ue uoluntatem meam memini. Ecce igitur, homo meminit totam ſuam memoriam, & meminit quicquid ſcit, & nihil tam in memoria, quàm ipſa memoria. Ergo memoria nõ ſolùm eſt præteritorum, ſed etiam præſentium, & futurorum.

Tandem dicimus, quòd illa memoria, quam à nobis offerentibus requirit Deus in illo uerbo, Hoc facite in meam commemorationem. non eſt cognitio memoratiua, quam debeamus formare per ſpecies derelictas à rebus præſentialiter ſenſatis, aut intellectis, intuendo memoriam naturalem noſtram cum ſuis naturalibus ſpeciebus aut imaginibus: quia nos, qui modò ſumus, nunquam nouimus paſsionem Domini præſentialiter in ſeipſa, notitia aliqua intuitiua, ſenſitiua, uel intellectiua: ſed de illis ſumus, de quibus dicitur, Beati qui non uiderunt, & crediderunt. Sed profectò illa memoria, quam à nobis in illo uerbo requirit Deus, eſt cognitio paſsionis, quam debemus habere per fidem, ut palàm eſt omnibus, qui uel à limine theologiam ſalutauerint. Fides autem non uariatur in ſe, licèt res, de qua eſt, uarietur à futuro in præteritum, ut uariata fuit incarnatio uerbi Domini, natiuitas, & paſsio, quæ aliquando fuit futura, & modò eſt præterita. Vel ſicut uariabitur natiuitas Antichriſti, quæ aliquando erit præterita, & modò eſt futura. Et hæc eſt ratio, quare Abraham dicitur & eſt pater fidei noſtræ, cùm tamen ipſe crediderit futura multa, quæ nos credimus præterita: & hæc pariter eſt ratio, quare cõmuniter & ueraciter dicimus eandem eſſe fidem noſtram,

Ioan. 20.

Rom. 4.

August. lib. de correp. & gr. cap. 7. tom. 7. lib. 2. de nup. & cõcup. c. 12. Magiſter lib. 3. diſt. 25. S. Tho. ſecunda ſecundæ quæſt. art.

quæ fuit antiquorum. De qua ueritate multa dixit Auguſt. Multa Magiſter ſenten. multa S. Thomas in ſuis partibus, & multa tota ſchola Chriſtiana ſimul. Eadem fides Mediatoris quæ nos ſaluat, ſaluos iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis: quia ſicut credimus CHRISTVM in carne ueniſſe, ita illi uenturum: & ſicut nos mortuum, ita illi moriturum: & ſicut nos reſurrexiſſe, ita illi reſurrecturum: & nos & illi ad iudicium uiuorum & mortuorum uenturum. Ergo illo tempore ante paſsionem, potuit per fidem haberi cognitio de illa, & illa eſſet fidelis memoria tunc requiſita, & ſufficiens.

Soluitur, ac diluitur ſexta in ordine obiectio. CAP. IX

S. Tho. par. 3. q. 83. art. 5. ad tertiũ arg.

AD ſextam obiectionem dicimus, quòd immo illud mirabile ſacrificium in cœna, fuit præſignatio, & imago quædam paſsionis iamiam futuræ, & iam incipientis: ſicut bene notauit S. Thomas eo loci, ubi explicauit illos quaſi gradus, quibus paſsio Domini peracta eſt. Omnia tum ſacramenta, tum ſacrificia adumbrarunt noſtra ſaramenta, noſtrumque ſacrificium, & CHRISTI paſsionem repræſentabant ſuo modo, perfectius uel imperfectius, ſecundum quòd magis appropinquabant. Quanto igitur magis hoc diuinum ſacrificium, in quo erat eadem hoſtia, quæ fuit in ſacrificio crucis, iam tunc repræſentauit eandem paſsionem, ipſumque crucis ſacrificium cuius hoſtiam continebat? Obiicitur, quòd tunc adhuc paſsio non erat præſens, nec præterita. Reſpondeo, Adhuc paſsio non erat in eſſe reali, ſed præſens CHRISTO iam erat perfectiſsimè in eſſe cognito: ideo abſque dubio ad illam reſpiciens, potuit perfectiſsimam eius imaginẽ CHRISTVS ad extra formare, quemadmodum & formauit. Nec nouum eſt, quòd Artifices omnes ſecundum ideas ſuorum artificiatorum, quas habent intra in ſuis mentibus, formant ſua artificiata ad extra: ad illas ideas, tanquàm in quædam exemplaria reſpicientes. Vnde domus ad extra, fit à domo ad intra: & eſt quodammodo imago eius, atque exemplum: cum ta-

men ipſa domus ab intra, habeat tantum eſſe ideale, apud intellectum. Nihil ergo prohibet, quin perſona plenè atque perfectè cognoſcens rem aliquam futuram, ad illam reſpiciens in eſſe cognito, formet eius imaginem in re: quæ imago ſit uerè, ac propriè imago rei, non quæ eſt, ſed quæ erit, & iam plenè cognoſcitur. Omnino ſicut homo habens perfectam cognitionem abſtractiuam propriã alicuius rei, quæ iam non eſt, ſed fuit. Verbi gratia, patris ſui, uel alicuius alterius; poteſt per illam, uel ad illam reſpiciens, patris ſui non præſentis, ſed præteriti formare imaginem. Cognoſcebat autem Saluator noſter perfectiſsimè ſuam paſsionem antequàm illa eſſet in re: & illam intuebatur tanquàm præſentiſsimam, quoties uolebat ad illam reſpicere. Semper enim fuit beatus, etiam ſecundum humanitatem; & ſemper nouit clarè in diuina eſſentia, omnia quæ Deus ſcit ſcientiam uiſionis: ideſt, præterita, præſentia, & futura: habebatque ſcientiam rerum perfectiſsimam in proprio genere, ut eſt notum. Sed quia hæc in ſcholis lib. 3. diſt.
tractantur latiſsimè ex libris ſententiarum: hæc modò dixiſſe ſufficiat.

Aſſertur reſponſio ad ſeptimam obiectionem. CAP. X.

AD ſeptimam obiectionem dicimus, quòd indigna eſt auditu, indigna relatione, & indigna reſponſione. CHRISTVS inſtituens, conficiens, celebrans, offerens, & diſtribuens hoc ſacrificium diuinum, dicit, Hic eſt calix ſanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, &c. Et iſta inclyta obiectio dicit hoc ſacrificium non pertinere ad nouum teſtamentum, non eſſe illius, aut non pertinere ad illud. Certè ad nouum teſtamentum pertinebat, & noui teſtamenti iam tunc erat, quicquid auctor noui teſtamenti adhuc uiuens fecit, & in ſua Eccleſia faciendum præcepit. Eſt iſta ueritas unum principium Chriſtianum, de quo dubitare nullo modo licet. Alia fecit Saluator, ut nos ab illis faciendis liberaret: ut eſt notum de obſeruatione ueterum legalium: de quibus nunc non agimus, nec age-

Matt. 26.
Mar. 14.
Lucæ 22.

re uolumus : quia iam ceſſauerunt omnia. Sed præcepta Decalogi, omnia præcepta legis naturalis, & omnia quæ CHRISTVS de nouo inſtituit, in ſuaque Eccleſia obſeruari uoluit: iam ante paſsionem ad nouum teſtamentum pertinebant, & illius erant. In uita enim fecit CHRISTVS ſuum nouum teſtamentum, quod in ſua morte, ſuo ſanguine ſacratiſsimo confirmauit. Talia ſunt omnia noſtra ſacramenta, quæ ſtatim ut inſtituta ſunt, ad nouum teſtamentum pertinuerunt: tale eſt etiam hoc auguſtiſsimum ſacrificium, de quo agimus.

Reſpondetur quibuſdam Melanchthonis uerbis contra uim ſacrificij Miſſæ, non ſine magno errore, prolatis; & prima eiuſdem obiectio contra Miſſæ ſacrificium propitiatorium, refellitur, ac diſiicitur. *CAP. XI.*

SEptem primis obiectionibus è medio ſublatis, iam tempus eſt ut Melanchthonis copias profligemus. Hic igitur ſic inquit, Finxerunt monachi, & ſacrificuli, ſua oblatione mereri ſe remiſsionem peccatorum, ſibi & aliis, uiuis & defunctis.

Reſpondemus catholici, In iſtis uerbis tuis, oſtendis ſatis ò Melanchthon, tuam intentionem, tuum ſpiritum, & tuam mentem, quæ partes in te debuerunt eſſe religioſiores ac puriores: & quas tandem oſtendis ſtatim aut craſsiſsima ignorantia, aut gruiſsima malitia inuolutas atque obnubilatas in multis. Primùm in eo quod dicis, Finxerunt. Secundò in eo quod dicis, Monachi. Tertiò, in eo quod dicis, Mereri. Quoad primum, Noſtra doctrina de ſacrificio Miſſæ, non eſt fictio, ſed eſt doctrina uera, ſolida, catholica, Apoſtolica, diuina: ut quidem non ſit noſtra, ſed eius, qui nobis eam dedit, CHRISTI Ieſu ſuper omnia benedicti. Ab ipſo enim acceperunt Apoſtoli hanc doctrinam, ab Apoſtolis acceperunt patres priores, deinde nos accepimus ab illis primis per medios, per ſucceſsiones Epiſcoporum & propagationes Eccleſiarum. Quemadmodum etiam & hac uia recepimus à CHRISTO multas alias doctri-

nas, & diuinarum ſcripturarum ueriſsimas intelligentias, quas ad hanc uſque diem conſeruamus. Quoad ſecundum, Non ſunt ſolùm Monachi, qui noſtrum ſacrificium Miſſæ commemorant, prædicant, exaltant, commendantque, ſed ſunt etiam Apoſtoli Domini, Martyres CHRISTI, & ſancti cõfeſſores, ut Iacobus Apoſtolus frater Domini ſecundum humanitatem, Andreas Apoſtolus frater Simonis Petri, Martialis diſcipulus CHRISTI, & eius Martyr glorioſus, Alexander Martyr, Ireneus Martyr, Hippolytus Martyr, Cyprianus Martyr, Laurentius Martyr, Marcellinus Martyr, Euſebius Cæſarienſis, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, Ioan. Chryſoſt. Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Sulpitius Seuerus, Auguſt. Epiſcopus Hipponenſis, Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, Leo Papa, Fulgentius Epiſcopus, Hierony. Gregorius, Diony. Areopagita, & alij multi, quos ſuprà memorauimus: multique alij, quos breuitatis cauſa omiſimus. Nunc uideat quiuis fidelis lector, an iſti patres nominati, ſint Monachi, qui uel ignorantia diuinarum ſcripturarum, uel cupiditate rerum terrenarum potuerint fingere hanc doctrinam de Miſſæ ſacrificio, quam nobis tradiderunt uiui, & in ſuis ſcriptis nobis reliquerunt morituri. Deinde qui ſint, qui memoriam mortuorum in Miſſæ ſacrificio ſpecialiter prædicauerunt, & commendauerunt, tanquàm ritum ſanctum & utilem ab Apoſtolis uſque ad nos in ſancta Dei Eccleſia obſeruatum, etiam ex iam dictis conſtat; quia ut iam uidimus, ita docuerunt, Cyprianus, Athanaſius, Ioannes Chryſoſt. Auguſt. Epiphanius, Poſsidonius, Ioannes Damaſcenus, Gregorius Papa, & alij penè infiniti, ut Tertullianus, Magiſter ſententiarum, omnesque doctores Scholaſtici. Quoad tertium, Quia certè ij patres, & nos cum illis, non dicimus hoc noſtrum ſacrificium, quantum eſt de ſe, eſſe meritorium alicuius meriti de nouo, remiſsionis peccatorum, uel ſolutionis pœnarum, collationis gratiæ, remiſsionis culpæ, aut relaxationis pœnæ: licèt quidam patres dicant, illud eſſe impetratiuum horum bonorum, bono modo intelligentes: ſed potius dicimus, hoc diuinum ſacrificium, eſſe communicatiuum meritorum CHRISTI, & applicatiuum illorum, ad

ad art. I. (margin, beside "pagita, & alij multi")

ad art. 13. (margin, beside "etiam ex iam dictis")

eos pro quibus offertur; & ſpecialiter quoad effectum ſatiſfaciendi pro peccatis, ob quod dicitur hoc ſacrificium in ratione ſacrificij, habere uim ſatisfactiuam pro peccatis, ſicut in ratione ſacramenti habet uim unitiuam ad CHRISTVM & corpus eius myſticum, atque uim nutritiuam ſpiritaliter. Sicut enim ſacerdotes conficiendo & miniſtrando ſacramẽtum ut ſacramentum, non dicuntur mereri ipſo ſacramento remiſsionem peccatorum illis, quibus ſacramentum miniſtrant, ſed applicare, uel cauſare, uel operari miniſtraliter; ita profectò ſe habent ſacerdotes celebrando, uel miniſtrando hoc ſacrificium, ut eſt ſacrificium, offerendo illud pro aliquibus. Quemadmodum enim Euchariſtia, ut eſt ſacramentum, ex ſua inſtitutione à CHRISTO habet uim unitiuam & nutritiuam, quam exercet in illis ex opere operato, à quibus ſumitur: ita Euchariſtia ut eſt ſacrificium, ex ſua inſtitutione, à CHRISTO habet uim ſatisfactiuam, quam exercet in illis ex opere operato, pro quibus offertur. Hinc eſt, quòd ſacra Euchariſtia ſecundum utranque rationem, habet ſuum effectum, etiam ſi miniſter eius immediatus malus ſit, nihil meratur in ipſo opere quod exercet, immo & peccet, in malo ſtatu celebrando, aut offerendo. Malè igitur in multis, falſeque proponit Melanchthon, contra nos: tanquàm homo qui noſtra, aut penitus non uidit, aut penitus non intellexit. Sed hæc eius culpa eſt. Nos interim pro noſtra Chriſtiana benignitate, ipſum iterum atq; iterum audiamus, & ei reſpondeamus. Fortaſsis dabit Dominus, ut non canamus ſurdis.

Obiec. 1. Melanch. Dicit Melanchthon. In hoc errore multæ falſæ, & pernitioſæ perſuaſiones cõtinentur, uidelicet, quòd una CHRISTI paſsio non ſatisfecerit pro uniuerſa Eccleſia.

Reſpõſio Catholica. Reſpondemus, Sicut errans propoſuſti, ita errans deducis, & errans concludis. Sed ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, ut omnibus etiam reſpõdeamus, omnibus reddamus rationem de illa fide Chriſtiana quæ in nobis eſt uera & catholica. Dicimus ergo, quòd nihil minus eſt in toto mundo, quàm quod noſtra doctrina prædicta de ſacrificio Miſſæ contineat aliquem errorem uel falſitatem, aut hunc errorem particularem, quòd una CHRISTI paſsio non

ſatisfecerit

ſatisfecerit pro uniuerſa Eccleſia. Abſit enim, ut talis tantusque error in noſtra doctrina quouis modo contineatur, aut ex illa aliquo modo ſequatur. Quod ut palàm fiat omnibus, explicabimus hîc noſtrã fidem de effectibus paſsionis Christi Saluatoris noſtri, atque de modis quibus ipſa operata eſt noſtram ſalutem & liberationem: qua fide noſtra cognita, conſtabit quàm malè, & quàm falsè hoc nobis Melanch. obiiciat.

Fides noſtra quoad effectus paſsionis Christi, quantum modò ſufficit illam explicare, talis eſt, Per paſsionem Christi ſumus liberati à peccato; ſicut legimus, Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Per paſſionem Christi ſumus liberati à poteſtate diaboli: ſicut imminente paſsione Saluator dixit, Nunc iudicium eſt mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Eſt autem exaltatus à terra per crucis paſsionem. Per paſsionem Christi homines ſunt liberati à pœna peccati, ſicut legimus, Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Per paſsionem Christi ſumus Deo reconciliati. ſicut legimus, Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum, & poſuit in nobis uerbum reconciliationis. Paſsione ſua aperuit nobis Christus ianuam cœli, ſicut legimus, Habemus fiduciam in introitum ſanctorum, ſcilicet cœleſtium, in ſanguine Christi. Per proprium ſanguinẽ introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta.

Apoca. 1. Ioan. 12. Eſaiæ 53. 1. Pet. 2. Rom. 6. 2. Cor. 5. Heb. 10. Hebr. 9.

Fides noſtra quoad modos, quibus paſsio Christi operata eſt noſtram ſalutem, quantum modò ſufficit hanc noſtram fidem explicare, talis eſt. Paſsio Christi cauſauit noſtram ſalutem per modum meriti; ſicut legimus, Humiliauit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illũ, &c. Dicit enim Aug. Humilitas paſsionis, claritatis eſt meritum: claritas, humilitatis eſt præmium. Sed ipſe clarificatus eſt, non ſolùm in

Philip. 2.

ſeipſo, ſed etiam in ſuis fidelibus: ut ipſe dicit, Ioan. 17. Ergo uidetur, quòd ipſe meruit ſalutem ſuorum fidelium. Paſsio CHRISTI cauſauit noſtram ſalutem per modum ſa-
Pſal. tisfactionis; ſicut legimus, Quæ non rapui, tunc exolue-bam. Non autem exoluit, qui perfectè non ſatisfacit. Paſſio CHRISTI operata eſt ſalutem noſtram per modum ſacri-
Epheſ. 5. ficij, ſicut legimus, Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Paſsio CHRISTI operata eſt noſtram ſalutem per modum redemptionis,
1. Pet. 1. ſicut legimus, Non corruptibilibus auro uel argento redempti eſtis de uana ueſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontami-
Galat. 3. nati CHRISTI. Alibi, CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Dicitur autem pro nobis factus maledictum, inquantum pro nobis paſſus eſt in ligno. Ergo per paſsionem ſuam nos redemit. Paſsio CHRISTI operata eſt noſtram ſalutem per modum efficientiæ:
1. Cor. 1. Legimus enim, quòd uerbum crucis, his qui ſalui fiunt eſt uirtus Dei. Sed uirtus Dei efficienter operatur noſtram ſalutem. Ergo paſsio CHRISTI in cruce efficienter operata eſt noſtram ſalutem, tanquàm efficiens inſtrumentale. Efficiens enim quidem principale humanæ ſalutis eſt Deus. Quia uerò humanitas CHRISTI eſt diuinitatis inſtrumentum, ex conſequenti omnes actiones, & paſsiones CHRISTI, inſtrumentaliter operantur in uirtute diuinitatis ad ſalutem humanam. Et ſecundum hoc paſsio CHRISTI efficiēter cauſat humanam ſalutem.

Fides igitur & doctrina Chriſtiana, quæ hæc firmiter credit & docet, profectò non dicit nec poteſt dicere quicquam contra ſufficientiam paſsionis, oblationis, aut cruenti ſacrificij Saluatoris noſtri in cruce, uel contra ſufficientiam eius meriti, ſatisfactionis, redemptionis, efficientiæ, reconciliationis. Iſta eſt ergo, taliſque, tantaque, noſtra fides, & doctrina Chriſtiana.

Vt quid ergo recipimus, ueneramur, & obſeruamus hoc diuinum ſacrificium incruentum, Euchariſticum? Quia CHRISTVS illud inſtituit, nobis ob ſuam miſericordiam, poteſtatem offerendi dedit, & ut illud offeremus præcepit.

Vbi Saluator talem poteſtatem dedit hominibus, & tale præceptum eis impoſuit? Dictum & monſtratum eſt ſupra ſuo loco. Ad quid CHRISTVS hoc ordinauit, & iuſsit? Vt abundantius haberemus, quo uel quibus applicarentur nobis fructus ſufficientiſsimæ paſsionis ſuæ. Ad hoc inſtituit diuina ſacramenta, & ad hoc inſtituit hoc diuinum ſacrificium, quod etiam eſt ſacramentum, & maximum omnium diuinorum ſacramentorum. Et quia de hoc ſatis dictum eſt ſuprà, modò non plura afferamus. Melanchthonem iterum audiamus, & illi reſpondeamus.

Reſponſio affertur ad ſecundam Melanchthonis obiectionem. *CAP. XII.*

DIcit Melanchthon, Deinde quòd homines cōſequantur reconciliationem, propter illud opus ſacrificuli, non fiducia miſericordiæ promiſſæ propter filium Dei, pro nobis crucifixum.

Reſpondemus, Etiam hoc tuum uerbum, ò Melanchthon, eſt uerbum hominis ignorantis nos catholicos, noſtram fidem, & noſtram doctrinam catholicam. Nos enim catholici quātum ad hoc, ſic dicimus, Sicut paſſio CHRISTI prodeſt quidem omnibus quantum ad ſufficiētiam, & ad remiſsionem culpæ & adoptionem gratiæ & gloriæ; ſed effectum non habet niſi in illis, qui paſsioni CHRISTI, coniunguntur per fidem & charitatem; ita & hoc ſacrificium, quod eſt memoriale Dominicæ paſsionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramēto per fidem & charitatem. Vnde & Aug. dicit ad Renatū, Quis offerat corpus CHRISTI, niſi pro his qui ſunt membra CHRISTI? Vnde & in canone Miſſæ non oratur pro his, qui ſunt extra Eccleſiam.

S.Tho. par. 3. qō.79. art.7. ad ſecūdū arg.

Auguſt.

Nos igitur non promittimus fructum huius diuini ſacrificij incruenti hominibus, pro quibus offertur, niſi illi ſint diſpoſiti ac præparati recipere illum: niſi habeant fidem & charitatem; fidem, inquam, integram omnium credibiliū; diuinarum promiſsionum, diuinarum narrationum, diui-

uarumque omnium doctrinarum. Itaque ſicut non promittimus effectum Euchariſtiæ prout eſt ſacramentum, illis quibus hoc ſacramentum ſumendum datur, niſi illi ſint diſpoſiti, præparati, probati, ac iudicati: ſic non promittimus effectum Euchariſtiæ ut eſt ſacrificium, illis pro quibus hoc ſacrificium offertur, niſi illi etiam ſint parati. Fidem igitur in illis requirimus, & illam integram omnium credibilium. Immo etiam, fidem in illis requirimus integrã, & illam uiuam. Quia requirimus in illis quòd uniantur huic ſacrificio memoriali Dominicæ paſsionis, per fidem & charitatem, ut paulò ante diximus.

Sed hoc ſolùm facimus, in quo uobis diſplicemus, quòd ueſtram uanam, præſumptuoſam, ſuperbam, & nouam fiduciam, quam fingitis, extollitis, & ab hominibus ſub neceſsitate ſalutis contra totam ſcripturam Dei extorquetis, ò Melanchthon; & in ea ſola totam hominis formalem iuſtitiam conſtituitis, non nouimus, fugimus, damnamusq; in ea forma, in qua uos illam falsò commendatis. Et quia contra illam ueſtram ſuperbam, & uanam fiduciam multa diximus in noſtro opere, Quadripertita iuſtitia nuncupato, quæ in eo facilè uideri poſſunt; ideò de his modò dicere ſuperſedemus, ne eadem aut in uniuerſum, aut ex parte repetamus.

part. 1. lib. 2. per multa.

In eo etiam hîc grauiſsimè erras, ò Melanchthon, quòd hoc noſtrum diuinum ſacrificium appellas, opus ſacrificuli: quod potius appellare debuiſti, opus diuinum, opus Dei, opus CHRISTI. Et ſi enim nos ſacerdotes mortales, hoc diuinum ſacrificium conficiamus & offeramus immediatè ſenſibiliter, immediatione ſuppoſiti ſenſibilis: tamen uirtus ſeu poteſtas in qua hoc facimus, diuina eſt, nobis data in illo uerbo Domini, Hoc facite in meam commemorationem. Et ualde notandum eſt, & nunquam obliuioni tradendum, quòd nos ſacerdotes mortales dum conſecramus & ſacrificamus, hoc diuinum ſacramentum & ſacrificium conficiendo, miniſterium exercemus: immo non id facimus in perſona noſtra, ſed in perſona CHRISTI, in cuius perſona dicimus, nõ recitatiuè, ſed ſignificatiuè, Hoc eſt corpus meum. Hic eſt calix ſanguinis mei, noui, & æterni

Lucæ 22.

teſtamenti, &c. tanquàm nos ſimus ipſe, aut purum eius inſtrumentum, per quod ipſe loquitur, & loquens conficit. Vt etiam iam ſuperius diximus, ubi declarauimus quàm differenter nos habemus in celebrando ſeu conficiendo hoc myſterium diuinum, & in conficiendo ſeu miniſtrando alia diuina ſacramenta.

Opus igitur magis eſt diuinum, quàm humanum; magis Christi, quàm noſtrum. A Christo enim inſtitutum eſt, à Christo eſt nobis data poteſtas, conficiendi, conſecrandi, & offerendi. Christi ſunt uerba, in quibus conficimus, & nos in perſona Christi, non in noſtra conſecramus. Erras igitur ò Melanchthon, grauiſsimè, in iſto tuo uerbo, quòd certè reuocare debes. Sed nos interim, ulterius procedamus, & Melanchthonem uelis remisque fugiamus, qui ut uitet opus Christi, appellat illud opus ſacrificuli: appellans opus Dei, opus hominis. Christvs in hoc opere conficiendo, eſt agens principale, nos ſacerdotes ſui ſumus quaſi agens inſtrumentale, ſeu inſtrumentum ipſius. Opus autē agenti principali tribuitur, non inſtrumēto.

Refertur, eliditurque tertia Melanchthonis obiectio. CAP. XIII.

DIcit rurſus Melanchthon, Nullum eſt ſacrificium, nec fuit unquam, quò mereamur remiſsionem peccatorum, & quod aliis poſsit applicari præter unicum ſacrificium Christi, ſemel factum in cruce. Ergo Miſſa, ſeu opus ſacerdotis, non eſt ſacrificium, quod ipſi uel aliis impetret, aut adferat remiſsionem peccatorum. Reſpondemus, Antecedens huius tuæ conſequentiæ poteſt habere, & uidetur quod habeat multos ſenſus, in quibus eſt falſum. Primùm enim, ut iacet, & in ſenſu, quem facit, & præſefert, eſt falſiſsimum. Nanq; ſacrificia ueteris legis, inſuper & legis naturæ, & ſi talia eſſent, ut non haberent uirtutē remittendi peccata ex opere operato: talia tamen erant, quòd in illis peccatum remittebatur illis pro quibus offerebantur, ex opere operante, ſeu operantis. Vt in illis, licèt non per illa, eſſet remiſsio peccati à Deo, in

uirtute paſsionis præuiſæ. Manifeſtè enim dicit Dominus
Leui. 3. 4. 5 in Leuitico, quòd oblato ſacrificio ab eo, qui peccauerat, ac ſacerdote pro eo & peccato eius rogante, dimittebatur ei. Iob etiam offerebat pro filiis ſuis, & pro peccatis eorum, ſi forte peccaſſent contra Dominum. Et Apoſtolus ad Hebræos dicit palàm, Omnis nanque Pontifex ex homi-
Hebr. 5. nibus aſſumptus, pro hominibus cônſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Non dicimus autem quòd hoc fiebat inutiliter, ſed utiliter. Falſum eſt igitur antecedens prout iacet, quia non declarat de merito aut applicatione ex opere operato, uel ex opere operantis, & negat totum. Item falſum eſt antecedens, ſi ita intelligatur, ut uelit dicere, Nullus eſt modus ſacrificandi, nec fuit unquam, quo mereamur remiſsionem peccatorum, & quod aliis poſsit applicari, præter unicum modum ſacrificij, ſeu ſacrificandi CHRISTI, ſemel factum in cruce. Quia profectò præter illum modum ſacrificandi cruentè, quem CHRISTVS ſeruauit in cruce, fuit & eſt alius modus ſacrificandi incruentè, quem CHRISTVS ſeruauit in cœna nouiſsima, & nos in perſona & uirtute mandatoque ipſius ſeruamus in Miſſa. Falſum eſt igitur tuum antecedens multis uiis, ò Melanchthon, & ſic ex illo nihil potes concludere contra nos, iuxta regulam generalem Logicorum in conſequentiis, quæ dicit, Ex falſo, quandoque uerum, quandoque falſum.

Si autem in antecedente tuo ita intelligas, ut dicas, aut uelis dicere, Nullum eſt ſacrificium, quantum ad ipſam hoſtiam oblatam & uictimam, nec fuit unquam, quo ex opere operato ſiue ex ſe, mereamur remiſsionem peccatorum, & quod habens uirtutem ex opere operato aliis poſsit applicari præter unicum ſacrificium CHRISTI, ſemel factum in cruce: Tunc uerum eſt antecedens. Sed tunc etiam mala eſt conſequentia tua, quam hîc formas, & falſum eſt eius conſequens. Nam antecedente ita intellecto, & uero exiſtente: adhuc uerum eſt oppoſitum tui conſequentis, quod infers. Semper enim uerum eſt hoc, Omnis Miſſa, ſeu opus ſacerdotis eſt ſacrificium, quod ipſi, uel aliis, impetret, aut adferat remiſsionem peccatorum. Quo modo ſic? Quia

Miſſa quantum ad hoſtiam, ſeu uictimam, eſt prorſus idẽ ſacrificiũ, quod fuit in cruce. Vtrobiq; enim, totus CHRISTVS.

Nihil ergo ualet iſta tua argumentatio, ſeu tua ſeductio, ò Melanchthon, quia quantum ad hoſtiam & uictimam, idem prorſus eſt ſacrificium Miſſæ, quod fuit ſacrificium crucis: nec differt niſi in ſolo modo offerendi, per cruentum & incruentum. Firmiter credimus, & concedimus ueram, propriam, & realem exiſtentiam totius CHRISTI Saluatoris noſtri in ſacramento ac ſacrificio altaris, ſub ſpeciebus panis & uini. Hæc eſt noſtra fides uera catholica, & Apoſtolica, cui non poteſt ſubeſſe falſum, & contra quam non præualebunt unquam portæ inferi. Et ut olim bene dixit Hilarius, Mori poſſum, ſed ab hac fide diuelli non poſſum.

Diſiicitur quarta Melanchthonis obiectio. CAP. XIIII.

DIcit Melanchthon, In nouo teſtamento nullus cultus, nulla cæremonia ualet ex opere operato, quare nec facienti meretur remiſsionem peccatorum, nec poteſt applicari aliis.

Reſpondemus, Tam nota eſt in iſto tuo antecedente falſitas, ò Melanchthon, quàm nota eſt in illo uniuerſalitas: dum dicis, Nullus cultus, nulla cæremonia. Quandoquidem eſt profectò in nouo teſtamento cultus, eſtque cæremonia multiplex diuina, quæ ualet ex opere operato. Quis eſt ille cultus? Sacrificium noſtrum Euchariſticum. Quæ eſt illa multiplex cæremonia diuina? Sanctiſsima ſacramenta nouæ legis. Valent enim omnia huiuſmodi ſacramenta ex opere operato, illis à quibus ſumuntur: ualet autem hoc diuinum ſacrificium ex opere operato, etiam illis pro quibus offertur.

Solus enim Deus eſt, qui ut cauſa agens principalis, gratiam confert iuſtificantem, & peccata remittit; culpam tollit ponendo gratiam, reatum ſoluit, pœnam dimittit, aut relaxat. Non poſſumus dubitare ullo modo de iſta concluſione, nec illa eſt dubitabilis, nec nos de illa dubitamus. Ita Deus dicit, Ego ſolus deleo iniquitates & peccata populi. Ambroſius, Ille ſolus peccata dimittit, qui ſolus pro Eſaiæ 43. Ambr.

Auguſt. peccatis noſtris mortuus eſt. Auguſtinus, Nemo tollit peccata, niſi ſolus Deus, qui eſt Agnus tollens peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta ſunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad uitam, ubi omnino fieri non poſſunt. Magiſter ſenten. His inquit, aliiſque pluribus teſtimoniis docetur, Dominum ſolum per ſe peccata dimittere. Solus ergo Deus confert gratiam, & dimittit peccata, tanquàm cauſa efficiens principalis: qui tamen habet ſacerdotes miniſtros ſuos, quibus eius rei dedit poteſtatem miniſterialem in illo uerbo, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

Magiſter lib. 4. diſt. 18.

Ioan. 20.

Verùm, cum his ueriſsimis neceſſe eſt etiam dicere, quòd ſacramenta nouæ legis per aliquem modum gratiam cauſant: uel tanquàm cauſa ſine qua non, ut quidam putauerunt, & hodie in ſuis ſcriptis putant: uel potius ut cauſa inſtrumentalis, ſicut quidam dicunt, & potius uidetur dicendum. Quod enim ſacramenta huiuſmodi gratiam aliquo modo cauſent, docet Apoſt. dicens de Baptiſmo, Quotquot in CHRISTO baptizati eſtis, CHRISTVM induiſtis. Significat nanque, quòd per baptiſmum CHRISTO incorporamur; quæ incorporatio ſpiritalis & uitalis, non fit niſi per gratiam. Idem manifeſtius explicat ad Titum, dicens, Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum CHRISTVM Saluatorem noſtrum ut iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem uitæ æternæ. Ecce benignitas Saluatoris noſtri Dei, ſecundum ſuam miſericordiam ſaluat nos in CHRISTO, per lauacrum regenerationis & renouationis: quod lauacrum profectò eſt Baptiſmus. Et præponit Apoſtolus illam notam, Per quæ ſemper notat aliquam cauſalitatem, aut ſaltem (ita dicam) principiationem, in ſuo cauſali. Secundum iſtam uirtutem & cauſalitatem, quam agnouit Auguſtinus in Sacramento Baptiſmi, dixit ſuper Ioannem, quòd aqua baptiſmalis, corpus tangit, & cor abluit. Vnde tanta uis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? Et Beda conſtanter

Galat. 3.

Tit. 3.

Auguſt.

Beda.

ſtanter dixit, quòd Dominus tactu ſuæ mundiſsimæ carnis, uim regeneratiuam contulit aquis. S. Thomas etiam docet ex multis ſanctorum auctoritatibus haberi, quòd ſacramento nouæ legis non ſolùm ſignificant, ſed cauſant gratiã. Auguſtinus iterum, contra Fauſtum dicit, Hæc omnia, ſcilicet ſacramentalia, fiunt & tranſeunt: uirtus tamen ſcilicet Dei, quæ per iſta operatur, iugiter manet. Ecce uirtus Dei operatur per ſacramenta; unde certè illa habet, tanquàm inſtrumenta tua; Sicut artifex operatur per ſecurim, tanquàm per ſuum inſtrumentum. Auguſtinus rurſus ſecũdum iſtam ueritatem aſsignat differentiam inter ſacrificia, ſacramenta, oblationes, aliaque legalia cæremonialia legis ueteris, & noſtra ſacramenta legis nouæ, dicens, Quia illa promittebant tantùm & ſignificabant, hæc autem dant ſalutem. Eadem conſideratione ductus Hierony. dicit, quòd fides, quæ fideles facit, in aquis baptiſmi datur uel nutritur; quia non habenti aliquando ibi datur, & iam habenti ut plenius habeat, datur. Ita etiam Magiſter ſenten. iuxta diuinas ſcripturas, & ſanctorum Patrum ueram earum intelligentiam, definiuit ſacramentum nouæ legis quod propriè eſt ſacramentum, dicens, Sacramentum enim propriè dicitur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, ut ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Hugo à S. Victore, ſic definiuit, Sacramentum eſt materiale uel corporale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam. Ante illos autem Aug. in lib. de Corpore CHRISTI, ita definiuit ſacramentum, inquiens, Sacramẽtum eſt, per quod ſub tegumento rerum uiſibilium diuina uirtus ſecretius ſalutem operatur. Iſtæ definitiones ſacramenti nouæ legis, ſi bene intelliguntur, uariatis uerbis eandem proferunt ſententiam: & quod una obſcurius innuit, alia clarius exprimit. Scotus ita definit, Sacramentum propriiſsimè acceptum, eſt ſignum ſenſibile, gratiam uel Dei effectum gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificãs, ordinatum ad ſalutem hominis uiatoris. Quam definitionem Scoti refert & exponit Gabriel in ſuis ſententiis, ſatis

S. Tho. par. 3. q6.62. art. 1.

Auguſt. lib. 19.

Auguſt. in expoſitione tit. Pſal. 73. tom. 8.

Hierony. refert Magiſter ſenten. lib. 4. diſt. 4.

Magiſter lib. 4. diſt. 1.

Hugo à S. Victo. lib. de ſacramẽtis. par. 1. cap. 1.

Auguſt.

Scotus.

Gabriel

lib. 4. dist. 1. art. 1. Notab. 1.

bene. Iſto ergo modo omnes doctores Catholici in eo conueniunt, quòd ſacramentum propriè dictum, quale eſt omne ſacramentũ nouæ legis, dicatur non ſolùm à ſignificando, ſed etiam à ſacrando actiuè, ſicut medicamentũ, à medicando, & ornamentum ab ornando. Et ſicut medicamentum eſt illud, quo alicui rei medemur; & ornamentum eſt, quo aliquis ornatur; ſic ſacramentum eſt aliquid, quo aliquis ſacratur. Verùm ſicut uirtus interior ſanans, non dicitur medicamentum, ſed aliquid extrinſecus adhibitum uel intus ſuſceptum naturalis uirtutis conformatiuum, aut morbi expulſiuum: ita etiam interior contritio præparans, aut gratia formaliter ſanans, non eſt ſacramentum, ſed aliquod corporale ſiue ſenſibile extrinſecus ad ſanctificandum hominem, appoſitum. Eſt igitur hæc proprietas noſtrorum ſacramentorum, quam habent ex inſtitutione CHRISTI, ut ſecundum aliquem modum cauſent gratiam: & differant à ſacramentis ueteris legis, in eo quòd illa antiqua data fuerunt patribus in ſignificationem gratiæ, & quandam ſeruitutem: iſta autem noua data ſunt nobis in ſignificationem gratiæ, & in quandam eius cauſalitatem, ac noſtram ſanctificationem, ex ipſo opere operato.

An ideo concedimus ſacramenta noſtra cauſare gratiam in omnibus ſuſcipientibus indiſcriminatim, bonis, aut malis, fictis, aut non fictis? Abſit. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ita nullum ſacramentum noſtrum cauſat gratiam in ſuſcipiente adulto, niſi ſuſcipiens aut ſuſcepturus talis accedat, ut obicem gratiæ non ponat. Quandoquidem ſi gratiæ obicem ponit, gratiam non recipit: & tunc non eſt defectus ſacramenti ſuſcepti, ſed eſt culpa hominis ſuſcipientis indiſpoſiti. Profectò ignitiua cauſa, naturalis eſt ignis. Non autem ignit ignis, niſi ſubiectum ſit diſpoſitum. Et generaliter, Actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito. Quicunque igitur ſacramentum ſuſcepturus, ut gratiam ſuſcipiat, debet obicem gratiæ deponere. Idem eſt omnino de illo dicendum, pro quo offertur noſtrum diuinum ſacrificium: quia debet ipſe

non habere obicem, ut effectum ſacrificij pro ſe oblati recipiat? Quomodo deponit homo, aut quando non habet obicem? Alia eſt quæſtio. Multa de hoc tradunt patres in libris ſententiarum, ſpecialiter ubi agunt de ſacramento baptiſmi; de ſacramento Euchariſtiæ; de ſacramento pœnitentiæ: in ſuis locis poſſunt uideri omnia, nunc non uacat, nec opus eſt, de omnibus tradere. Optimè dicit S. Thomas, Sicut paſsio Christi prodeſt quidem omnibus, quantum ad ſufficientiam, & ad remiſsionem culpæ & ademptionem gratiæ & gloriæ; ſed effectum non habet niſi in illis, qui paſsioni Christi coniunguntur per fidem & charitatem: Ita & hoc ſacrificium quod eſt memoriale Dominicæ paſsionis, non habet effectum niſi in illis, qui coniunguntur huic ſacramento per fidem & charitatem. Hæc ille. Lib. 4. diſt. 4. diſt. 14. S. Tho. par. 3. qō. 79. art. 7. ad ſecūdū arg.

Ergo iſte noſter cultus diuinus, ſanctus & ſanctificans ex ui ſua, ſiue ex opere operato, ſenſibilis & externus, à Deo inſtitutus in cultum ſuum & ſalutem noſtram, ut agat ſuum effectum in illis pro quibus offertur, requirit cultum Dei ſpiritalem in illis, ueros motus cordis, fidem, ſpem, charitatem, ut ex dictis S. Thomæ ſtatim allegatis manifeſtè habetur, & palàm eſt ex diuinis ſcripturis. Auguſtinus benè dixit in De Ciuitate Dei, Sacrificium, cultus quidam eſt, ſoli Deo debitus. Ibi docet Auguſtinus, quòd duplex eſt ſacrificium, ſcilicet interius inuiſibile, & exterius uiſibile: Inuiſibile ſacrificium, cor noſtrum, ideſt, uoluntas noſtra eſt, cùm dona Dei & ſeipſam Deo uouit & reddit. Vnde ait, Huic, ſcilicet Deo, ſeruitutem, quæ latria Græcè dicitur, ſiue in quibſdam ſacramentis, ſiue in nobis ipſis debemus. Et ſubdit, Huius enim templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus, quia & omnium concordia, & ſingulos inhabitare dignatur. Non in omnibus quàm in ſingulis maior, quoniam nec mole diſtenditur, nec participatione minuitur. Cum ad illum ſurſum eſt, eius eſt altare, cor noſtrum, eius unigenito eum ſacerdotem placamus. Et cruentas uictimas cædimus, quando uſque ad ſanguinem pro eius ueritate certamus, &c. Dicit multa ibi de ſacrificio interiori ac inuiſibili; & poſtea loquitur de ſacrificio exteriori. Accipimus igitur & prædicamus ſacrificium cor- Auguſt. lib. 10. cap. 4. tom. 5. Ibid. cap. 5.

diale internum, ſecundum quod etiam legimus, Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humilitatum Deus non deſpicies. Sed cum hoc etiam accipimus & commendamus iſtud noſtrum ſacrificium externum Euchariſticum, à CHRISTO in ſuum cultum externum & noſtram ſalutem internam inſtitutum & commendatum.

Si iſte noſter cultus, ſeu iſtud noſtrum ſacrificium diuinum externum, ut efficiat ſuum effectum in illis pro quibus offertur, requirit in illis cultum Dei internum ſpiritalem, & aliàs non operatur ſuum effectum in illis, quomodo dicitur habere effectum in eis ex opere operato, ut aliquo modo cauſa illius effectus? Reſpondemus, Noſtrum ſacrificium diuinum & noſtra ſacramenta diuina non dicuntur præſtare gratiam ex opere operato, ob id quòd gratiam præſtent ſuſcipienti non diſpoſito, aut obicem ponenti, ut iam dictum eſt, declaratum, & oſtenſum. Vnde igitur? Ex eo, quòd ſuſcipientes diſpoſiti & ſine obice exiſtentes, plus gratiæ recipiunt à Deo in remiſsione culpæ uel relaxatione pœnarum debitarum, quàm reciperent pro ſua bona diſpoſitione aut præparatione ſine ſacramento recepto. Vel etiam ex eo, quòd frequenter qui aliàs non erat ſatis diſpoſitus, aut præparatus ad gratiam ſuſcipienda ex aliqua ignorantia uel incuria, nec gratiam ſine ſacramento in ea diſpoſitione reciperet: ſuſcipiens ſacramentum, in uirtute ſacramenti fit ſufficienter diſpoſitus, ſeu paratus. Sicut S. Thomas dicit de illo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam & affectum non habet: Forte enim primò non fuit ſufficienter contritus, ſed deuotè & reuerenter accedens, conſequetur per hoc ſacramentum (erat ſermo de ſacramento Euchariſtiæ) gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſsionem peccati. Hæc ille. Ita communiter dicitur, quòd in uirtute ſacramenti attritus fit contritus: Sed hoc dictum, ſuas habet intelligentias. Auguſtinus dicit in ſermone de corpore CHRISTI, quòd hoc ſacramentum, mortuos uiuificat. Signum manifeſtum, quòd hoc ſacramentum aliquando confert primam gratiam iuſtificantem. Aliàs, quomodo mortuos uiuificaret? Hieronymus etiam dicit, quòd fides, quæ fideles facit, in aquis baptiſ-

S. Tho. par. 3. qō. 79. art. 3.

Auguſt.

Hierony.

mi datur uel nutritur: quia non habenti aliquando ibi datur, & iam habenti ut plenius habeat, datur. Refert & probat Magiſter ſenten. Certè non eſt contra uirtutem, cauſalitatem, efficaciam, aut efficientiam ignis, quòd non agat ſuum actum, niſi in paſſo diſpoſito: ſic nec hoc eſt contra efficaciam ſeu efficientiam ſacramenti, quam habet ex opere operato, ex CHRISTI inſtitutione.

Magiſter lib. 4. diſt. 4.

Confutatur quinta Melanchthonis obiectio. *CAP. XV.*

DIcit Melanchthon, Opinio oblationis & applicationis Miſſæ, ſimpliciter pugnat cum doctrina de iuſtitia fidei, quæ docet, quòd remiſsionem peccatorum conſequamur nulla re, niſi fide, quæ ſtatuit Deum nobis ignoſcere, propter CHRISTVM gratis, non propter ullum opus, uel noſtrum, uel aliorum. Hæc fides ſola uincit terrores peccati, & mortis. Eſt igitur impietatis ſentire, quòd propter opus ſacerdotis detur remiſsio peccatorũ.

Reſpondemus, Non pugnat quidem noſtra, non opinio, ſed certa & firma doctrina oblationis & applicationis Miſſæ, cum doctrina de iuſtitia fidei, quæ habetur in diuina ſcriptura, quam CHRISTVS tradidit: quam Apoſtoli prædicauerunt per Orbem; quam ſancti Patres priores ab Apoſtolis acceperunt, & nobis ſuis poſteris per alios patres medios, ac per ſua ſcripta diffuderunt: ſed illi congruit omnino, omninoque & maximè eſt illi conformis. Pugnat autem noſtra uera, certa & firma doctrina oblationis & applicationis Miſſæ, cum doctrina de iuſtitia fidei, quam tu ò Melanchthon comminiſceris & falsò fingis contra Deum; contra Dei legem, & contra totam Dei fidem. Eſt autem gloria noſtra, quòd hæc noſtra doctrina ſimpliciter pugnat cum falſa doctrina tua de ficta à te iuſtitia tuæ falſæ fidei. Sic gloria CHRISTI eſt, quòd pugnat cum Belial; gloria iuſtitiæ, quòd pugnat cum iniuſtitia: & gloria lucis, quòd pugnat cum tenebris.

Dices, omnes ac ſingulos homines de neceſsitate ſalutis teneri ad illam fidem, ſeu confidentiam, qua quilibet ſim-

pliciter & abſolutè nullo habito reſpectu ad aliud, credat firmiter & confidat de facto, & in particulari remiſſa eſſe ſibi peccata ſua à Deo per CHRISTVM: dicis per hanc ſolam fidem aut confidentiam applicari hominibus paſsionem CHRISTI, & merita eius, quoád remiſsionem peccatorum, quaſi illa ſola ſit tanquàm uncinus, quo homo iuſtitiam CHRISTI & remiſsionem peccatorum appræhendat, & acquirat ſibi: atque tandem in hac una & ſola fide, ſeu confidentia ponis totam hominis formalem iuſtitiam inhærentem, quicquid ſit de omnibus aliis. Hanc fidem dicis neceſſariam cunctis hominibus adultis iuſtificandis, & illam prædicas ſufficientem: atque huic fidei tribuis totam ſecuritatem conſcientiæ, ut qui ita firmiter ſe credit iuſtum aut iuſtificatum, iàm non habeat unde timeat peccatà ſua, immo iam debeat non timere illa. Contra hanc falſam doctrinam tuam, meritò pugnat uera doctrina noſtra oblationis & applicationis Miſſæ: & optimo iure pugnare debet omnis animus Chriſtianus, omnis lingua, & omnis manus Chriſtiana. In Quadripertita iuſtitia moſtrauimus latè, par. 1. lib. 2. per multa. ordinem, quem ſeruat Deus Opt. Max. communicando nobis effectus gratiæ CHRISTI ſeu tractus paſsionis eius. Et quia ibi abundè diximus contra hunc tuum errorem, Melanchthon, ideo nunc de illo hîc iterum ſermonem habere, ſuperfluum uidetur.

Quòd autem dicis, dum ais, Eſt igitur impietatis ſentire, quòd propter opus ſacerdotis detur remiſsio peccatorum: tua eſt impietas. In quam profectò ideò deueniſti, quia non percepiſti quanta ſit miſericordia Dei in condonando nobis peccata, nec nouiſti quot remedia inſtituit & nobis tribuit, ut facilius, plenius, & abundantius in remiſsionem peccatorum, in ſuam gratiam, & iuſtitiam ueniremus. Iterum uocas noſtrum ſacrificium, opus ſacerdotis: quod potius appellare debuiſti, opus CHRISTI. Qui ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, principalius ſacrificat ſeipſum per nos miniſtros ſuos, qui ab ipſo poteſtatem habemus, & in ſua perſona uerba conſecrationis proferimus. Tua ergo impietas eſt duplex, & magna uerſutia; quia ut à noſtro diuino ſacrificio amo-

ueas remiſsionem peccatorum, apud illud opus ſacerdotis, ſicut ante illud appellaſti opus ſacrificuli. Nos autem ſecundum pietatem, & ueritatem Chriſtianam, quia per fidem diuinam, catholicam & Apoſtolicam, cui non poteſt ſubeſſe falſum, cognoſcimus noſtrum diuinum ſacrificium eſſe opus Christi, aquæductum eius gratiæ, & inſtrumentum ſuæ paſsionis, fructumque ſuorum meritorum, ut de his omnibus iam ſatis diximus ſuperius, firmiter credimus, in illo & per illud communicari remiſsionem peccatorum. ad art. 2. Hæc eſt fides, quam de noſtro ſacrificio auguſtiſsimo omnes fideles Chriſtiani tenere debemus, ut uerè fideles Chriſtiani catholici ſimus.

Reſponſio affertur contra ſextam Melanchthonis obiectionem. CAP. XVI.

Dicit Melanchthon, Hæc applicatio repugnat inſtitutioni Christi, quia is inſtituit hanc cæremoniam, non pro aliis non utentibus, ſed ad uſum ſingulorum, uidelicet ut quilibet ueſcens, fidem exuſcitet, & ſe recordatione beneficij Christi conſoletur, quemadmodum uerba inſtitutionis teſtantur. Accipite, comedite, & bibite, Matth. 26. Ergo non prodeſt cæremonia iis, qui non ipſi utuntur, hoc eſt, ueſcuntur corpore dominico, & bibunt eius ſanguinem. Quemadmodum enim baptiſmi ac abſolutionis ſacramentum aliis nequeant applicari, ita nec unius manducatio alteri poteſt applicari.

Reſpondemus, Abſit, ut hæc applicatio ſacrificij Miſſæ, repugnet inſtitutioni Christi. Immo enim in ea fundatur, & ab illa habet efficaciam. Ideo nanque noſtra applicatio habet ualorem, efficaciam, & uirtutem infallibilem; quia Christvs inſtituit hoc ſacrificium aliis etiam applicandum, & nobis ſacerdotibus miniſtris ſuis dedit poteſtatem applicandi. Obtulit ipſe in cœna ſeipſum ſub ſpeciebus panis & uini, & poſtea nobis dedit poteſtâtem offerendi, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Ex Lucæ 22. quo autem nos ſacerdotes fecit, nobiſque poteſtatem offe-

rendi dedit: iam per conſequens, immo eo ipſo, poteſtatem applicandi hoc diuinum ſacrificium nobis præſtitit, communicauit, & contulit. Sic docet Apoſtolus, manifeſta doctrina ſua, qua dicit, Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Ecce officium ſacerdotis, offerre ſacrificium, applicare illud. Pro peccatis enim offert. Quorum? Illorum, pro quibus offert. Ecce applicatio. Conſtat etiam hoc eſſe; & hoc fuiſſe ſemper officium ſacerdotis apud omnes nationes hominum, qui ſunt aut fuerunt in mundo, in quibus ſunt aut fuerunt ſacerdotes, ſacerdotium, ſacrificium. Erras igitur grauiſsimè ò Melanchthon, in eo, quòd aſſeris hanc noſtram applicationem repugnare inſtitutioni CHRISTI. Et quia contra hunc tuum errorem faciunt omnia illa, multa & manifeſta, quæ ſuperius adduximus eo loci ubi monſtrauimus quòd noſtra Miſſa eſt uerum & proprium ſacrificium, quòd CHRISTVS in cœna obtulit, & quòd ibi Apoſtolos ac nos in illis ſacerdotes in eadem cœna ordinauit: ideo de his, modò hæc dixiſſe ſatis ſit.

Hebr. 5.

ad art. 1. & ad 3. per totũ.

Origo & ſeminariũ errorum Melanch. in hac materia.

Alius error tuus, ſeminarium, fons, & origo omniũ aliorum errorum tuorum, quibus ſcates affatim in hac materia, hic unus eſt; quòd in inſtitutione ſacræ Euchariſtiæ à CHRISTO, ſolùm concedis inſtitutionem ſacramenti, & omnino negas inſtitutionem ſacrificij. Hinc eſt illud quod dicis, quòd CHRISTVS inſtituit hanc cæremoniam, non pro aliis non utentibus, ſed pro uſu ſingulorum, uidelicet ueſcentium. Hinc eſt illud quo ais, quòd non prodeſt hæc cæremonia iis, qui non ipſi utuntur, hoc eſt, ueſcuntur corpore dominico, & bibunt eius ſanguinem. Hinc eſt illud, quo inquis, quòd quemadmodum ſacramentum baptiſmi ac abſolutionis aliis nequeunt applicari, ita nec unius manducatio alteri poteſt applicari. Quia non agnoſcis in ſacra Euchariſtia niſi ſacramentum, & ſacramenti rationem: ideo nullum alium uſum concedis in illa, niſi ſolum uſum ſacramenti, qui eſt manducari, aut bibi à ſumentibus.

Nos autem contrà, quia in inſtitutione ſacræ Euchariſtiæ à CHRISTO Saluatore noſtro, firmiter credimus inſtitu-

tionem

tionem ſacramenti, & ſimul ac pariter inſtitutionem ſacrificij; duplicem uſum eius ſimpliter ex corde credimus ad iuſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem. Vt uerè ac propriè ſacra Euchariſtia habeat uſum ſacramenti, ut eſt ſacramentum: & habeat uſum ſacrificij, ut eſt ſacrificium. Vt eſt ſacramentum, applicatur & datur ſolis ſumentibus, ueſcentibus, manducantibus, aut bibentibus: ut autē eſt ſacrificiū, applicatur & datur omnibus pro quibus offertur. Quòd eſt ſacramentum, omnes uno ore confitemur, & ideo non indiget probatione: quòd autem etiam eſt ſacrificiū, ſuprà mon ſtratum eſt ſatis. Non eſt opus modò repetere probationes, quia facile poſſunt uideri in iam dictis & allegatis ſuperius. ad art. 1. per totū.

Alius error tuus hic eſt, in eo, quòd dum uis uerba inſtitutionis ſacræ Euchariſtiæ adducere, quam cæremoniam appellas, ſola illa uerba Domini adducis, Accipite, comedite, & bibite. Quæ uerba profectò non ſunt uerba inſtitutionis Euchariſtiæ, in ſeipſa: quia Dominus non conſecrauit, nec confecit Euchariſtiam illis uerbis: ſed iſtis aliis, Hoc eſt corpus meum, ut iam non eſt dubium inter doctores Theologos catholicos. Rurſus nec illa uerba, Accipite, comedite, & bibite. ſunt, aut fuerunt inſtitutoria celebrationis Euchariſtiæ in Eccleſia: ſed iſta alia uerba CHRISTI, Hoc facite in meam commemorationem. ut ſupra iā adnotauimus, & probauimus, & per ſe cōſtat. Sed, quid faciūt, aut quid diſponunt illa uerba Domini, Accipite, māducate, & bibite? Faciunt quidem & diſponunt quoad uſum Euchariſtiæ: uidelicet, prout Euchariſtia eſt ſacramentum. Vſus autem Euchariſtiæ prout eſt ſacrificium, per ſe patebat.

Matt. 26. Lucæ 22.

Septima & ult. Melanch. obiectio euertitur ac diſiicitur. C. *XVII.*

MElanchthonis nouiſsima ſuperius à nobis relata obiectio, eſt in hæc uerba, Idololatria eſt, cultum inſtituere extra uerbum, & ſine uerbo Dei, & quidem talem, qui ſit cultus ex opere operato. Id clarè teſtatur hoc dictum, Fruſtrà me colunt mandatis hominum. Matth. 15. Et prophetæ uocant idololatriam ſacrificia, quæ fie-

bant extra uerbum, & mandatum Dei, qualia erant ſacrificia excelſorum, & in lucis, & cultus uitulorum in Bethauen. Item cultus aurei ſerpentis.

Reſpondemus, Primùm, modò non diſputamus, An ſit, uel non ſit idololatria cultum inſtituere extra uerbum, & ſine uerbo Dei. Si de hoc ageremus, tunc examinaremus, & uideremus quantum ſit ueritati conſentaneum quod hîc dicis, Idololatria eſt, cultum inſtituere extra uerbum, & ſine uerbo Dei. Tunc eſſet nobis ſermo de ſacrificiis legis naturæ, ubi non erant ſacrificia aliqua determinata, nec aliquis determinatus cultus diuinus ſacrificiorum, nec aliquod Dei uerbum de illo. Tunc etiam eſſet ſermo de ſacrificio Gedeonis ſub quercu: de ſacrificio Heliæ in monte. Quid multa? Quòd idololatria ſit falſus cultus falſorum deorum, uel alicuius falſi Dei, omnes ſcimus: quòd autem idololatria ſit cultus extra uerbum, & ſine uerbo Dei, non eſt determinatum. Verbum Domini quod adducis ex Euangelio Matth. non habet ut tu refers, ſed ſic habet, Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Eratque ibi tunc ſermo Domini, contra illos qui tranſgrediebatur mandatum Dei propter traditionem ſuam & contra populum qui labiis Deum honorabat, cor autem eorum longè erat à Deo. Aduerſus hos dixit Dominus, quòd ſine cauſa, ſeu fruſtrà Deum colebant aut honorabant: ſed non dixit quòd in cultu aut honore illo, idololatriam committebant. Exempla alia non diſcutimus modò, quæ adducis de ſacrificiis excelſorum, & locorum, de cultu uitulorum in Bethauen, & de cultu aurei ſerpentis: uideat quiuis lector cui & quomodo fiebant illa ſacrificia, & iudicet de illis, an faciant aliquid in propoſito, ubi agimus de uero cultu ueri Dei.

Iudicū 6.

Matt. 15.

Reſpondemus ſecundò, Iſte noſter cultus non eſt extra uerbum, nec ſine uerbo Dei. Quinimmo eſt intra uerbum, in uerbo, cum uerbo, ſecundum uerbum, & ex uerbo Dei. Deus enim conſecrauit, confecit, ſacrificauitque ſacram Euchariſtiam, & poſtea dixit Apoſtolis, nobiſque ſacerdotibus in illis, Hoc facite in meam commemorationem. Et quia iſtam ueritatem iam ſatis monſtrauimus, ex nouo &

Lucæ 22.

ueteri teſtamento, modò non eſt, quòd in ea moſtranda ulterius immoremur. Chriſtiano lectori docilique relinquo negocium, ipſe uideat omnia noſtra præcedentia, & iudicet. Habemus enim pro iſta ueritate diuinas ſcripturas manifeſtas, habemus ſanctorum Patrum conformem ſententiam, & habemus tum antiquiſsimam, tum generalem in tota Eccleſia Dei, obſeruantiam.

Velim tamen hîc lectores Chriſtiani hoc unum, quod paulò ante incœpi notare, animaduertant, ideſt, ut perſpiciant Melanchthonis aſtutiam uel dolum, qui cum uellet, ac ſummopere niteretur à noſtro diuino ſacrificio uiſibili Chriſtiano ſecludere uirtutem, quam habet ex diuina inſtitutione contra peccatum, ex opere operato; minima exiliaque nomina ei dedit, infirma, & abiecta, quo ſua falſa doctrina minus fœda, minusque turpis uideretur. Vnde illud nuncupauit opus ſacrificuli, cæremoniam, opus ſacerdotis, idololatriam. Quod fecit quidem, tam aſtutus, quàm inſipiens, tam deceptus, quàm decepturus.

Nos autem non ſic, Sed iuxta diuinas ſcripturas & ſanctos patres antiquos, & recentiores, aliis nominibus longè differētiſsimis hoc diuinum ſacrificium ut par eſt nominamus, ut conſtat eſt his quæ ſubiiciuntur, quæ etiam iam ſuperius retulimus ubi de eis latiùs egimus.

EPITHETA & honorificæ nomenclaturæ, quibus uetuſtiſsimi ſancti patres Eccleſiæ, Miſſæ ſacrificium perpetuò appellarunt.

Dionyſius Areopagita CHRISTI glorioſus Martyr, in De eccleſiaſtica Hierarchia. Diony. in De Eccl. Hierarc.

Sacroſancta & auguſtiſsima myſteria.

Venerandiſsima myſteria.

Cœleſte myſterium.

Sanctæ myſteriorum conſecrationes. Epiſto. ad Demophi lum.

Oblatio ſanctiſsimi ſacrificij.

Conſtantinus Magnus, epiſtola ad Epiſcopos Tiri collectos. Conſtát. Magnus.

Sancta debetis offerre myſteria.

Euſebius Euſebius Pamphili in De demonſtratione Euangelica.
lib. 1. Horrorem afferentia menſæ CHRISTI ſacrificia.
cap. 10. Deo plenum & horrorem afferens, & ſacroſanctum ſacrificium.

Greg. Na Gregorius Nazianzenus.
zianz. Incruentum ſacrificium.
Oratione in Iulian. Ioannes Chryſoſt.
Mortis CHRISTI celebratio.
Chryſoſ. Ho. 21. i Horrendum ſacrificium.
acta Apo. Ineffabilia ſacramenta.
Hom. 41. Sacra myſteria.
i 1. ad cor. Horrenda myſteria.
Hom. 18. i eãd. epi. Horrendiſsima myſteria.
Serm. 3. i Celebratio uenerandorum myſteriorum.
epi. Phil. Myſterium omnium maximè horrendum, uerendumque.
lib. 3. Tremenda myſteria.
de ſacer. Tremendum ſacrificium.
Ho. 6. ad Theodoretus Epiſcopus.
Antioch. Sacrificatio agni Dominici.
Theodor. In Exod. Oblatio ſpiritalis & myſtici ſacrificij.
Oblatio diuini doni.
In Religioſa hiſt. Oblatio diuini myſtici, & ſalutaris ſacrificij.
cap. 20. Sanctus Cyrillus Epiſcopus.
Cyril. cõtra Neſt. Sancti ac uiuifici & incruenti operatio ſacrificij.
Ioannes Damaſcenus.
Damaſc. i Tremendum, & impollutum, uitaleque ſacramentum.
uita S. Ba Incruentum ſacrificium.
laami. Sanctus Ignatius Epiſcopus Nicænus.
Ign. in ui Sacrificium CHRISTI, Agni, qui tollit peccata mundi.
ta S. Tharaſij Epiſ.

Hæc, & alia ſimilia, ſunt nomina quibus ſancti Patres, doctiſsimi & antiquiſsimi, hoc noſtrum diuinum ſacrificiũ nominarunt: ex quibus ſatis conſtant ſua dignitas, excellentia, nobilitas, maieſtas, continentia, uirtus, poteſtas, efficientia. Iſtos ſequimur, ut in fide CHRISTI uiuamus. Moriatur anima mea morte horum iuſtorum, & CHRISTI fidelium.

Refellitur, eliditurq; prima Caluini argumentatio contra Miſſæ ſacrificium ab eo conſtructa. CAP. XVIII.

CV'm ſuperius Melanchthonis obiectiones diſiecerimus, nunc proximum eſt ut cum Caluino noſtrum Miſſæ ſacrificium ſacroſanctũ eleuare, atque abolere adnitente, manus conſeramus. Inquit Caluinus in prima ſua argumentatione. Inſtitutio CHRISTI ſic habet, Accipite & manducate, non autem Offerte. Ergo ſacrificium Miſſæ non ex inſtituto CHRISTI eſt, ſed palàm cum ipſo pugnat.

Reſpondemus, Væ nobis ô Caluine, ſi inſtitutio CHRISTI ſola iſta CHRISTI uerba haberet: quia tunc, neque ſacram Euchariſtiam haberemus ut ſacrificium, neque ut ſacramentum. Et ſic, priuaremur hoc tanto bono, iſtoque Dei cultu, qui præcipuus, uel maximus eſt in ſacræ Euchariſtiæ adoratione, & eius ſummo Patri oblatione: atque hoc ſacramento careremus maximo, & digniſsimo omnium aliorum ſacramentorum. Quare tunc neque ſacram Euchariſtiam haberemus ut ſacrificium, neque ut ſacramentum? Quia per hæc uerba nullo modo conficimus nec conſecramus, nec offerimus. Neque enim per iſta uerba, Accipite & manducate. CHRISTVS confecit, conſecrauit, aut obtulit: neque nos per illa offerimus, conſecramus, aut conficimus. Immo etiam neque per iſta uerba CHRISTVS dedit Apoſtolis, aut nobis in illis poteſtatem conficiendi, conſecrandi, aut offerendi. Sed celebrauit per illa uerba, Hoc eſt corpus meum, & dedit nobis poteſtatem celebrandi in Eccleſia per illa uerba, Hoc facite in meam commemorationem. Vnde & nos in uirtute horum uerborum, Hoc facite in meam commemorationem. habemus poteſtatem celebrandi, quam accipimus per ordinationem legitimam, prout Eccleſia Dei ſemper habuit in uſu à temporibus Apoſtolorum uſque ad hæc noſtra. Conficimus autem in illis uerbis dictis in perſona CHRISTI, Hoc eſt corpus meum. in quibus ipſe Saluator noſter confecit, ut ſemper à patribus

fuit cognitum, & eſt iam modò determinatum. Quod enim in illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationē; Apoſtolis & nobis data ſine dubio ſit poteſtas celebrandi Euchariſtiam in Eccleſia Chriſtiana, iam ſatis monſtratum eſt ſuperius. Quòd uerò Saluator noſter in iſtis uerbis, Hoc eſt corpus meum. confecerit, & quòd nos etiam in iſtis conficimus, non minus eſt notum. Hæc enim ſunt effectiua huius altiſsimi myſterij, & hæc ſunt, in quorum uirtute accidentia panis, corpus uerum CHRISTI ſignificant, & realiter continent. Quia profectò hæc uerba uera eſſe non poſſunt, niſi ſub accidentibus panis uerum corpus CHRISTI exiſtat, aut per illa, ſeu ad eorum prolationem ibi ponatur. Ad hanc ueritatem multa dixerunt uiri ſanctiſsimi, doctiſsimi, atque catholici, antiqui & recentiores: ut Paſchaſius in quodam tractatu de ſacramento, Ambroſius in De ſacramentis, & habetur in De conſecratione. Innocentius in cap. Cum Marthæ. De celebr. Miſſarum. Auguſt. etiam, ut habetur De conſecratione, cap. Vtrum ſub figura. Magiſter Sententiarum, & cum eo omnes doctores Scholæ Chriſtianæ. Alexander de Ales, & poſt eum S. Thomas in ſuis partibus. Atque hoc iam determinatum eſt in Concilio uniuerſali Florentino. Vnde ſatis bene dixit Gabriel Biel in expoſitione Canonis, Forma debet eſſe conueniens in ſignificando, ſacramentali ſigno. Sacramentum autem Euchariſtiæ ſignificat præſentiā corporis CHRISTI, non in uſu, ſed in eſſe permanenti. hoc autem ſignificant hæc uerba, Hoc eſt corpus meū, & nulla alia à CHRISTO in miniſtratione huius ſacramenti dicta, aut in Canone Miſſæ ſcripta. Igitur ipſa ſunt conſecrationis forma. Hæc ille, Sic etiam & Euſebius Emiſſenus docuit, dicens, Inuiſibilis ſacerdos, uiſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, uerbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum. Et ſanctificatione repetita, Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus.

[Margin: Paſcaſius. Ambr. diſt. 2. Innocen. Auguſt. diſt. 2. Magiſter lib. 4. diſt. 8. Alexand. de Ales. S. Tho. par. 3. qō. 78. art. 1. Gabriel lect. 38. Euſebius Emiſſen. De cōſecr. diſt. 2.]

Habet igitur inſtitutio CHRISTI illa quidem uerba, Accipite & manducate, ſed non habet ſola illa uerba, quia immo habet & multa alia. Dum enim Euangeliſtæ referunt

Christi inſtitutionem, ita dicunt, Cœnantibus autem eis, accepit Iesvs panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meũ. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait illis, Sumite, Hoc eſt corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti qui pro multis effundetur. Et accepto pane gratias egit & fregit, & dedit eis, dicens, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in meam com memorationem, &c. Ecce Christi inſtitutio non habet ſolùm illa uerba, Accipite & manducate. quin potius habet & multa alia, ut conſtat ex ſtatim allegatis. Matt. 26. Mar. 14. Lucæ 22.

Quod igitur dicis, Caluine, Inſtitutio Christi ſic habet, Accipite & manducate, uerum eſt. Sed quod addis, dicens, non autem, Offerte. eſt falſiſsimum. Nanque ſicut inſtitutio Christi habet, Accipite & manducate. ita habet utique, Offerte. Vbi hoc habet? In illo uerbo, Hoc facite in meam commemorationem. Obtulit enim Christvs in cœna nouiſsima ſeipſum modo incruento, ſub ſpeciebus panis & uini, atque ſtatim ſubiunxit, dicens, Hoc facite. ideſt, quod ego feci. in meam commemorationem. Cum autem ipſe tunc tunc obtuliſſet, manifeſtum eſt quòd dum oſtendens factum ſuum dixit, Hoc facite. eo ipſo dixit, Offerte. Et quia de hac ueritate iam ſuperius multa diximus circa ſecundam concluſionem primi articuli, & pro illa, ideò hæc ſint ſatis. Falsè ergo & falſum proponis atque ſupponis, quòd inſtitutio Christi non habet, Offerte: & ſimiliter ex tuo falſo principio infers tuum falſum conſequens, dicens, Ergo ſacrificiũ Miſſæ non ex inſtituto Christi eſt. Non eſt mirum. Sic nanque ſolent falſa inferre, qui falſa ſupponunt. Ita qui ſuppoſuiſſet hominem non eſſe animal rationale, intuliſſet hominem non eſſe riſibilem.

Ergo noſtrum ſacrificium Miſſæ, non pugnat cum inſtituto Christi, ſed palàm eſt ex illo: & quia ex illo eſt, cum

illo pugnare non poteſt. Pugnat autem Caluinus cum noſtro Miſſæ ſacrificio illud negando: pugnat cum Christi inſtituto, illud non intelligendo: pugnat cum ipſo Christo contra ipſum docendo. Sed culpa Caluini eſt, quam ò utinam, aliquando exuat atque deponat.

Quid multa? Si rectè atque attentius conſideramus, illa uerba, Accipite & manducate. ex quibus procedit Caluinus, non ſunt de inſtitutione Christi quantum ad uerba conſecrationis eſſentialia, quibus Christus confecit & nos conficimus: quia talia uerba ſunt hæc quatuor, Hoc, eſt, corpus, meum. Neque illa uerba, Accipite & manducate. ſunt ex inſtitutione Christi quantum ad uerba collatiua poteſtatis celebrandi Euchariſtiam in Eccleſia, quibus Christus hanc poteſtatem dedit Apoſtolis, ac nobis in illis: quia talia uerba ſunt hæc, Hoc facite in meam commemorationem. Quid ergo? Nunquid ideo illa uerba, Accipite & manducate. non ſunt de inſtitutione Christi? Abſit. Sunt quidem, ſed alio modo differentiſsimo. Etenim ſunt ex inſtitutione Christi, quantum ad uſum huius ſacramenti & ſacrificij: qui uſus & poteſtatem conſecrandi atque offerendi præſupponit, & ipſum ſacramentum atque ſacrificium iam confectum, ut conſtat omnibus. Niſi enim poteſtas ſit, nemo poteſt hoc ſacramentum aut ſacrificium conficere: & niſi hoc ſacramentum aut ſacrificium fuerit iam confectum, nemo poteſt ex illo accipere, aut manducare. Pertinent igitur hæc uerba, Accipite & manducate. ad inſtitutionem Euchariſtiæ à Christo: ſed hoc, quantum ed eius uſum, illum uidelicet, qui eſt in accipiendo, & ſumendo. Non tamen ſunt hæc uerba de eſſentiali forma conſecrationis, confectionis, aut celebrationis.

Hæc eſt doctrina uera & communis omnium doctorum catholicorum, S. Thomæ, atque cunctorum aliorum Chriſtianæ Scholæ. Opponit S. Thomas ſic, Euſebius Emiſſenus dicit, quòd inuiſibilis ſacerdos uiſibiles creaturas in ſuũ corpus conuertit, dicens, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Ergo totum hoc uidetur pertinere ad formam huius ſacramenti. Et eadem ratio eſt de uerbis pertinentibus ad ſanguinem, &c. Reſpondet autem, dicens, Ad ſecundum

S. Tho. par. 3. qó. 79. art. 1. arg. 2.

cundum dicendum, quòd in his uerbis, Accipite & comedite, intelligitur uſus materiæ conſecratæ, qui non eſt de neceſsitate huius ſacramenti, ut ſuprà habitum eſt. Et ideò nec hæc uerba ſunt de ſubſtantia formæ. Quia tamen ad quandam perfectionem ſacramenti pertinet materiæ conſecratæ uſus, ſicut operatio non eſt prima ſed ſecunda perfectio rei, ideo per omnia iſta uerba exprimitur tota perfectio huius ſacramenti. Et hoc modo Euſebius intellexit his uerbis confici ſacramentum, quantum ad primam & ſecundam perfectionem ipſius. Hæc ille. Simili modo opponit & ſoluit Gabriel Biel ſuper Canonem Miſſæ, dicens, Sed diceres, Christvs in cœna diſcipulis ait, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Si ergo in uerbis Christi fit conſecratio, ad formam pertinent etiam illa uerba Christi, Accipite & comedite. Et per conſequens forma non eſt ſolùm hæc quatuor uerba, Hoc, eſt, corpus, meum. Et ad hoc uidentur ſonare auctoritates ſupraſcriptæ Euſebij, & Ambr. Reſpondet Alex. de Ales, & poſt eum S. Thomas, quòd ſolùm hæc quatuor uerba, ſunt eſſentialia formæ, Hoc eſt corpus meum. & non illa, Accipite & comedite. Cuius ratio eſt, quia per formam exprimi debet aliquod perfectū, uel faciendum circa materiam conſecrandam, uel tranſſubſtantiandam in corpus Christi: per iſta autem uerba, Accipite & comedite, non exprimitur aliquid pertinens ad cōſecrandam, nec ad conſecrationem ipſam ut perfectam: ſed reſpiciunt uſum ſacramenti, qui non eſt de neceſsitate ſacramenti, & ſequitur perfectionem ſeu conuerſionem. Significant enim quòd ſumi debet ſacramentum. quæ ſumptio præſupponit tranſſubſtantiationem iam perfectam. Et ita per hæc uerba, Hoc eſt corpus meum. exprimitur tota perfectio huius ſacramenti, ſcilicet præſentia ueri corporis Christi, quæ eſt de eſſentia ſacramenti, & ſufficit etiam ſine uſu eius. Quod autem adduntur illa, accipite & comedite, Ab Euſebio & Ambr. dicitur quòd quandoq; adduntur, quandoque non, ut patet in diuerſis auctoritatibus. Quando autem adduntur ſiue à ſanctis ſiue in canone, non adduntur tanquàm ſint eſſentialiter de forma, cui uirtus tranſſubſtantiandi data eſt: ſed quia illis exprimitur,

Ibid. ad ſecūdū arg.

Gabriel lect. 38. litera H.

quòd propter hoc ſit conſecratio huiuſmodi ſacramenti, ut id, quod conſecratur, ſumatur in uſum, ideſt, in cibum fidelium. Ipſa enim conſecratio non eſt ſimpliciter finis conſecrantis, ſed potius uſus fidelium. Ad hoc enim conſecratur corpus & ſanguis, ut fideles eo utantur manducando: & manducantes, capiti & membris fortius uniantur: quod inſinuare uolentes, addunt formæ, Accipite & comedite. Poteſt etiam dici quòd aliqua dupliciter dicuntur eſſe de forma, uel quia eis data eſt uirtus tranſſubſtantiandi; & illa ſunt eſſentialia, & de neceſsitate formæ: uel illa quæ non ſunt ſolùm eſſentialia, ſed præcipiunt uſum ſacramenti; & ſic uerba, Accipite & comedite, ſunt de forma. Hæc Gabr.

Eliditur ſecunda Caluini obiectio. CAP. XIX.

SEcunda argumẽtatio Caluini ſic habet, Præterea conſtat ex ſcripturis hoc peculiare & proprium fuiſſe CHRISTI officium, ſeipſum offerre: ſicut dicit Apoſt. ipſum una oblatione in perpetuum ſanctificaſſe ſuos. Item ſemel apparuiſſe per oblationem ſui; &c.

Reſpondemus, Certè CHRISTO Saluatori noſtro conuenit ſacerdotium. Sic enim de illo prædictum erat, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. & ſic in eo impletum eſt, ut dicit Apoſt. Habemus Pontificem, qui penetrauit cœlos, Ieſum filium Dei. Et cum propriè officium ſacerdotis ſit eſſe mediatorem inter Deum & populum, ut Apoſt. ait, Omnis nanque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut afferat dona & ſacrificia pro peccatis: hoc maximè conuenit CHRISTO, per quem maxima & precioſa nobis promiſſa donauit, ut per hoc efficiamur diuinæ conſortes naturæ: qui etiam humanum genus Deo reconciliauit, & in quo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia. Vnde CHRISTO maximè conuenit ſacerdotium. Fuit etiam CHRISTVS ſimul ſacerdos & hoſtia, prout declarat Apoſt. dicens, CHRISTVS dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem &

Pſal. 109. Hebr. 4. Hebr. 5. 2. Pet. 1. Coloſ. 1. Epheſ. 5.

hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Immo & CHRISTVS inquantum homo, non ſolùm fuit ſacerdos, ſed etiam hoſtia perfecta; ſimul exiſtens hoſtia pro peccato, & hoſtia pacifica, & holocauſtum. Nãque per ipſum & eius humanitatem ſacratiſsimam, noſtra peccata deleta ſunt, quia, Traditus eſt propter delicta noſtra: gratiam nos ſaluantem per ipſum accepimus, quia, Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ, ac per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus, quia, Habemus fiduciam per ſanguinem eius in introitum ſanctorum, ſcilicet in gloriam cœleſtem. Ad idem poſſunt multa alia adduci ex diuinis ſcripturis, quæ breuitatis cauſa omittimus. Rom. 4. Hebr. 5. Heb. 10.

Concedimus igitur peculiare, & proprium fuiſſe CHRISTI officium, ſeipſum offerre: concedimus ipſum una oblatione conſummaſſe in ſempiternùm ſanctificatos: & concedimus ipſum ſemel apparuiſſe per oblationem ſui. Omnia enim hæc uera ſunt. Sed nihil horum facit aut pro tua, ò Caluine, falſitate, aut contra noſtram ueritatẽ. Fuit enim proprium CHRISTI officium, offerre ſeipſum in ara crucis pro ſalute noſtra, & ibi dare ſeipſum redemptionem pro omnibus: & in iſto modo offerendi ſeipſum cruentè in mortem, non uoluit ipſe habere ſocium, nec ſucceſſorem, nec miniſtrum ullum, qui offerret aut offerat unquam ipſum. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit. Semel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Reſurgens ex mortuis iam non moritur, & mors illi ultrà non dominabitur. Et quia ipſa hoſtia ſeu oblatio erat potentiſsima, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Fuit etiam proprium CHRISTI officium, offerre ſeipſum modo incruento ſub ſpeciebus panis & uini: & in iſto modo offerendi permanenter in ſua ſancta Eccleſia uoluit ipſe habere non ſocios, nec ſucceſſores proprie dictos, ſed miniſtros. Noſtrum autem miniſterium nullo modo derogat ſuæ proprietati: quin potius eam magis exaltat, & commendat. Simili modo proprium CHRISTI officium eſt, remittere peccata: quia ipſe eſt, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Deditque nihilominus poteſtatem nobis, qua poſsimus remittere peccata, aut retinere, dicens, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeri- Hebr. 5. 7. 9. 10. 1.Tim. 2. Ioã. 1.

Ioan. 20. tis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retẽta ſunt. Nunquid hoc eſt contra eius proprietatem, quòd nos fecit & habet miniſtros ſuos in remittendis, aut retinendis peccatis? Abſit. Sic ergo in propoſito. Nec enim maior eſt ratio de uno, quàm de alio. Nihil ualet igitur iſta tua argumentatio, ô Caluine: quia noſtrum miniſterium nullo modo eſt contra CHRISTI proprietatem, ſed eſt ab illa, per illam agit, & in illa conſeruatur, ut conſtat, tum per ſe, tum ex dictis. Miniſtri enim eius ſumus, ſicut planè dicit Apoſt. Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros CHRISTI, & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Porrò quæ addis, ipſum (uidelicet CHRISTVM) una oblatione in perpetuum ſanctificaſſe ſuos, ac ſemel apparuiſſe per oblationem ſui, uerisſima ſunt, ut iam diximus. ſed nihil faciunt aut pro te, aut contra nos, quia, ut manifeſtum eſt, de oblatione CHRISTI in cruce loquuntur.

Quod uerò addis ultrà, dicens, Nam & in hunc finem conſecratus fuit ſacerdos ſecũdum ordinem Melchiſedech, ſine ſucceſſore uel ſocio. uerbum eſt omnino extra rem. Primùm, quia Saluator noſter non ſolùm in hunc finem conſecratus fuit ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ut offerret ſeipſum in cruce, ſed etiam ut offerret in pane & uino. Nanque ſacerdotium Melchiſedech in pane & uino
Geneſ. fuit, ut habemus ex lib. Geneſeos: & ſecundum illum ordinem, prædictum fuit ſacerdotium CHRISTI futurum, ſicut in pſal. legimus, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordi-
Pſal. 109. nem Melchiſedech. Secundò, quia ſiue conſideremus ſacerdotium CHRISTI, prout ipſe obtulit ſeipſum in cruce, ſiue prout ſeipſum obtulit ſub ſpeciebus panis & uini, ſemper CHRISTVS eſt in offerendo ſine ſucceſſore uel ſocio. Conſtat ſine dubio, de ſacrificio crucis. Et non ſecus conſtat de ſacrificio Euchariſtiæ. Quomodo conſtat de ſacrificio Euchariſtiæ? Quia nos ſacerdotes in conficiendo, cõſecrando, aut offerendo, nequaquam ſumus CHRISTI ſucceſſores, aut ſocij, ſed ſumus eius miniſtri, ut paulò ante dicebamus. Non enim conficimus in uerbis noſtris, ſed in uerbis CHRISTI: nec in perſona noſtra dicimus uerba illa, ſed in perſona ipſius.

Vt re uera, CHRISTVS ipſe ſit, qui principaliter per nos coficit, conſecrat, offert: & nos ſimus in hac re, ſolùm miniſtri eius, non ſucceſſores, aut ſocij. Ita generaliter dicit Apoſtolus, Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros CHRISTI & diſpenſatores miniſteriorum Dei. Ita etiam ſpecialiter intellexerunt omnes doctores ſancti, in iſto diuino ſacrificio conficiendo, aut celebrando. Quamobrem S. Thomas ſic docuit, Formæ aliorum ſacramentorum proferuntur ex perſona miniſtri, ſiue per modum exercentis actus, ſicut cum dicitur, Ego te baptizo, uel, Ego te confirmo; ſiue per modum imperantis, ſicut in ſacramento ordinis dicitur, Accipite poteſtatem, &c. ſiue per modum deprecantis, ſicut cum in ſacramento extremæ unctionis dicitur, Per iſtam unctionem & noſtram interceſsionem, &c. Sed forma huius ſacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius CHRISTI loquentis, ut detur intelligi, quòd miniſter in perfectione huius ſacramenti nihil agit, niſi quòd profert uerba CHRISTI. Hæc ille. Nos igitur CHRISTI ſacerdotes, non ſumus CHRISTI ſucceſſores: quia ipſe uiuit & regnat, atque principaliter per nos offert; ſicut principaliter per nos baptizat, & principaliter per nos abſoluit. Iterum neque ſumus CHRISTI ſocij in conſecrando, abſoluendo, uel baptizando: quia ipſe ut Deus habet poteſtatem auctoritatis, & ut homo habet poteſtatem excellentiæ, quibus hæc facit auctoritatiuè (ut noſtri dicunt) & excellenter: nos autem ſolummodò habemus poteſtatem miniſterialem, qua hæc facimus duntaxat miniſterialiter. Vnde non ſumus ſocij eius, ſed miniſtri. Miniſter autem habet ſe per reſpectum ad Dominum, ſicut ſe habet inſtrumentum per reſpectum ad principale agens.

S. Tho. par. 3. q̄o. 78. art. 1.

S. Tho. cōtra Gētil. lib. 4. cap. 74.

Simili modo quod dicis ô Caluine, Sacerdotij itaque honore ſpoliatur CHRISTVS, cùm ius ipſum offerendi transfertur ad alios, uerbum eſt uanum, inane atque falſum. Quandoquidem ius iſtud offerendi non ſic transfertur à CHRISTO in alios, ideſt, in nos ipſos ſacerdotes ſuos, ut ipſe CHRISTVS hoc iure priuetur, aut hoc ius in CHRISTO ullo mòdo minuatur; ſed ſic ad nos transfertur, ut in ipſo perfectiſsimè atque ſine ulla diminutione maneat. Omni-

nõ ſicut ius baptizandi, & ſicut ius abſoluendi à peccatis. Retinet enim ipſe totum ius auctoritatis, pariter & totum ius excellentiæ: neque nobis commiſit aut committit, niſi ſolum ius miniſterij. Quia ut iam dictum eſt, & ſatis per ſe conſtat, non ſumus ſucceſſores Christi neque ſocij, ſed ſolùm ſumus miniſtri eius, in offerendo, conſecrando, baptizando, uel abſoluendo: ut ipſe ſit ſolus ſacerdos principalis, nos uerò ſimus ſacerdotes miniſteriales. Non eſt autem contra honorem Domini, quòd ipſe multos habeat miniſtros: ſed potius hoc declarat ipſius Domini maieſtatem, excellentiam, dignitatem, & amplitudinem. Ad Christum igitur pertinet ius tollendi ac remittendi peccata, iuſque baptizandi in Spiritu ſancto, ſicut legimus, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Super quem uideris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. A' Christo data eſt nobis tum poteſtas remittendi peccata, tum poteſtas baptizandi in Spiritu ſancto, quemadmodum legimus, Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Accipite Spiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed in re huiuſmodi nequaquam iſta iura ita transferuntur ad nos, ut Christus ſpolietur ſuo honore. Ergo idem eſt, & ſimili modo eſt dicendũ de iure offerendi, quod nobis communicauit Christus, dicens, Hoc facite in meam commemorationem. Nihil ergo facit hoc uerbum Caluini, niſi quòd ſatis declarat ipſius Caluini in diuinis ſcripturis ignorantiam uel inconſiderationem. Sed & de his etiam infrà non nihil.

Ioan. 1. *Ibid.* *Matt. 28.* *Ioã. 20.* *Lucæ 22.*

Vt apparet, tota cauſa ſiue occaſio, qua Caluinus in iſtum errorem peruenit, quo ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacrificiũ negat, ea uidetur eſſe, quòd in ſacerdotio Christi ſecundum ordinem Melchiſedech, nullum modum recognoſcit offerendi niſi illum ſolum, quem Saluator noſter ipſe Christus ſeruauit, dum ſeipſum pro nobis in cruce obtulit. Videt nanque, quòd Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Hebræos, in qua de hac ſola Christi oblatione loquitur, Christum ipſum appellat ſacerdotem ſecundũ ordinem Melchiſedech, quaſi ipſa oblatio ſeu ipſe modus offerendi, ad ſacerdotium

Melchiſedech pertineat, aut pertinuerit. Et hinc, neſcio quo ſpiritu erroris ductus Caluinus, putat eam prophetiam de CHRISTO, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. in modò ſeu actu offerendi cruentè in mortem crucis, fuiſſe impletam, tanquàm nullus alius modus offerendi pertineat ad ſacerdotium CHRISTI ſecundum illum ordinem.

Nos autem Chriſtiani catholici, qui antiquam fidem & ueram retinemus, longè alio modò eandem Apoſtoli Pauli epiſtolam ad Hebræos intelligimus, nimirum prout omnes ſancti doctores à principio naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ, ad hanc uſque diem intellexerunt. Ita uidelicet, ut per illum modum offerendi, quem Dominus ſeruauit, dum ſe obtulit in cruce, nullo modo excludatur ille modus offerendi, quē Dominus ſeruauit, dum ſe obtulit in Euchariſtia. Intelligimus enim quòd dum CHRISTVS ſe in cruce obtulit, ſimilitudinem quādam habuit Melchiſedech offerentis. Tum ex illis, quæ Apoſtolus memorat, dicens, Hic enim Melchiſedech, rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primùm quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ, deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem uitæ habens, aſsimilatus autem Filio Dei manet, ſacerdos in perpetuum. Tum ex eo, quòd quantum ad participationem ſacrificij CHRISTI in cruce & eius effectū expreſsius prefigurabatur per ſacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem & uinum, ſignificantia eccleſiaſticam unitatem, quam participatio ſacrificij CHRISTI conſtituit. Atq; intelligimus etiam ſacrificium CHRISTI in cruce ſimilitudinem tenuiſſe quandam ſacrificij ſeu ſacerdotij legalis, & ſpecialiter ſacrificij expiationis quod fiebat ſemel in anno pro peccato totius populi: ut Apoſtolus notat frequenter in eadem epiſtola, explicans tamen ſacrificij CHRISTI excellentiam in multis, ſimul & ſufficientiam ampliſsimam. Ad quam ſimilitudinem abundantius explicandam dixit expreſsè, Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem, horum

Hebr. 7.
Gen. 14.
Hebr. 7. 9. 10.
Hebr. 13.

corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Vnde & ſancti doctores catholicè atque ſubtiliſſimè & uerè oſtendunt, ſacerdotium, ſeu ſacrificium Christi in cruce ſecundum aliquam rationem expreſsius ſignificatum, aut præfiguratum fuiſſe per ſacerdotium legale ſeu Aaronis, & ſecundum aliam rationem expreſsius per ſacerdotium aut ſacrificium ante legem ſeu Melchiſedech. De qua re S. Thomas ita dicit, In ſacerdotio Christi duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſa oblatio Christi, & participatio eius. Quantum ad ipſam oblationem, expreſsius figurabat ſacerdotium Christi ſacerdotium legale per ſanguinis effuſionem, quàm ſacerdotium Melchiſedech, in quo ſanguis non effundebatur. Sed quantum ad participationem huius ſacrificii, & eius effectum (in quo præcipuè attenditur excellentia ſacerdotij Christi ad ſacerdotium legale) expreſius præfigurabatur per ſacerdotium Melchiſedech, qui offerebat panem & uinum, ſignificantia, ut Auguſtinus dicit, Eccleſiaſticam unitatem, quam conſtituit participatio ſacrificij Christi. Vnde etiam in noua lege uerum Christi ſacrificium communicatur fidelibus ſub ſpeciebus panis & uini. Hæc ille.

S. Tho. par. 3. qō. 22. art. 6. ad ſecūdū arg.

His tamen ita optimè intellectis, nullus doctor catholicus hactenus id contendit, ut diceret, in ea epiſtola negari Christum alibi obtuliſſe alio modo, in quo quantum ad ſpeciem ſenſibilem ſacrificio Melchiſedech magis aut ſignificantius, ſeu expreſsius reſponderet. Quin potius in eo conuenerunt ſemper omnes doctores ſancti, ut omnes conformiter docerent, Saluatorem noſtrum in cœna nouiſsima obtuliſſe in pane & uino ſecundum ordinem Melchiſedech, iuxta ſancti Dauid prophetiam: ut Aguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſt. Euſebius, & alij penè infiniti, quos memorauimus. Neque ullo modo fieri poteſt, ut ex eo quòd Saluator noſter ſeipſum in cruce offerens, dicitur tenere ſimilitudinem Melchiſedech in pane & uino olim offerentis, tanquàm ſacrificium crucis per ſacrificium Melchiſedech fuerit adumbratum, & aliquo modo ad illud ſacerdotium pertineat, ſequatur in bona conſequentia uel apparenti,

parenti, CHRISTVM non alibi nec alio modo obtuliſſe. Nequaquam enim tale quid ſequitur, ut mortales omnes etiam qui ſunt extra religionem noſtram & fidem, optimè iudicare poſſunt.

Si dixerit Caluinus, Ad quid ergo Paulus Apoſt. agens de ſacrificio CHRISTI in cruce: ita diſertè adducit de CHRISTO quòd erat ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, tanquàm ſacrificium crucis ad illum ordinem pertineat? Reſpondemus, Non ut uelit aliquo modo dicere, aut inſinuare, quòd CHRISTVS nullo alio modo obtulerit ſecundum ordinem Melchiſedech: ſed ut palàm faceret, quòd CHRISTVS ita ſe in cruce offerens, ſimilitudinem Melchiſedech tenuit. Melchiſedech enim dictus eſt ſine patre, & ſine matre, & ſine genealogia, & quod non habet initiũ dierum, neque finem: non quia iſta non habuerit, ſed quia in ſcriptura ſacra iſta de eo non leguntur. Et per hoc ipſum, ut Apoſtolus ibidem dicit, aſsimilatus eſt Filio Dei; qui in terris eſt ſine patre & in cœlis ſine matre, & ſine genealogia; ſecundum illud, Generationem eius quis enarrabit? & ſecundum diuinitatem neque principium, neque finem dierum habet. Hebr. 7. Eſaiæ 53.

Fuit etiam conueniens maximum, & quodam modo neceſſarium, ut Apoſtolus hoc ibi in ea epiſtola declararet ad Hebræos, in qua CHRISTVM prædicabat Pontificem ſummum, qui per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta, offerens ſemetipſum pro nobis hoſtiam ſanctiſsimam & potentiſsimam, atque ex omni parte mundam, in qua ceſſarent omnes hoſtiæ, oblationes, holocauſta, & ſacrificia legis. Cum enim ita doceret, & ſimul diceret eundem CHRISTVM eſſe Meſsiam in lege & pſalmis & Prophetis promiſſum: neceſſe fuit ut hæc Iudæis dicens, oſtenderet ipſum CHRISTVM tali modo offerentem & per tale ſacrificium ſacrificiis legis finem imponentem, fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Sciebant nanque Iudæi CHRISTVM futurum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinẽ Melchiſedech, iuxta ſancti Dauidis prophetiam: & quia ſacrificium crucis non habebat manifeſtam ſimilitudinẽ cum Melchiſedech ſacrificio, quod

fuit in pane & uino: oportuit Apoſtolum ita aſſerere, atque aliunde ſimilitudinem demonſtrare, ſicut & fecit. Vt ergo Apoſt. mitigaret Iudæos, eosque ad fidem ueram Chriſtianam, quam prædicabat, prouocaret, opus fuit, ut oſtenderet, quòd CHRISTVS Dominus noſter ſeipſum pro nobis in cruce offerens, ſimilitudinem Melchiſedech retinuit. Sacerdotium legale, fuit figura ſacerdotij CHRISTI, ut conſtat ex multis; non quidem quaſi adæquans ueritatem, ſed multum ab ea deficiens. Tum quia ſacerdotium legale non mundabat peccata; tum etiã quia non erat æternum, ſicut æternum eſt CHRISTI ſacerdotium. Vnde tam ex his, quàm ex multis aliis, ſacerdotium CHRISTI ſupra modum excedebat ſacerdotium legale. Ipſa autem excellentia ſacerdotij CHRISTI ad ſacerdotium Leuiticum, fuit figurata in ſacerdotio Melchiſedech, qui ab Abrahã decimas ſumpſit, Hebr. 7. in cuius Abrahami lumbis decimatus eſt quodam modo ipſe ſacerdos legalis, & qui Melchiſedech ipſi Abrahæ benedixit, quidem tanquàm maior. Ideo ſacerdotium CHRISTI dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, propter excellentiam ueri ſacerdotij ad figurale ſacerdotium legis. Et CHRISTVS non dicitur eſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, quaſi principalioris: ſed quaſi præfigurantis excellentiam ſacerdotij CHRISTI ad ſacerdotium Leuiticum, & quaſi eius, qui ſecundum quòd in diuinis ſcripturis legimus, primus ſacerdos Dei altiſsimi in pane & uino obtulit. Satis ergo fuit Apoſtolo, & quidem quodam modo neceſſarium, ut ubi dicebat Iudæis CHRISTVM uerum Meſsiam obtuliſſe, ibi ſimilitudinẽ Melchiſedech oſtenderet. Alioquin Iudæi prædicationem ſuam non reciperent, qui ſciebant de CHRISTO eſſe prædictum, quòd futurus eſſet ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc igitur fuit cauſa, qua ductus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, ubi de ſacrificio CHRISTI in cruce egit, ſacerdotium CHRISTI ſecundum ordinẽ Melchiſedech ex aliqua ſimilitudine oſtenderit; non autem ut negaret CHRISTVM alibi etiam ſecundum ordinem Melchiſedech obtuliſſe.

Tertia Caluini obiectio refellitur. CAP. XX.

TErtia argumentatio Caluini ſic habet, Poſtremò nemo uſurpare debet hunc honorem, niſi à Deo uocatus, teſte Apoſtolo. Nemo autem præter CHRISTVM uocatus legitur.

Reſpondemus, Primùm quidem ſic, Verum eſt, quòd nemo uſurpare debet hunc honorem niſi à Deo uocatus: uerùm eſt, inquam, ita in hoc, quemadmodum & in multis aliis. Quam ueritatem ò Caluine, utinam tu intelligeres, utinam obſeruares: Tunc enim uideres, miniſtri CHRISTI, miniſtri Eccleſiæ, miniſtri Euangelij, quales eſſe, & quo modo intrare debent aut ordinari. Non ut tu, nec ut tui, qui contra ius, & contra ordinem hactenus obſeruatum in Eccleſia Dei, uos intruditis in ea, ad quæ non miſsi eſtis, non uocati, non ordinati: & facitis quæ non debetis, neque poteſtis, ut uobis omnia expediant, etiam quæ uobis non licent.

Secundò dicimus, Falſum eſt omnino quod ſequitur, Nemo autem præter CHRISTVM uocatus legitur: Ad iſtud nanque officium, munus, opus, aut ad functionem iſtam offerendi CHRISTVM in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & uini, uocati ſunt Apoſtoli in illo uerbo Domini, Hoc facite in meam commemorationem. Obtulerat enim tunc tunc CHRISTVS, immo & tunc etiam erat in ipſa oblatione. Quamobrem, quia tunc Apoſtolis dixit, Hoc facite in meam commemorationem, eos ſine dubio ad hoc officium, Lucæ 22.
munus, opus, functionem, aut honorem offerendi ipſum met upcauit. Ita ſemper intellexerunt hoc uerbum Domini, omnes ſancti doctores, qui ad hanc uſque diem fuerunt in Eccleſia Chriſtiana, ut conſtat ex ſupra dictis ad ſecundam concluſionem primi articuli: in qua dictum eſt, & circa quam probatum fuit, Saluatorem noſtrum in cœna nouiſsima obtuliſſe ſeipſum ſub ſpeciebus panis & uini. In quo etiam uerbo data eſt Apoſtolis poteſtas conſecrandi & offerendi, ſicut fecerat ipſe CHRISTVS: ut etiam latè ſatis fuit oſtenſum ſuperius, ad articulum tertium. Cum autem

illa poteſtas fuerit data Apoſtolis propter Eccleſiam, propterquam ipſe CHRISTVS paſſus eſt: rectè ſemper exiſtimatum fuit, illam poteſtatem datam fuiſſe Apoſtolis non pro ſeipſis tantùm, ſed & pro omnibus illis, quibus ipſi eam communicarent; Vt per talem communicationem immediatam, uel mediatam ab ipſis, ſemper ſit in Eccleſia hæc poteſtas, uſquè in finem ſæculi. Fit autem hæc communicatio, per legitimam ordinationem; quæ legitima ordinatio nuſquam & nunquam eſt, niſi ſit ab eo, qui talem poteſtatem habet, & facultatem communicandi illam. De quibus rebus, ideſt, de legitima ordinatione talium miniſtrorum, & de eo à quo fieri debet, de modo etiam ordinandi, deq; temporibus, ætate & qualitate ordinandorum, multa optimè habentur in ſanctis conciliis uniuerſalibus, in

Lucæ 22. ſacris canonibus, & apud doctores ſanctos. Apoſtoli igitur Domini primùm à Domino ad hanc poteſtatem uocati ſunt, in illo prædicto uerbo: & quia illam non acceperunt pro ſeipſis tantùm, ſed & pro ſuis ſucceſſoribus in illa, quam communicauerunt ipſi & ſui ſucceſſores poſt ipſos, per ordinationem legitimam: fit conſequens manifeſtè, ut omnes, qui modò ad illam legitimè ordinantur, ſine dubio à Deo uocati ſint, & à Deo uocati dici debeant.

Simile eſt omnino de iſto honore offerendi, & de honore conſecrandi: quia utraque poteſtas eſt circa corpus CHRISTI uerum, & neutra eſt ſine honore: immo quia una, & eadem poteſtas eſt, non multiplicata, nec diuiſa, ad conſecrandum & offerendum. Quid ergo, nunquid aliquis non uocatus à Deo, debet uſurpare hunc honorem conſecrandi? Nunquid nemo præter CHRISTVM ad iſtum honorem conſecrandi uocatus legitur? Nunquid nemo præter CHRISTVM ad iſtum honorem conſecrandi in Eccleſia uocatus eſt à Deo? Abſint hæc à uocibus, & cordibus Chriſtianis. Quidem officium iſtud, munus, opus, ſeu functio conſecrandi corpus CHRISTI in Euchariſtia ſacratiſſima, ſine honore eſſe non poteſt: & ſi ei ab aliquibus honor non præſtetur, proculdubio honor ei ab omnibus, ubique,

Ambr. & ſemper debetur. Vnde Ambroſius, multa ſcripſit de dignitate ſacerdotali. Nemo etiam poteſt aſſumere ſibi iſtum

honorem, niſi à Deo uocatus: tum propter multa alia, tum propter eius qualitatem, proprietatem, & naturam altiſsimam. Sunt inſuper multi in Eccleſia Chriſtiana qui hoc officium habent, & miniſterium, & honorem. Ergo & iſti à Deo uocati ſunt. Aut ſi à Deo uocati non ſunt, quare iſtum honorem uſurpant? quare tolerantur? quare permittuntur à Deo non uocati, coràm Deo miniſtrare, in tanto honore, & officio altiſsimo? Vocati ſunt ergo. Vbi, nam, quando, & quomodo? Vbi & quando ordinantur, atque per ordinationem. Sicut enim baptizato conceditur à CHRISTO poteſtas ſumendi hoc ſacramentum: ita ſacerdoti cum ordinatur, confertur poteſtas hoc ſacramentum conſecrandi in perſona CHRISTI. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt à Domino, Hoc facite in meam commemorationem. Igitur quemadmodum in Eccleſia multi uocati ſunt à Deo, ad honorem conſecrandi: ita in Eccleſia multi uocati ſunt à Deo, ad honorem offerendi. Eadem enim eſt poteſtas, eademque ratio. Vnde ſingulis ordinatis in presbyteros dicit Epiſcopus, Accipe poteſtatem conſecrandi, & offerendi in Eccleſia ſacrificium, tam pro uiuis quàm pro mortuis, ſeu defunctis. Et forma ordinationis ſacerdotum ſecundum ſacrum concilium uniuerſale Floren. Conciliũ Florent.
ſic habet, Accipe poteſtatem offerendi ſacrificiũ in Eccleſia pro uiuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ita igitur conſtãt ſibi, atque omnibus ſanctis patribus omnia noſtra, quia ſunt ueriſsima.

Epiſcopi Epheſi fuerunt poſiti Epiſcopi in grege dominico à Spiritu ſancto, ut regerent Eccleſiam Dei, ut manifeſtè dicit Apoſt. illis loquens, Attendite uobis & uniuerſo gregi, Act. 20.
in quo uos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. An fuerunt illi Epiſcopi à Spiritu ſancto poſiti, & non fuerunt à Deo uocati? Abſit talis iniuria, abſitque tantus error. Non enim hæc ita diuiduntur, ut Spiritus ſanctus ponat, quos Deus non uocat. Eſt enim Spiritus ſanctus, uerus Deus: atque opera Trinitatis ad extra, ſunt indiuiſa. Igitur ſine dubio illos Epiſcopos ad illam functionem uocauit Deus, quos in ea poſuit Spiritus ſanctus. Sed quomodo eos uocauit? Non

dubium, quin per ipſius Apoſt. ordinationem. Aliam enim uocationem illorum à Deo nec nos nouimus, nec patres noſtri nouerunt unquam. Non ſecus modò in Eccleſia illi à Spiritu ſancto ponuntur, & à Deo uocantur, quos legitimi Apoſtolorum ſucceſſores in officio ordinandi, legitimè ordinant. Cum enim illa poteſtas ordinandi data fuerit Apoſtolis propter Eccleſiam, quidem non migrauit cum ipſis; ſed manſit in Apoſtolorum ſucceſſoribus, ut per ipſos ſucceſsiuè ſemper ſit in Eccleſia, uſque in conſummationem
Epheſ. 4. ſæculi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI.

Malè igitur ſupponis, falſeque, ò Caluine, neminem præ-
Lucæ 22. ter CHRISTVM uocatum legi. Nanque & Apoſtolos uocatos legimus in illo uerbo, Hoc facite in meam commemoratio-
Act. 20. nem. & Epiſcopos Epheſi in illo uerbo, Attendite uobis & uniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit uos Epiſcopos, &c. Ex iſtis autem atque ex aliis allegatis ſtatim, infallibiliter credimus, omnes noſtros miniſtros legitimè ordinatos, à Spiritu ſancto poſitos, & à Deo uocatos. Sic tamen, ut nullus unquam uocatus ſit ſicut CHRISTVS. CHRISTVS enim uocatus eſt ut Filius, ut Dominus, ut caput, ut princeps. Apoſtoli autem & eorum ſucceſſores uocati ſunt & uocantur ut ſerui, ut miniſtri.

Caluini quarta & ult. obiectio eliditur. CAP. XXI.

QVarta argumentatio Caluini ſic habet, Rurſum cùm promiſsio ad eos ſolos deſtinetur, qui ſacramento communicant, quo iure ad mortuos pertinebit?

Reſpondemus, Sacra Euchariſtia ſicut uerè eſt ſacramentum, ita uerè eſt ſacrificium: & ſic etiam habet ſuas uires, ſuoſque effectus, ut iam ſatis dictum eſt, & monſtratum. Vt ſacramentum, habet ſuam promiſsionem deſtinatam quidem ad ſumentes ſeu communicantes: ſed ut ſacrificium, habet ſuam promiſsionem deſtinatam illis pro quibus offertur. Quòd ergo dicis, ò Cal-

uine, promiſsionem ad eos ſolos deſtinari, qui ſacramento communicant, falſum eſt omnino, ſi intelligatur ſimpliciter de promiſsione Euchariſtiæ, comprehendente Euchariſtiam ut ſacramentum, & ut ſacrificium. Sed uerum eſt, ſi intelligatur de promiſsione Euchariſtiæ, ſolùm prout eſt ſacramentũ: quia Euchariſtia prout eſt ſacramentum, eſt quidam ſpiritalis cibus, ſolis illis proficiens à quibus ſumitur. Non ſic eſt autem de promiſsione Euchariſtiæ, prout eſt ſacrificium; quia Euchariſtia prout eſt ſacrificium, etiam ad alios protenditur, ad omnes uidelicet pro quibus offertur, ut conſtat ex dictis.

Quando igitur quæris de promiſsione Euchariſtiæ, ſeu de ipſa Euchariſtia, quo iure ad mortuos pertinebit? Reſpondemus tibi, quòd, iure ſacrificij. Ius enim ſacrificij latè patet, ad omnes uidelicet pro quibus offerimus: ſufficitque nobis cognoſcere, ſacram Euchariſtiam eſſe ſacrificium, quod nobis ſucceſsit in locum omnium ſacrificiorum præcedentium, ut ſtatim cognoſcamus hoc eius ius. Ita ſancti Patres in ſacra Euchariſtia hoc ius cognouerũt, quia illam eſſe ſacrificium omnino crediderunt. Auguſtinus, Ambr. Grego. Chryſoſt. & alij ſuperius nominati. Iure igitur ſacrificij pertinet Euchariſtia, ſeu eius promiſsio ad alios etiam, quàm ad ſolos communicantes ſacramento: ad eos uidelidet uiuos, aut mortuos, pro quibus offertur, & facultatem habent eam, ut participent illud ſacrificium, ſeu eius fructum. Agnoſce, ò Caluine, noſtram ſacram Euchariſtiam eſſe ſacrificium, & cognoſces quo iure illa, ſeu eius promiſsio, ad mortuos pertineat.

Ambroſius quidem in prima precatione præparante ad Miſſam, accedens ad altare Dei, & docens nos quid facere, aut pro quibus orare debeamus, cùm ad Dei altare accedimus; poſtquàm iam orauit pro uiuis, dicit orãdo pro mortuis, Rogamus etiam te ſancte Pater, pro ſpiritibus fidelium defunctorum, ut ſit illis ſalus æterna, ac perpetua ſanitas, gaudium & refrigerium ſempiternum, hoc magnum pietatis ſacramentum. Domine Deus meus, ſit illis hodie magnum & plenum gaudium, de te pane uiuo & uero, qui de cœlo deſcendiſti, & das uitam mundo, de carne ſancta

Amb. offert pro defunctis

& benedicta, Agni uidelicet immaculati, qui tollis peccata mundi. Et portari de fonte pietatis tuæ, qui per lanceam militis de latere emanauit crucifixi Domini noſtri: ut conſolati exultent in laude & gloria tua ſancta. Peto Domine, clementiam tuam, ut deſcendat ſuper hunc panem, & calicem iſtum plenitudo diuinitatis tuæ. Deſcendat etiam Domine, illa ſancti Spiritus tui inuiſibilis forma, & incompræhenſibilis maieſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem ſuum efficiat, & me indignum ſacerdotem tuum doceat tantum tractare myſterium, ita ut placidè ac benignè ſacrificium ſuſcipias de manibus meis ad ſalutem omnium, tam uiuorum, quàm defunctorum. Hæc ille. Ecce offerebat Ambroſius, etiam pro defunctis: qui, ut iam ſuperius diximus, & ex illo poſuimus, etiam orabat pro uiuis, & pro toto populo Chriſtiano.

Iacobus in Liturgia ſua.

Iacobus Apoſt. prout manifeſtè ſatis cernere eſt in ſua Liturgia, etiam pro uiuis & defunctis fidelibus offerebat, qui ita nos docebat dicere, inter offerendũ, Domine Domine, qui uiſitaſti nos in miſericordia & miſeratione, & nobis abiectis peccatoribus ac indignis ſeruis tuis, conceſsiſti, ut confidentes accederemus ad ſanctum altare tuum, & offerremus tibi uerendum hoc & incruentum ſecrificium pro noſtris peccatis, & ignorantiis populi, reſpice, &c.

Idé orat & offert pro uiuis.

Idem infrà, Deus, qui propter magnum atque ineffabilem erga homines amorem, miſiſti Filium tuum unigenitum in mundum, ut ouem errantem reduceret, ne auerſeris nos peccatores, uerendum hoc, & incruentum ſacrificium attrectantes: non enim noſtra iuſtitia confidimus, ſed benigna miſericordia tua, qua genus noſtrum redimis: ſupplicamus & imploramus bonitatem tuam, ne myſterium hoc, quod ad ſalutem nobis diſpenſatum eſt, in condemnationem populo ſit: ſed in abolitionem peccatorum, ac animarum, & corporum renouationem, &c.

Idem auctor.

Idem infrà, O' Deus, reſpice in nos, & ad noſtrum hoc rationale obſequium intuere, idque accipe, ut Abel dona accepiſti, Noë ſacrificia, Moſis & Aaronis ſacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incenſum,

ut de

ut de manu Apoſtolorum tuorum, uèrum hunc cultum accepiſti, ita quoque è manibus noſtris, qui peccatores ſumus, recipe munera hæc propoſita per tuam benignitatem: & fac ut oblatio noſtra grata, & acceptabilis ſit, per Spiritum ſanctum ſanctificata, in propitiationem peccatorum noſtrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admiſit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos dormiunt. Hæc ille. Ecce Iacobus Apoſtolus docuit nos orare atque offerre pro defunctis. A temporibus Apoſtolorum offertur pro defũ.

Chryſoſtomus in ſua Liturgia ſecundum eandem ueritatem catholicam, & morem ſanctiſsimum, ita quoque habet, Suſcipe Domine Deus, ſupplicationem noſtram; fac nos dignos offerendo tibi preces, & hoſtiam incruentam, pro uniuerſo populo tuo; & præſta nobis copiã, quos poſuiſti in adminiſtratione hac in uirtute tui ſancti Spiritus, &c. Idem auctor infrà, Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obſequium, pro fideliter dormientibus, pro patribus & proauis noſtris, interuenientibus Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & omnibus ſanctis. Chryſoſ. in Liturgia ſua. Offertur pro uiuis. Offertur pro defunctis.

Ecce quæ conſuetudo fuit ſemper in Eccleſia Dei à temporibus Apoſtolorum, ut ſacerdotes Chriſtiani ad altare Domini, Miſſam, & diuinum hoc ſacrificium incruentum celebrantes, offerrent pro uiuis, pariter & pro fidelibus defunctis: ut hæc conſuetudo ſit non ſolùm antiquiſsima, quia à temporibus Apoſtolorum, & Martyrum: ſed etiam catholica, ſeu uniuerſalis ſimpliciter, quia apud Latinos, apudque Græcos, & in cunctis partibus Chriſtiani Orbis.

Germanus Archiepiſcopus Conſtantinoplitanus, in ſua conſideratione, & myſtica contẽplatione rerum eccleſiaſticarum, hanc ſanctam conſuetudinem probans, eiuſque rationem reddens, ait, Fit autem & memoria apud Deum pro defunctis, & Spiritibus, & omni carne, ut qui mortuorum & uiuentium poteſtatem habeat, & dominetur ſuper cœleſtibus & terrenis & ſubterraneis, & ut rege CHRISTO præſente, & ut ſancto Spiritu omnes adhortante, uiuentes atque uita functos, ad illhic moram trahendam, & requieſcendum in Domini, & Dei noſtri Ieſu CHRISTI occurſum, ut congregentur, & præoccupent faciem eius, & audiant Germanus Epiſ. Cõſtant. Offertur pro uiuis & mortuis.

uoces laudis eius: ut omnium, qui erant in inferis animarum, ſolutis uinculis per mortem, & reſurrectionem Christi. Ipſe enim excitatus eſt à mortuis, primitiæ, & primogenitus factus dormientiū, & omnibus uiam aperuit reſurrectionis à mortuis, & ad immortalitatem, & beatam uitam refocillans eos, qui in ſpe reſurrectionis eius dormierunt. Conuocantur autem omnes eorum animæ cum Prophetis, & Apoſtolis, & Martyribus, ut unà ingrediantur & recumbant cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in myſtica menſa regni Christi. Hæc ille.

Dum igitur Caluinus quærit, quo iure ſacramentum hoc defertur ad mortuos? Nos ei proponimus & opponimus relatos in mediumq; adductos Patres ſuperius in diuerſis locis Iacobum, Auguſtinum, Ambroſium, Gregorium, Chryſoſtomum, Germanum: ut iam non quærat à nobis, ſed quærat ab ipſis: Hi enim ſunt, non noui, non indocti, non aliqui ex ultima claſſe & plebea fæce, non corrupti moribus, non gloriam huius ſæculi quærentes, non mendaces, non deceptores; ſed antiquiſsimi, doctiſsimi, ſanctiſsimi, patres Eccleſiarum, Apoſtoli, Apoſtolorumque ſucceſſores in nomine, in loco, & in Epiſcopali dignitate, & in multis prærogatiuis ad hunc ſtatum pertinentibus, quos in grege rationali poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ab his ergo quærat Caluinus; quandoquidem nos in hoc nihil aliud facimus, niſi quòd, ut unitatem fidei conſeruemus cum illis in Christo Ieſu Domino noſtro, utque ſeruemus unitatem fidei in uinculo pacis; ut ab una uera & catholica fide non recedamus; ut in ſancta Matre Eccleſia tanquàm in arca Noë uigente diluuio conſeruemur, & ſaluemur, quod illi ſancti patres crediderunt, credimus; quod illi confeſsi ſunt, confitemur; quod illi prædicauerunt, prædicamus; quas conſuetudines ſeruauerunt, ſeruamus; & quam bonam uitam habuerunt, ſummis uotis habere cupimus. Deus Optimus Maximus, qui benignitate ſua dat nobis hoc deſiderium, det nobis per ſuam miſericordiam, & habere. Quod ſi ab illis quærat Caluinus, quo iure hoc ſacramentum deferatur ad mortuos? Firmiter credimus & nullo modo dubitamus, eos re-

Act. 20.

ſponſuros, ſicut nos iam reſpondimus, id fieri iure ſacrificij. Ius enim ſacrificij tale eſt, ut poſsit & debeat pro omnibus indigentibus offerri: nec poteſt hoc ſacrificij ius ignorare, niſi qui prius ipſius ſacrificij propriam naturam ac proprietatem ignorauerit.

Ita errat Caluinus in multis contra noſtram Euchariſtiã, ac præſertim quantum pertinet ad propoſitum, in duobus; Alterum eſt, quia dicit illã non continere, ſed ſolùm ſignificare CHRISTVM: & ſic eius negat continentiam, atque eam facit atheam, illo modo. Alterum eſt, quia poſtquàm negat in noſtra ſacra Euchariſtia CHRISTI præſentialem cõtinentiam, negat pariter in noſtra ſacra Euchariſtia rationem ſacrificij. Hæc ſunt ſua falſa principia, contra quæ iã multa diximus: nãque contra primum, in noſtro opere De noſtra cœna dominica, diximus, & contra ſecundum, in omnibus huius operis præſentis partibus, præſertim, libro primo, per totum. Ex his autem ſuis principiis falſis, aut circa illa, quid poteſt Caluinus quærere, concludere, uel aſſerere, uel quid ſuper illa ædificare? Talia erunt eius conſequentia, qualia ſunt & antecedentia: tales eius concluſiones, qualia & principia: tales quæſtiones, tales aſſertiones: omnia uana, omnia falſa, omnia erronea: talia ædificia, qualia fundamenta.

Dum igitur quærit, quo iure hoc ſacramentum deferatur ad mortuos? Reſpondemus, Iure ſacrificij. Quæ enim offerendo poſſumus facere pro nobis, poſſumus facere & pro noſtris fratribus, tum uiuis, tum defunctis. Sic Iob offerebat pro filiis. Conſurgensque diluculo, offerebat holocauſta per ſingulos: & mittebat ad eos, & ſanctificabat illos. Iob. 1.
Sic etiam fortiſsimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachm. argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium. Quo iure hæc deferuntur ad alios, uiuos, & mortuos? Profectò iure ſacrificij. Quæ poſſumus offerre pro nobis, poſſumus offerre pro aliis. Hæc eſt charitas, & hæc ſunt ſacrificij, atque ſacrificiorum iura. 2. Machabæ. 12.

Diſiecta igitur ſoloque æquata ſunt argumenta Caluini; & mirum immodum miror ego, quòd uir hic alioqui

perſpicacis ingenij, & multæ lectionis, propter hæc argumenta leuiſsima, reliquerit noſtram ueritatem de ſacrificio Miſſæ, communiſsimam in omnibus Eccleſiis Christi, & antiquiſsimam, quam ſemper omnes doctores ſancti amplexati ſunt, & in qua ipſe natus eſt, educatus, & enutritus.

Impugnat poteſtatem ſacerdotalem, ſeu alteram eius partem, eam nempe quæ eſt ad offerre: impugnandoque dicit, Sacerdotij itaque honore ſpoliatur Christus, cùm ius ipſum offerendi transfertur ad alios. Huic eius obiectioni iam nos ſatis reſpondimus, oſtendentes ex manifeſtis diuinarum ſcripturarum exemplis, eam nihil ualere. Nunc autem ut magis lectorem aduertere faciamus, dicimus eam non ſolùm nihil ualere, ſed etiam ſimillimam eſſe obiectioni, quam formabat olim Nouatus, impugnando poteſtatem ſacerdotalem, ſeu alteram eius partem, uidelicet, quæ eſt ad peccata remittere. Sic enim refert Ambroſius de Nouato, & Nouatianis, Aiunt ſe Domino deferre reuerentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſeruant, &c. quaſi hoc honore ſpoliaretur Deus, ſi ius remittendi peccata concedatur, eſſe in aliis. Simile profectò eſt, quod Caluinus & Caluiniani hîc dicunt, Sacerdotij itaque honore ſpoliatur Christus, cùm ius ipſum offerendi transfertur ad alios. Quid nos hîc aptius uel accommodatius poſſumus dicere contra Caluinum, quàm quod olim dixit Ambroſius contra Nouatum? Immo nulli maiorem iniuriam Domino faciunt, quàm qui uolunt mandata eius reſcindere. Nam cùm ipſe in Euangelio ſuo dixerit, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quis eſt, qui magis honorat, Vtrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Hîc autem eius etiam habemus mandatum, Hoc facite in meam commemorationem. Quod quidem Christi mandatum, & ipſe diuus Ambroſius, & diuus Dionyſius Areopagita in De eccleſiaſtica Hierarchia, & omnes ſancti patres de hoc diuino ſacrificio offerendo, conſtanter & conformiter intellexerunt, ut ſatis conſtat ex iam allegatis eorum dictis. Cum igitur Christus ipſe in Euangelio ſuo dicat, Hoc facite in

Ambr. De pœnité. lib. 1. cap. 2.

Ioan. 20.

Lucæ 22.

Ambr. Diony. cap. 3. ad art. 1. & ad 3.

meam commemorationem; ideſt, conſecrate, conficite, offerte: nos certè magis honoramus, qui huic diuino mandato obtemperamus, illique hæremus.

Libri tertij & ultimi finis.

Regeſtum,

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm
Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg.

Omnes duerniones.

Tabula per ſe patet.

VENETIIS, Ex officina Stellæ Iordani Zileti.
M D L X I I I.